D. MAGNI

AVSONII

BVRDIG. VIRI CONSVLA-RIS,

OPERA.

A Iosepho Scaligero, & Elia Vineto denuò recognita, di-ſpoſita & variorum notis il-luſtrata, quod Epiſtola ad lectorem docebit.

Adiectis variis & locupletiſſi-mis Indicibus.

TYPIS,
IACOBI STOER.
M. D. XIIC.

LECTORI CANDIDO. P. B. CESTIVS I. C.

HABES HOC PRIMO volumine amice Lector, præter omnia Ausonij clarissimi illius Poetæ opuscula à summo Critico illo Scaligero olim recognita, etiam denuò à mendis Typographicis repurgata: Symmachi Pontij Paulini litteras ad Ausonium scriptas, itémque Ciceronis & Sulpiciæ, aliorúmque quorundam veterum carmina nonnulla. ¶SECVNDO verò volumine, Scaligeri lectiones in Ausonium, vnà cum Adriani Turnebi, Hadriani Iunij, Guillelmi Canteri, Iusti Lipsij, & Eliæ Vineti notis, quæ tibi iusti commentarij instar esse poterunt. quæ omnia tuæ vtilitati inseruire cupientes excudenda curauimus. Vale & nostris vtere.

SCRIPTORVM AVSONII, ET ALIORVM huius voluminis opusculorum Index.

Eiusdem Ausonij Epigrammatum liber. in quo hæc habentur.

De

Ausonii EPIGRAMMATA quatuor, quibus Fastorum à se digestorum meminit. p.35.

Ausonij EPHEMERIS, id est, totius diei negotium, p.37.

Egressio

Ausonij PARENTALIA.

Ausonij PROFESSORES Burdigalenses. pag.63.

Crispus

EPITAPHIA Heroum, qui bello Troiano interfuerunt. pag. 85.

Aliquot aliorum EPITAPHIA.p.91.

Auſonij de DVODECIM CAESARIBVS per Sueton.ſcriptis.pag.95

Eiuſdem Auſonij TETRASTICHA,à Iulio Cæſare vſque ad tempora ſua:p.97.

Marcus

Ausonij ORDO NOBILIVM VRBIVM pag.102.

Ausonij LVDVS SEPTEM SAPIENTVM. pag.109.

Item

Ausonij ECLOGARIVM. pag. 189.

Ausonij Epistolarum liber. p. 201.

Eidem

Index

Index rerum memorabilium quæ in his Ausonij & aliorum scriptis continentur.

Cæcilius

FINIS.

THEODOSIVS AV-
GVSTVS AVSONIO
Parenti Salutem.

*

AMOR meus, qui in te eſt, & admiratio ingenij, atque eruditionis tuæ, quæ multo maxima ſunt, fecit, parens iucundiſſime, vt morem Principibus aliis ſolitum, ſequeſtrarem. familiarémque ſermonẽ autographum ad te tranſmitterem, poſtulans pro iure non quidem regio: ſed illius priuatæ inter nos caritatis, ne fraudari me ſcriptorum tuorum lectione patiaris. Quæ olim mihi cognita, & iam per tempus oblita, rurſum deſidero: non ſolum, vt quæ ſunt nota recolã: ſed vt ea quæ fama celebri adiecta memorantur, accipiam. Quæ tu de promptuario ſcrinionum tuorum, qui me amas, libens impertiare, ſecutus exempla auctorum optimorum: quibus par eſſe meruiſti. qui Octauiano Auguſto rerum potienti, certatim ſua opera tradebant, nullo fine in eius honorem multa condentes.

Qui illos, haud ſciam, an æqualiter, ac ego te, admiratus ſit, certe non amplius diligebat.

Vale, parens.

THEO

THEODOSIO AVGVSTO AVSONIVS.

*

Agricolam si flaua Ceres dare semina terræ,
Gradiuus iubeat si capere arma ducem,
Soluere de portu classem Neptunus inermem:
Fidere tam fas est, quàm dubitare nefas:
Insanum quamuis hiemet mare: crudáque tellus
Seminibus, bello nec satis apta manus.
Nil dubites auctore bono. Mortalia quærunt
Consilium, certus iussa capesse Dei.
Scribere me Augustus iubet: & mea carmina poscit,
Pæne rogans, blandó vis latet imperio.
Non habeo ingenium: Cæsar sed iußit: habebo.
Cur me posse negem: posse quod ille putat?
Inualidas vires ipse excitat: & iuuat idem,
Qui iubet. obsequium sufficit esse meum.
Non tutum renuisse deo. Laudata pudoris
Sæpe mora est: quotiens contra parem dubites.
Quinetiam non iussa, parant erumpere dudum,
Carmina Quis nolit Cæsaris esse liber?
Ne ferat indignum vatem, centúmque lituras,
Mutandas semper deteriore nota.
Tu modo te iußisse, pater Romane, memento:
Inque meis culpis da tibi tu veniam.

AVSONIVS SYAGRIO SVO S.

***

Ausonius genitor nobis. ego nomine eodem
Qui sim qua secta, stirpe, lare, & patria,
Adscripsi, ut nosses, bone vir, quincunque fuissem,
Et notum memori me coleres animo.
Vasates patria est patri: gens Aedua matri
De patre: Tarbellis sed genitrix ab Aquis.
Ipse ego Burdigalæ genitus. diuisa per urbes
Quatuor antiquas stirpis origo meæ.
Hinc late fusa est cognatio. nomina multis
Ex nostra, ut placitum, ducta domo veniant.
Deriuata alijs. nobis ab stemmate primo
Et non cognati, sed genitiua placent.
Sed redeo ad seriem. genitor studuit medicinæ,
Disciplinarum quæ dedit vna Deum.
Nos ad Grammaticē studium conuertimus: & mox
Rhetorices etiam quod satis, attigimus.
Nec fora non celebrata mihi-sed cura docendi
Cultior: & nomen Grammatici merui.
Non tam grande quidem, quo gloria nostra subiret
Aemilium aut Scaurum. Berytiúmque Probum:
Sed quo nostrates. Aquitanáque nomina mult[illegible]
Collatus, non & subditus, adspicerem.
Exactisq; dehinc per trina decennia fastis
Asserui doctor municipalem operam.

Aure.

Aurea & Augusti Palatia iussus adire
Augustam sobolem Grammaticus docui:
Mox etiam Rhetor. nec enim fiducia nobis
Vana, aut non solidi gloria iudicij.
Cedo tamen fuerint fama potiore magistri,
Dum nulli fuerit discipulus melior.
Alcides Atlantis, & Aeacides Chironis,
Pæne Ioue iste satus, filius ille Iouis.
Thessaliam, Thebásque suos habuêre penates:
At meus hic toto regnat in orbe suo.
Cuius ego comes, & Quæstor, & culmen honorum,
Præfectus Gallis. & Libyæ. & Latio:
Et prior indeptus fasces, Latiámque curulem,
Consul, collega posteriore, fui
Hic ego Ausonius. sed tu ne temne, quod vltro
Patronum nostris te paro carminibus.
Pectoris vt nostri sedem colis, alme Syagri,
Communémque habitas alter ego Ausonium:
Sic etiam nostro præfatus habebere libro,
Differat vt nihilo sit tuus, anne meus.

AVSONIVS LATINO PACATO DREPANIO FILIO.

**
*

Cvi dono lepidum nouum libellum?
Veronensis ait Poëta quondam:
Inuentóque dedit statim Nepoti.
At nos illepidum rudem libellum,
Burras, quisquilias, ineptiásque,
Credemus gremio cui fouendum?
Inueni, trepide silete nactæ,
Nec doctum minus, & magis benignum,
Quàm quem Gallia præbuit Catullo.
Hoc nullus mihi carior meorum.
Quem pluris faciunt nouem Sorores,
Quàm cunctos alios, Marone dempto.
Pacatvm haud dubie, Poëta, dicis.
Ipse est: Intrepide volate versus:
Et nidum in gremio fouete tuto.
Hic vos diligere, hic volet tueri.
Ignoscenda teget, probata tradet.
Post hunc iudicium timete nullum.

D. MAGNI

AVSONII BVR-DIGALENSIS

EPIGRAMMATA.

De Augusto, Epigramma I.

PHOEBE *potens numeris præses Tritonia bellis,*
Tu quoque ab aërio præpes Victoria lapsu,
Come serenatam duplici diademate frontem,
Serta ferens: quæ dona togæ, quæ præmia pugnæ.
Bellandi fandique potens Augustus, honorem 5
Bis meret: ut geminet titulos, qui prœlia musis
Tēperat & Geticum moderatur Apolline Martē.
Arma inter, Chunósque truces furtóque nocentes
Sauromatas quantum cessat de tempore belli,
Indulget Clariis tantum inter castra camœnis. 10
Vix posuit volucres stridentia tela sagittas:
Musarum ad calamos fertur manus. otia nescit.
Et commutata meditatur arundine carmen.
Sed carmen non molle modis. bella horrida Martis
Odrysii, Thressæq; viraginis arma retractat. 15

Exulta AEacide celebraris vate superbo
Rursum: Romanúsque tibi contingit Homerus.

De fera à Cæsare interfecta. II.

Cedere quæ lato nescit fera saucia ferro,
Armatique vrget tela cruenta viri:
Quàm grandes paruo patitur sub vulnere mortes:
Et solam leti vim probat esse manum!
Mirantur casúsque nouos subitásque ruinas,
Quæritur, & fallit lumina plaga recens.
Nec contenta ictos letaliter ire per artus,
Coniungit mortes vna sagitta duas.
Plurima communi pereunt si fulminis ictu:
Hæc quoque de cælo vulnera missa putes.

Danubius Augg. alloquitur. III.

Illyricis regnator aquis, tibi Nile secundus
Danubius lætum profero fonte caput.
Saluêre Augustos iubeo, natúmque patrémque,
Armiferis alui quos ego Pannonijs.
Nuncius Euxino iam nunc volo currere ponto:
Vt sciat hoc superûm cura secunda Valens,
Cæde fuga flammis stratos perijsse Sueuos:
Nec Rhenum Gallis limitis esse loco.
Quod si lege maris refluus mihi curreret amnis:
Huc possem victos inde referre Gothos.

Idem eosdem alloquitur. IIII.

Danubius penitis caput occultatus in oris,
Totus sub vestra iam ditione fluo:
Qua gelidum fontem medijs effundo Sueuis.

Imperijs

Imperijs grauidas qua seco Pannonias:
Et qua diues aquis Scythico soluo ostia ponto,
Omnia sub vestrum flumina mitto iugum.
Augusto dabitur, sed proxima palma Valenti.
Inueniet fontes hic quoque, Nile, tuos.

Sub Valentiniani Iunioris signo marmoreo. V.

Quod leo tam tenui patitur sub arundine letum,
Non vires ferri, sed ferientis agunt.

De matre Augusti. VII.

Ante omnes alias, felix tamen hoc ego dicar:
Siue deum peperi femina, siue virum.

Exhortatio ad modestiam. VIII.

Fama est fictilibus cenasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis quum poneret horrida vasis:
Et misceret opes, pauperiemque simul.
Quærenti causam, respondit Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe: quicunque repente
Diues ab exili progrediere loco.

De suis poëmatiis. IX.

Nostra simul varijs certant epigrammata nugis.
Stoicus has partes: has Epicurus agit.
Salua mihi veterum maneat dum regula morum:
Ludat permissis sobria musa iocis.

In Eumpinam adulteram. X.

Toxica zelotypo dedit vxor mœcha marito:
Nec satis ad mortem credidit esse datum.

Miscuit argenti letalia pondera vini:
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc si quis: faciunt discreta venenum.
Antidotum sumet, qui sociata bibet.
Ergo inter sese dum noxia pocula certant:
Cessit letalis noxa salutiferæ.
Protinus & vacuos alui petiere recessus:
Lubrica deiectis qua via nota cibis.
Quam pia cura deum! prodest crudelior uxor.
Et quum fata volunt, bina venena iuuant.

Echo ad pictorem. XI.

Vane, quid affectas faciem mihi ponere pictor,
Ignotámque oculis sollicitare deam?
Aëris & linguæ sum filia, mater inanis
Indicij, vocem quæ sine mente gero.
Extremos pereunte modos à fine reducens,
Ludificata sequor verba aliena meis.
Auribus in vestris habito penetrabilis Echo:
Et si vis similem pingere pinge sonum.

In simulachrũ Occasionis & Pœnitentiæ. XII.

Cuius opus? Phidiæ qui signum Pallados, eius,
Quique Iouem fecit, tertia palma ego sum.
Sum dea, quæ raræ: & paucis OCCASIO nota.
Quid rotulæ insistis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris sum. Mercurius quæ
Fortunare solet, tardo ego: quum volui.
Crine tegis faciem. Cognosci nolo. Sed heus tu,
Occipiti caluo es. Ne tenear fugiens.
Quæ tibi iũcta comes? Dicat tibi. Dic rogo, quæ &c

Sum dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.
Sum dea quæ facti, non factíque exigo pœnas.
Nempe vt pœniteat, sic Metanœa vocor.
Tu modo dic, quid agat tecum. Si quando volaui,
Hæc manet. hanc retinent quos ego præterij.
Tu quoque dum rogitas: dum percontando moraris:
Elapsam dices me tibi de manibus.

Ad Gallam puellam iam senescentem. XIII.

Dicebam tibi: Galla, senescimus: effugit ætas.
Vtere rene tuo casta puella, anus est.
Spreuisti. obrepsit non intellecta senectus.
Nec reuocare potes, qui periere dies.
Nunc piget: & quereris, quod non aut ista voluntas
Tunc fuit: aut non est nunc ea forma tibi.
Da tamen amplexus: oblitáque gaudia iunge.
Da fruar, & si non quod volo quod volui.

De Lepore capto à cane marino. XIIII.

Trinacrij quondam currentem in littoris ora
Ante canes leporem cæruleus rapuit.
At lepus. In me omnis terræ pelagíque rapina est,
Forsitan & cœli: si canis astra tenet.

De Pergamo scriptore fugitiuo: qui captus fuerat. XV.

Tam segnis scriptor, quam lentus Pergame cursor,
Fugisti: & primo captus es in stadio.
Ergo notas scripto tolerasti Pergame vultu:
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

In eundem Pergamum.

Pergame, non recte punitus. fronte subisti

Supplicium: lentæ quod meruêre manus.
At tu, qui dominus, peccantia membra coërce.
Iniustum falsos excruciare reos.
Aut inscribe istam, quæ non vult scribere dextram:
Aut profugos ferri pondere, necte pedes.

De Myrone, & Laide. XVI.

Canus rogabat Laidis noctem Myron.
Tulit repulsam protinus.
Causam sensit: & caput fuligine
Fucauit atra candidum.
Idémque vultu, crine non idem Myron,
Orabat oratam prius.
Sed illa formam cum capillo comparans,
Similémque non ipsum rata,
Fortasse & ipsum, sed volens ludo frui,
Sic est adorta callidum.
Inepte, quid me, quod recusaui rogas?
Patri negaui iam tuo.

De se & vxore. XVII.

Laidas & Glyceras, lasciuæ nomina famæ,
Coniux in nostro carmine quum legeret:
Ludere me dixit, falsóque in amore iocari.
Tanta illi nostra est de probitate fides.

Ad vxorem suam. XVIII.

Vxor, viuamus, quod viximus: & teneamus
Nomina, quæ primo sumpsimus in thalamo.
Nec ferat vlla dies, vt commutemur in æuo:
Quin tibi sim iuuenis, túque puella mihi.
Nec tu, e sim quamuis prouectior: æmuláque annis

Vi-

Vincas Cumanam tu quoque Deiphoben.
Nos ignoremus, quid sit matura senectus:
Scire aui meritum, non numerare decet.

In Meroën anum ebriosam. XIX.

Qui primus MEROE *nomen tibi condidit, ille*
Thesidæ nomen condidit Hippolyto.
Nam diuinare est, nomen componere, quod sit
Fortunæ morum, vel necis indicium.
Protesilaë tibi nomen sic fata dederunt:
Victima quod Troiæ prima futurus eras.
Idmona quod vatem, medicum quod Iapida dicũt:
Discendas artes nomina præueniunt.
Et tu sic, Meroë: non quod sis atra colore,
Vt quæ Niliaca nascitur in Meroë:
Infusum sed quod vinum non diluis vndis,
Potare immixtum sueta merúmque merum.

Nemesis, è Græco. XX.

Me lapidem quondam Persæ aduexêre, trophæum
Vt fierem bello, nunc ego sum NEMESIS.
At sicut Græcis victoribus asto trophæum:
Punio sic Persas vaniloquos Nemesis.

De varietate fortunæ è Græco. XXI.

Thesauro inuento, qui limina mortis inibat,
Liquit ouans laqueum, quo periturus erat.
At qui quod terræ abdiderat, non repperit aurum:
Quem laqueum inuenit, nexuit: & perijt.

Idem aliter. XXII.

Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum:
Thesaurique loco deposuit laqueum.

At qui condiderat, postquam non reperit aurum:
Aptauit collo, quem reperit laqueum.

De Thrasybulo Lacedæmonio. XXIII.

Excipis aduerso quod pectore vulnera septem:
Arma superueheris quod Thrasybule tua:
Non dolor hic patris: Pitanæ sed gloria maior.
Rarum tam pulchro funere posse frui.
Quem postquam mœsto socij posuêre feretro:
Talia magnanimus edidit orsa pater.
Flete alios. natus lachrymis non indiget vllis,
Et meus, & talis, & Lacedæmonius.

De Lacæna matre. XXIIII.

Mater Lacæna clipeo obarmans filium,
Cum hoc, inquit aut in hoc redi.

In diuitem quendam. XXV.

Quidam superbus opibus & fastu tumens,
Tantúmque verbis nobilis,
Spernit vigentis clara sæcli nomina,
Antiqua captans stemmata,
Martem, Remúmque, & conditorem Romulum,
Primos parentes nuncupans.
Hos ille Serum veste contexi iubet,
Hos cælat argento graui,
Ceris inurens ianuarum limina,
Et atriorum pegmata
Credo quod illi nec pater certus fuit:
Et mater est vere lupa.

Antisthenes Cynicus Philosophus. XXVI.

Inuentor primus Cynices ego. Quæ ratio istæc?

Alcides

Alcides multo dicitur eſſe prior.
Alcida quondam fueram doctore ſecundus:
Nunc ego ſum Cynices primus, & ille deus.

Idem. XXVII.

Diſcipulus melior nulli, meliórve magiſter,
Εἰς ἀρετὴν συνέβη, καὶ κυνικὴν σοφίην.
Dicere me nouit verum, qui nouit vtrumque,
Καὶ θεὸν Ἀλκείδην, καὶ κύνα Διογένην.

Libero patri. XXVIII.

Αἰγύπτιου μὲν ὅσιρις ἐγὼ Μυσῶν δὲ Φανάκης,
Βάκχος ἐνὶ ζωοῖσιν, ἐνὶ φθιμένοις Αἰδωνεύς,
Πυρογενὴς δίκερως, τιτανολέτης Διόνυσος.

Myobarbum Liberi patris, ſigno marmoreo in villa noſtra omnium deorum argumenta habentis. XXIX.

Ogygia me Bacchum vocat.
Oſirin AEgyptus putat.
Myſtæ Phanacen nominant.
Dionyſon Indi exiſtimant.
Romana ſacra Liberum.
Arabica gens Adoneum.
Lucaniacus Pantheum.

In Corydonem marmoreum. XXX.

Αἶξ χιμαιρος, πήρη, ποιμένη ῥαβδοῦχος, ἐλαίη,
Εἷς λίθος ἐκ πάντων λιτὸς ἐγὼ Κορύδων.

In ſimulachrum Sapphus. XXXI.

Lesbia Pieriis Sappho ſoror addita Muſis,
Εἰ ἐνάτη λυρικῶν, Αονίδων δεκάτη.

Deæ Veneris. XXXII.

Orta salo suscepta solo,patre edita Cælo,
Aeneadum genitrix,hic habita alma Venus.

Ad libellum suum de Proculo. XXXIII.

Si tineas cariémque pati te charta,necesse est:
Incipe versiculis ante perire meis
Malo,inquis tineas.Sapis ærumnose Libelle:
Perfungi mauis qui leuiore malo.
Ast ego damnosæ nolo otia perdere musæ:
Iacturam somni quæ parit,atque olei.
Vtilius dormire fuit,quàm perdere somnum,
Atque oleum bene ais:causa sed ista mihi est.
Irascor Proculo:cuius facundia tanta est,
Quantus honor.scripsit plurima quæ cohibet.
Hunc studeo vlcisci:& prompta est hæc vltio vati:
Qui sua non edit carmina,nostra legat.
Huius in arbitrio est,seu te iuuenescere cedro,
Seu iubeat duris vermibus esse cibum.
Huic ego.quod nobis superest ignobilis oti,
Deputo:siue legat quæ dabo,siue tegat.

De nomine cuiusdam Lucij,sculpto in marmore. XXXIIII.

Lucius vna quidem,geminis sed dißita punctis.
Littera.prænomen sic.L.nota sola facit.
Post M incisum est:puto sic IVI,non tota videtur.
Dissiluit saxi fragmine læsus apex.
Nec quisquã Marcus,seu Marcius,an ne Metellus
Hic iaceat,certis nouerit indicijs.
Truncatis conuulsa iacent elementa figuris:

Omnia

Omnia confusis interiere notis.
Miremur perysse homines? monumenta fatiscunt.
Mors etiam saxis, nominibúsque venit.

De Sabina textrice, & carmina faciente. XXXV.

Siue probas Tyrio textam sub tegmine vestem:
Seu placet inscripti commoditas tituli:
Ipsius hoc dominæ concinnat vtrunque venustas.
Has geminas artes vna Sabina colit.

Versus in veste contexti, de eadem Sabina. XXXVI.

Laudet Achæmenias orientis gloria telas:
Molle aurum pallis Græcia texte tuis:
Non minus Ausoniam celebret dum fama Sabinã,
Parcentem magnis sumptibus, arte parem.

De eadem Sabina. XXXVII.

Licia qui texunt & carmina: carmina Musis,
Licia contribuunt casta Minerua tibi.
Ast ego rem sociam non dissociabo, Sabina:
Versibus inscripsi quæ mea texta meis.

Qualem velit amicam. XXXVIII.

Hanc volo, quæ non volt: illam quæ volt, ego nolo.
Vincere volt animos, non satiare Venus.
Oblatas sperno illecebras, detrecto negatas.
Nec satiare animum, nec cruciare volo.
Nec bis cincta Diana placet, nec nuda Cythere.
Illa voluptatis nil habet, hæc nimium.
Callida sed mediæ Veneris mihi venditet artem
Femina: quæ iungat, quod volo-nolo vocet.

De Chresto, & Acindyno fratribus.
XXXIX.

Χρῖστος Ἀκίνδυνος εἰσὶν ἀδελφοί· οἰκτρὰ δὲ τέκνα,
Moribus ambo malis, nomina falsa gerunt.
Οὐδ' οὗτος χρηστὸς, οὐδ' οὗτος ἀκίνδυνός ἐστιν.
Vna potest ambos littera corrigere.
Αἴκεν Χρῆστος ἔλη, καὶ Ἀκίνδυνος ἄλφ' ἀπολέσῃ·
Κίνδυνος *hic fiet: frater* Ἄχρηστος *erit.*

De iisdem. XL.

Germani fratres sunt Chrestos Acindynos alter.
Falsum nomen vtriq; sed vt verum sit vtrique,
Alpha suũ Chresto det Acindynos: ipse sine alpha
Permaneat. verum nomen vterque geret.

De Pallade, & Venere armata. XLI.

Armatam vidit Venerem Lacedæmone Pallas.
Nunc certemus, ait, iudice vel Paride.
Cui Venus, Armatam tu me, temeraria, temnis:
Quæ quo te vici tempore, nuda fui?

Idem aliter. XLII.

Armatam Pallas Venerem Lacedæmone visens,
Visne, vt iudicium sic ineamus? ait.
Cui Venus arridens, Quid me galeata lacessis?
Vincere si possum nuda quid arma gerens?

Ad Philomusum grammaticum. XLIII.

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est:
Doctum, & grammaticum te Philomuse put[illegible]s?
Hoc genere & chordas & plectra, & barbita cõ-
Mercator hodie, cras citharœdus eris. (de.

In statuam Rufi rhetoris semiuiri & elinguis. XLIIII.

Rhetoris hæc Rufi statua est. nil verius ipsa.
Ipsa adeo linguam non habet. & cerebrum:
Et riget, & surda est, & non videt. omnia Rufi.
Vnum dissimile est mollior ille fuit.

In tabulam, vbi erat picta imago Rufi Rhetoris. XLV.

Elinguem quis te dicentis imagine pinxit?
Dic mihi, Rufe taces. nil tibi tam simile est.

De eadem tabula. XLVI.

Hæc Rufi tabula est. nil verius. Ipse vbi Rufus?
In cathedra. Quid agit? Hoc, quod & in tabula.

De eodem Rufo. XLVII.

REMINISCO *Rufus dixit in versu suo.*
Cor ergo versus immo Rufus non habet.

Idem. XLVIII.

Qui REMINISCO *putat se dicere posse Latine:*
Hic ibi CO *scriptū est, legeret* COR *si cor haberet.*

De eodem Rufo. XLIX.

Rufus vocatus rhetor olim ad nuptias,
Celebri fit vt conuiuio:
Grammaticæ vt artis se peritum ostenderet,
Hæc vota dixit nuptijs.
Et masculini, & feminini gignite,
Generisque neutri filios.

De imagine Rufi rhetoris. L.

Ore pulchro & ore muto. scire vis, quæ sim? volo.
Imago Rufi rhetoris Pictauici.

Diceret, sed ille vellem Rhetor hoc mi. Non potest.
Cur? Ipse rhetor est imago imaginis.

De eadem Rufi statua. L I.

Rhetoris hæc Rufi statua est. Si saxea, Rufus,
Cur id ais? semper saxeus ipse fuit.

De Diogene Cynico philosopho. L II.

Pera, poleta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex
Ista fuit Cynici: sed putat hanc nimiam.
Námque cauis manibus cernens potare bubulcum,
Cur scyphe te, dixit, gesto superuacuum?

De Crœso & eodem Diogene. L III.

Effigiem rex Crœse tuam ditissime regum
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Constitit vtq; procul: solito maiore cachinno
Concussus, dixit. Quid tibi diuitiæ
Nunc prosunt, regum rex ô ditissime, quum sis
Sicut ego solus, me quoque pauperior?
Nam quæcunque habui, mecum fero: quū nihil ipse
Ex tantis tecum, Crœse feras opibus.

Lais dicans Veneri speculum suum. L IIII.

Lais anus Veneri speculum dico. dignum habeat se
Aeterna æternum forma ministerium.
At mihi nullus in hoc vsus: quia cernere talem
Qualis sum, nolo: qualis eram, nequeo.

De Castore, Polluce, & Helena. L V.

Istos tergemino nasci quos cernis ab ouo,
Patribus ambiguis, & matribus assere natos.
Hos genuit Nemesis: sed Leda puerpera fouit.

Tyndar eu-

Tyndareus pater his, & Iuppiter hic putat, hic scit.

De imagine Veneris sculpta à Praxitele. LVI.

Vera Venus Cnideam quum vidit Cyprida, dixit:
Vidisti nudam me puto, Praxitele.
Non vidi, nec fas: sed ferro opus omne polimus.
Ferrum Gradiui Martis in arbitrio.
Qualem igitur domino scierant placuisse Cytheren:
Talem fecerunt ferrea cæla deam.

In buculam æream Myronis. LVII.

Bucula sum, cælo genitoris facta Myronis
Aerea, nec factam me puto, sed genitam.
Sic me taurus init: sic proxima bucula mugit:
Sic vitulus sitiens vbera nostra petit.
Miraris quod fallo gregem: gregis ipse magister
Inter pascentes me numerare solet.

De eadem bucula. LVIII.

Vbera quid pulsas frigentia matris ahenæ,
O vitule: & succum lactis ab ære petis?
Hunc quoque præstarem: si me pro parte parasset
Exteriore Myron, interiore deus.

Ad Dædalum de eadem buculâ. LIX.

Dædale, cur vana consumis in arte laborem?
Me potius clausæ subijce Pasiphaæ.
Illecebras veræ si vis dare Dædale vaccæ:
Viua tibi species vacca Myronis erit.

Eadem de se. LX.

Errasti attendens hæc ilia nostra iuuence.
Non manus artificis lac dedit vberibus.

Eadem. LXI.

Pasce greges procul hinc.ne,quæso bubulce,Myronis
Aes,veluti spirans cum bubus exagites.

Eadem. LXII.

Me vitulus cernens immugiet,irruet in me
Taurus amans.pastor cum grege mittet agens.

De eadem Myronis bucula. LXIII.

Aerea mugitum poterat dare vacca Myronis.
Sed timet artificis detegere ingenium.
Fingere nam similem viuæ quàm viuere,plus est,
Nec sunt facta dei mira,sed artificis.

Eadem bucula de se. LXIIII.

Aerea bos steteram mactata est vacca Mineruæ.
Sed dea proflatam transtulit huc animam.
Et modo sum duplex:pars ærea.pars animata,
Hæc manus artificis dicitur illa deæ.

Ad taurum eadem bucula. LXV.

Quid me taure paras specie deceptus inire?
Non sum ego Minoæ machina Pasiphaæ.

De eadem Myronis bucula. LXVI.

Nec dum caduco sole iam sub vespere,
Ageret iuuencas quum domum pastor suas:
Suam relinquens,me minabat,vt suam.

De eadem bucula. LXVII.

Vnam iuuencam pastor forte amiserat.
Numerumque iussus reddere,
Me defuisse conquerebatur sequi
Quæ noluissem ceteras.

Quæ sexum mutarint. LXIIX.

Vallebanæ res nota, & vix credenda poetis:
Sed quæ de vera promitur historia.
Femineam in speciem conuertit masculus ales.
Pauáque de pauo constitit ante oculos.
Cuncti admirantur monstrum: sed mollior agna 5
Astitit in tenerum de grege versa marem.
Quid stolidi ad speciem notæ nouitatis hebetis?
An vos Nasonis carmina non legitis?
Cænea conuertit proles Saturnia Consus.
Ambiguóque fuit corpore Tiresias. 10
Vidit semiuirum fons Salmacis Hermaphroditum.
Vidit nubentem Plinius Androgynum.
Nec satis antiquum, quod Campana in Beneuento.
Vnus epheborum virgo repente fuit.
Nolo tamen veteris documenta arcessere famæ. 15
Ecce ego sum factus femina de puero.

Ad Pythagoram de Marco Pullaria. LXIX.

Pythagora Euphorbi, reparas qui semina rerum.
Corporibúsque nouis das reduces animas:
Dic, quid erit Marcus iam fata nouissima functus,
Si redeat vitam rursus in aëriam?
Quis Marcus? Felles nuper Pullaria dictus:
Corrupit totum qui puerile decus:
Peruersæ Veneris postico vulnere fossor,
Lucili vatis subulo, pulisprema.
Non taurus non milus erit, non hippocamelus,
Non caper, aut aries sed scarabeus erit.

Subscriptum picturæ Crispæ mulieris impudicæ. LXX.

Præter legitimi genitalia fœdera cœtus,
Repperit obscœnas veneres vitiosa libido,
Herculis hæredi quam Lemnia suasit egestas.
Quam toga facundi scenis agitauit Afrani.
Et quam Nolanis capitalis luxus inussit.
Crispa tamen cunctas exercet corpore in vno.
Deglubit fellat, molitur per vtrámque cauernam.
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.

De Achilla, qui dissecuit caluariam. LXXI.

Abiecta in triuijs inhumati glabra iacebat
Testa hominis, nudum iam cute caluitium.
Fleuerunt alij: fletu non motus Achillas.
Insuper & silicis verbere dissecuit.
Eminus ergo icto redijt lapis vltor ab osse:
Actorísque sui frontem oculósque petit.
Sic vtinam certos manus impia dirigat ictus,
Auctorem vt feriant tela retorta suum.

De Alcone medico, & Diodoro haruspice. LXXII.

Languenti Marco dixit Diodorus haruspex,
Ad vitam non plus sex superesse dies.
Sed medicus diuis, fatísque potentior Alcon,
Falsum conuicit illicò haruspicium.
Tractauítque manum victuri, ni tetigisset.
Illicò nam Marco sex periêre dies.

De signo Iouis & Alcone medico. LXXIII.

Alcon hesterno signum Iouis attigit ille,
Quamuis marmoreus, vim patitur medici.
Ecce hodie iussus transferri ex æde vetusta,
Effertur: quamuis sit deus, atque lapis.

In Eunomum medicum. LXXIIII.

Languentem Caium moriturum dixerat ægrum,
Eunomus euasit fati ope non medici.
Paulò post ipsum videt, aut vidisse putauit
Pallentem & multa mortis in effigie.
Quis tu? Caius, ait. Viuisne? hic abnuit. Et quid
Nunc agis hic? missu Ditis, ait, venio.
Vt quia notitiam rerúmque hominúmque tenerem,
Accirem medicos Eunomus obriguit.
Tum Caius, Metuas nihil, Eunome. dico ego, & omnes,
Nullum qui saperet, dicere te medicum.

In hominem vocis absonæ, LXXV.

Latratus catulorum hinnitus fingis equorum,
Caprigenúmque pecus, lanigeró sque greges
Balatu adsimulas: asinos quoque rudere dicas:
Quum vis Arcadicum fingere, Marce, pecus.
Gallorum cantus & ouantes gutture cornos,
Et quicquid vocum bellua talis habet.
Omnia quum simules, ita vere, vt ficta negentur:
Non potes humanæ vocis habere sonum.

Ad Crispam. LXXVI.

Deformem quidam te dicunt Crispa: at ego istud,
Nescio. mi pulchra es. iudice me satis est.

Q. inetiam cupio iunctus quia zelus amori est.
Vt videare alijs fœda decora mihi.

Qualem velit habere amicam. LXXVII.

Sit mihi talis amica, velim:
Iurgia quæ temere incipiat:
Nec studeat quasi casta loqui.
Pulchra procax, petulante manu.
Verbera quæ ferat. & regerat.
Cæsáque ad oscula confugiat.
Nam nisi moribus his fuerit:
Casta modesta, pudenter agens:
Dicere abominor, vxor erit.

Ad Cupidinem ex Græco. LXXIIX.

Hoc quod amare vocant, misce, aut dissolue Cupido,
Aut neutrum flammis vre, vel vre duos.

Ad Dionem de amore suo. LXXIX.

Aut restingue ignem, quo torreor, alma Dione:
Aut transire iube vel face vtrumque parem.

Ex Græco ἀρχὴ τὸ ἥμισυ παντός. LXXX.

Incipe. dimidium facti est cœpisse superfit
Dimidium. rursum hoc incipe: & efficies.

Ex Græco LXXXI.

Ἁ χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις.

Gratia quæ tarda est, ingrata est, Gratia nánque
Cùm fieri properat gratia grata magis.

Idem LXXXII.

Si bene quid facias: facias cito. nam cito factum,
Gratum erit, Ingratum gratia tarda facit.

In

In saltorem ineptum. LXXXIII.

Deceptæ felix casus se miscuit arti.
Histrio saltauit: qui Capanea ruit.
Idem qui Nioben saltauit saxeus, vt tum
Spectator veram crediderit Nioben,
In Canace, visus multo felicior ipsa:
Quod non hic gladio viscera dissecuit.

De eodem. LXXXIIII.

Daphnen & Nioben saltauit simius idem,
Ligneus vt Daphne saxeus vt Niobe.

Dodralis potio. LXXXV.

Dodra ex dodrante est. sic collige, ius, aqua vinum,
Sal, oleum, panis mel, piper, herba, nouem.

De eadem. LXXXVI.

Dodra vocor. Quæ causa? Nouem species gero. Quæ sunt?
Ius, aqua, mel, vinum, panis, piper, herba, oleũ, sal.

De eadem Dodra potione. LXXXVII.

Δόδρα πότος καὶ ἀριθμός ἔχω μέλι, οἶνον ἔλαιον,
Ἄρτον, ἅλας βοτάνην ζωμον, ὕδωρ, πέπερι.

De Iurisconsulto, qui vxorem habebat adulteram. LXXXIIX.

Iurisconsulto, cui viuit adultera coniux,
Papia lex placuit, Iulia displicuit.
Quæritis vnde hæc sit distantia? semiuir ipse
Scatiniam metuens, non metuit Titiam.

Ad Zoilum: qui vxorem mœcham duxerat. LXXXIX.

Semiuir vxorem duxisti Zoile mœcham.
O quantus fiet quæstus vtrinque domi!

Quum dabit vxori molitor tuus, & tibi adulter,
Quantum deprensi damna pudoris emunt?
Sed modò quæ vobis lucrosa libido videtur,
Iacturam senio mox subeunte feret.
Incipient operas conducti vendere mœchi,
Quos modo munificos lena iuuenta tenet.

Ad Venerem δύσερως. XC.

Hãc amo, quæ me odit: cõtra, hãc quoniã me amat, (odi.
Compone inter nos, si potes alma Venus.
Perfacile id faciam: mores mutabo & amores.
Oderit hæc, amet hæc. Rursus idem patiar.
5 *Vis ambas vt ames? Si diligat vtráque vellem.*
Hoc tibi tu præsta Marce, vt ameris ama.
Suasisti, Venus ecce, duas dyseros vt amarem.
Odit vtráque: aliud da modo consilium.
Vince datis ambas. Cupio: verum arcta domi res.
10 *Pellice promissis. Nulla fides inopi.*
Attestare deos. Nec fas mihi fallere diuos.
Peruigila ante fores. Nocte capi metuo.
Scribe elegos. Nequeo, Musarum & Apollinis ex- (pers.
Frange fores. Pœnas iudicij metuo.
15 *Stulte ab amore mori pateris: non vis ob amorem.*
Malo miser dici, quàm miser, atque reus.
Suasi quod potui: tu alios modo consule. Dic quos?
Quod sibi suaserunt, Phædra & Elissa, dabunt,
Quod Canace, Phyllisque & fastidita Phaoni.
20 *Hoc das consilium? Tale datur miseris.*

Pulchrum dei responsum. XCI.

Doctus Hylas cæstu, Phegeus catus arte palestræ.

Clarus

Clarus Olympiacis & Lycus in stadijs.
An possent omnes venturo vincere agone,
Hammonem Libyæ consuluere deum.
Sed deus, vt sapiens, Dabitur victoria vobis,
Indubitata quidem si caueatis, ait,
Ne quis Hylam cæstu, ne quis certamine luctæ
Phegea, ne cursu te Lyce prætereat.

De Hermiones zona. XCII.

Pumica turgentes redimibat zona papillas
Hermiones: Quæ textum elegeion erat.
Qui legis hunc titulū Paphie tibi mādat ames me:
Exemploque tuo neminem amare vetes.

De Hyla, quem Naiades rapuerunt. XCIII.

Aspice, quàm blandæ necis ambitione fruatur,
Letifera experiens gaudia, pulcher Hylas!
Oscula & infestos inter moriturus amores,
Ancipites patitur Naiadas Eumenidas.

Ad Nymphas: quæ Hylam merserunt. XCIV.

Furitis procaces Naiades,
Amore sæuo, & irrito.
Ephebus iste flos erit.

De Narcisso: qui suiipsius amore captus erat. XCV.

Si cuperes alium, posses Narcisse potiri.
Nunc tibi amoris adest copia: fructus abest.

De eodem. XCVI.

Quid non ex huius forma pateretur amator,

Ipse suam qui sic deperit effigiem?

In Echo dolentem propter mortem Narcissi. XCVII.

Commoritur Narcisse tibi resonabilis Echo,
Vocis ad extremos exanimata modos.
Et pereuntis adhuc gemitum resecuta querelis,
Vltima nunc etiam verba loquentis amat.

De Hermaphrodito. XCIIX.

Mercurio genitore satus, genitrice Cythere,
Nominis vt mixtis, sic corporis Hermaphroditus,
Concretus sexu, sed non perfectus vtróque:
Ambiguæ Veneris, neutro potiundus amori.

De coniunctione Salmacis cum Hermaphrodito. XCIX.

Salmacis optato concreta est, nympha marito.
Felix virgo sibi si scit inesse virum.
Et tu formosæ iuuenis permixte puellæ,
Bis felix, vnum si licet esse duos.

Ad Apollinem, de Daphne puella fugiente. C.

Pone arcum Pean, celerésque reconde sagittas.
Non te virgo fugit sed tua tela timet.

Ad corticem, quo Daphne tegebatur. CI.

Inuide cur properas cortex operire puellam?
Laurea debetur Phæbo si virgo necatur.

In duas sorores diuersorum morum. CII.

Delia, vos miramur: & est mirabile: quod tam
Dissimiles estis, túque sorórque tua.
Hæc habitu casto, quum non sit, casta videtur:

Tu, præter cultum, nil meretricis habes.
Quum casti mores tibi sint, huic cultus honestus:
Te tamen & cultus damnat & actus eam.

Ad Gallam. CIII.

Vado, sed sine me, quia te sine: nec nisi tecum
Totus ero pars quum sim altera Galla tui.
Vado tamen sed dimidius vado minor ipso
Dimidio: nec me iam locus vnus habet.
Nam tecum fere totus ero, quocunque recedam.
Pars veniet mecum quantulacunque mei.
Separor vnus ego: sed partem sumo minorem
Ipse mei, tecum pars mea maior abit.
Si redeam: tibi totus ero pars nulla vacabit.
Quæ mox non redeat in tua iura. Vale.

In Venerem Anadyomenen. CIV.

Emersam pelagi nuper genitalibus vndis
Cyprin Apellei cerne laboris opus:
Vt complexa manu madidos salis æquore crines
Humidulis spumas stringit vtraque comis.
Iam tibi nos Cypri, Iuno, inquit & innuba Pallas,
Cedimus, & formæ præmia deserimus.

In puerum formosum. CV.

Dum dubitat natura, marem, faceretne puellam
Factus es ô pulcher pæne puella puer.

In scabiosum Polygitonem. CVI.

Thermarum in solio si quis Polygitona vidit
Vlcera membrorum scabie putrefacta fouentem:
Præposuit cunctis spectacula talia ludis.
Principio tremulis gannitibus aëra pulsat.

Inuida cur in me stimulasti musa Maronem,
Fingeret ut nostræ damna pudicitiæ?
Vos magis historicis lectores credite de me,
Quam qui furta deûm concubitúsque canunt,
Falsidici vates: temerant qui carmine verum:
Humanisque deos assimilant vitijs.

De tribus incestis. CXII.

Tres vno in lecto. stuprum duo perpetiuntur,
Et duo committunt quatuor esse reor.
Falleris, extremis da singula crimina: & illum
Bis numeres medium: qui facit & patitur.

In Castorem. CXIII.

Lambere quum vellet mediorum membra virorum
Castor, nec posset vulgus habere domi:
Repperit, ut nullum fellator perderet inguen:
Vxoris cœpit lingere membra suæ.

De amissa puella. CXIIII.

Tres fuerant charites: sed dum mea Lesbia vixit,
Quattuor: vt perijt, tres numerantur item.

In Faustulum staturæ breuis Anicii Probini. CXV.

Faustulus insidens formicæ, vt magno elephante,
Decidit: & terræ terga supina dedit,
Moxq; idem est ad mortem multatus calcibus eius:
Perditus ut posset vix retinere animam.
Vix tamen est fatus: Quid rides, improbe Liuor?
Quod cecidi? cecidit non aliter Phaëthon.

In Eunum Liguritorem. CXVI.

Eune, quid affectas vendentem Phyllida odores?

Dicere

Diceris hanc mediam lambere, non molere.
Perspice, ne merces fallant te nomina: vel, ne
Aëre Seplasiæ decipiare, caue.
Dum Custon Costónque putas communis odoris:
Et Nardum, ac Sardas, esse sapore pari.
Diuersa infelix & lambit, & olfacit Eunus.
Dissimilem olfactum naris & oris habet.

In eundem Eunum. CXVII.

Salgama nō hoc sunt, quod Balsama: cedite odores.
Nec male olere mihi, nec bene olere placet.

In eundem Eunum. CXVIII.

Λαῒς, ἔρως, & ἴτυς, χείρων, & ἔρως ἴτυς alter,
Nomina si scribis, prima elementa adime:
Vt faciam verbum, quod tu facis Eune magister.
Dicere me Latium non decet opprobrium.

In eundem. CXIX.

Eune, quod vxoris grauidæ putria inguina lambis:
Festinas glossas non natis tradere natis.

Ad eundem pædagogum liguritorem. CXX.

Eunus Syriscus inguinum liguritor,
Opicus magist r sic eum docet Phyllis.
Muliebre membrum quadriangulum cernit.
Triquetro coactu Δ litteram ducit.
De valle femorum altrinsecus paras rugas.
Mediúmque fissi rima qua patet, callem,
Ψ dicit esse: nam trifissilis forma est.
Cui ipse linguam quum dedit, sua n Λ est.
Verámque in illis esse Φ notam sentit,
Quid imperite ↄ putas ibi scriptum:

Vi locari lota conuenit longum?
Miselle doctor, id tibi sit obscœno.
Tuú nque nomen θ sectilis signet.

In Medeæ imaginem. CXXI.

Medêam vellet quum pingere Timomachi mens,
Voluentem in natos crudum animo facinus:
Immanem exhausit rerum in diuersa laborem,
Fingeret affectum matris vt ambiguum.
Ira subest lachrymis, miseratio non caret ira.
Alterutrum videas, vt sit in alterutro.
Cunctantem satis est. nam digna est sanguine mater
Natorum, tua non dextera Timomache.

In eandem. CXXII.

Quis te pictorum simulauit pessima Colchis:
In natos crudum voluere mente nefas?
Vsque adeóne sitis puerorum haurire cruorem,
Vt ne picta quidem parcere cæde velis?
Nunnam te pellex stimulat? nunne alter Iason,
Altera vel Glauce sunt tibi causa necis?
Quin ne picta quidem sis barbara: nanque tui vim
Cera tenax zeli concipit immodicam.
Laudo Timomachũ: matrem quòd pinxit in ensem,
Cunctantem: prolis sanguine me maculet.

In quendam, qui leuia sibi inguina faciebat. CXXIII.

Inguina quod calido leuas tibi dropace, causa est:
Irritant volsas leuia membra lupas.
Sed quod & elixo plantaria podice vellis:
Et teris incusas pumice Clazomenas:

Causa

Causa latet: bimarem nisi quod patientia morbum
Appetit: & tergo femina pube vir es.

In cæcum & claudum. CXXIIII.

Insidens cæco graditur pede claudus vtróque.
Quo caret alteruter, sumit ab alterutro.
Cæcus námque pedes claudo, gressúmque ministrat:
At claudus cæco lumina pro pedibus.

Idem. CXXV.

Ambulat insidens cæco pede captus vtróque:
Atque alterna subit munia debilitas.
Nam cæcus claudo pede commodat: ille vicißim
Mutua dat cæco lumina pro pedibus.

De diuite, & paupere. CXXVI.

Non est diues opum diues: nec pauper inopsq́;
Infelix: alio nec magis alter eget.
Diues eget gemmis, cereali munere pauper.
Sed quum egeant ambo, pauper egens minus est.

De Penelope. CXXVII.

Intemerata procis & tot seruata per annos,
Oscula vix ipsi cognita Telemacho.
Hinc mea virginitas facibus tibi lusit adultis:
Arsit & inuidia principe verus amor.
Sæpe ego mentitis tremui noua femina somnis, 5
Lapsáque non merito sunt mihi verba sono.
Et tamen ignotos sensi experrecta dolores.
Stratáque tentaui sicca pauente manu.
Nam tibi anhelanti, supremáque bella mouenti,
Paruit indulgens, & sine voce dolor. 10
Dente nihil violare fero, nihil vnguibus ausæ:

Fœdera nam tacita pace peregit amor.
Denique non auiam tremulo clamore vocauit:
Nec prior obsequio serua cucurrit anus.
15 *Ipsa verecundo tetigi pallore puellas,*
Impositum teneri fassa pudoris opus.

In Grammaticum. CXXVIII.

Felix Grammaticus non est sed nec fuit vnquam.
Nec quisquam est felix nomine Grammaticus.
At si quis felix præter fatum extitit vnquam:
Is demum excessit grammaticos canonas.

De infausto matrimonio Grammatici. CXXIX.

Arma virúmque docens, atque arma virúmque peritus.
Non duxi vxorem sed magis arma domum.
Námque dies totos, totásque ex ordine noctes
Litibus oppugnat méque, meúmque larem.
Atque vt perpetuis dotata à Marte duellis,
Arma in me tollit, nec datur vlla quies.
Iámque repugnanti dedam me: vt denique victum
Iurget ob hoc solum iurgia quod fugiam.

De Auxilio Grammatico. CXXX.

Emendata potest quæ nam vox esse magistri,
Nomen qui proprium cum vitio loquitur?
Auxilium te nempe vocas inscite magister.
Da rectum casum: iam Selecismus eris.

De fratribus Thebanis. CXXXI.

Nec Stygijs lucis ineunt sua fœdera fratres
Oedipodionidæ, de misero ah miseri.
Námque etiam ex vno surgentes aggere flammæ

In diuersa sui dißiliunt cineris.
Infandos iuuenes? quos nec discordia, cassos
Luce, nec in semet linquit atrox animus.
Atq. utinam & Thebas quissent partirier ipsas,
Regnorum & metas, ut cinerum nebulas.

De ingratis ex Menandro. CXXXII.

Nil homine terra peius ingrato creat.
Vicinus, hospes, notus, ignotus cliens,
Et si qua genera sunt id ciuium genus,
Si quid petenti promptus opis impertias
Ut miseræ: gratia actutum perit.

De Demosthene. CXXXIII.

Discere si cupias doctis quàm multa licebit.
Quæ nocti, meditando velis inolescere menti.
Quæ dedicisti haud dum dicēdo absumere tendas.

De vxore deformi. CXXXIIII.

Deformis uxor cui sit ancilla elegans:
Vxorem habere, subigere ancillam velit.

De fortunæ varietate. CXXXV.

Fortuna nunquam sistit in eodem statu.
Semper mouetur: variat, & mutat vices.
Et summa in imum vertit, ac versa erigit.

In Stellam. CXXXVI.

Stella prius superis fulgebat lucifer: at nunc
Extinctus, caßis lumine vesper eris.

Ex Menandro. CXXXVII.

Re fruere ut natus mortalis, dilige sed rem,
Tanquam immortalis, sors est in utroq; verenda.

Ad notarum velocissimè excipientem. CXXXVII.

Puer notarum præpetum,
Sollers minister aduola.
Bipatens pugillar expedi:
Cui multa fandi copia.
5 *Punctis peracta singulis*
Vt una vox absoluitur.
Euoluo libros uberes.
Instarq; densæ grandinis,
Torrente lingua perstrepo.
10 *Tibi nec aures ambigunt,*
Nec aucupatur pagina.
Et mota parce dextera
Volat per æquor cereum.
Quum maximè nunc proloquor,
15 *Circum loquentis ambitu:*
Tu sensa nostri pectoris
Vix dicta iam ceris tenes.
Sentire tam velox mihi
Vellem dedisset mens mea:
20 *Quam præpetis dextræ fuga,*
Tu me loquentem præuenis.
Quis, quæso, quis me prodidit?
Quis ista iam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?
25 *Quæ furta corde in intimo*
Exercet ales dextera?
Quis ordo rerum tam nouus,

Veniat

Veniat in aures ut tuas,
Quod lingua nondum absoluerit?
Doctrina non hæc præstitit: 30
Nec ulla tam velox manus
Celeripedis compendij.
Natura munus hoc tibi,
Deusq; donum tradidit:
Quę loquerer, ut scires priùs 35
Idemq; velles, quod volo.

AVSONII EPIGRAMMATA quatuor, quibus fastorum à se digestorum meminit.

AVSONIVS HESPERIO filio salutem. I.

Ignota æternæ ne sint tibi tempora Romæ,
Regibus & patrum ducta sub imperijs,
Digessi fastos, & nomina perpetis æui:
Sparsa iacent Latiam si qua per historiam.
Sit tuus hic fructus, vigilatas accipe noctes.
Obsequitur studio nostra lucerna tuo.
Tu quoq; venturos per longum consere Ianos,
Vt mea congessit pagina præteritos.
Exemplum iam patris habes: ut protinus & te
Aggreget Ausonijs purpura consulibus.

Supputatio ab Vrbe condita in consulatum nostrum. II.

Annis undecies centum coniunge quaternos,
Vndecies, unamq; super trieterida necte.

Hæc erit æternæ series ab origine Romæ.

De eodem ad Proculum. III

Vrbis ab æternæ deductam rege Quirino
Annorum seriem quum Procule accipies:
Mille annos, centumq;, & bis fluxisse nouenos
Consulis Ausonij nomen adusq; leges.
Fors erit, vt lustrum quum se cumulauerit istis
Confectam Proculus signet Olympiadem.

In fine eiusdem libri addito. IIII

Hactenus adscripsi Fastos, si fors volet vltra
Adijciam, si non: qui legis, adijcias.
Scire cupis, qui sim? titulũ qui quartus ab vno est,
Quære, leges nomen Consulis Ausonij.

AVSO.

AVSONII BVR-DIGALENSIS EPHEMERIS,

id est,
Totius diei negotium.

*

MAne iam clarum referat fenestras,
Iam strepit nidis vigilax hirundo.
Tu, velut primam, mediamq; noctẽ,
Parmeno dormis.
Dormiunt glires hiemem perennem,
Sed cibo parcunt. tibi causa somni, 5
Multa quod potas, nimiaq; tendis
Mole saginam.
Inde nec flexas sonus intrat aures:
Et locum mentis sopor altus vrget, 10
Nec coruscantis oculos lacessunt
Fulgura lucis.
Annuam quondam iuueni quietem,
Noctis & lucis vicibus manentem,
Fabulæ fingunt: cui Luna somnos 15
Continuarit.
Surge nugator, lacerande virgis.
Surge: ne longus tibi somnus, vnde
Non times, detur, rape membra molli

20 *Parmeno lecto.*

Fors & hæc somnum tibi cantilena
Sapphico suadet modulata versu.
Lesbiæ depelle modum quietis
Acer Iambe.

Item Parecbasis.

Puer eia surge: & calceos,
Et linteam da sindonem.
Da, quidquid est, amictui
Quod iam parasti: ut prodeam.
5 *Da rore fontano abluam*
Manus, & os & lumina.
Pateatq; fac sacrarium,
Nullo paratu extrinsecus,
Pia verba, vota innoxia,
10 *Rei diuina copia est.*
Nec tus cremandum postulo,
Nec liba crusti mellei.
Foculumq; viui cæspitis
Vanis relinquo altaribus.
15 *Deus precandus est mihi,*
Ac filius summi Dei,
Maiestas uniusmodi
Sociata sacro Spiritui.
Et ecce iam vota ordior:
20 *Et cogitatio, numinis*
Præsentiam sentit, pauens.
Pauet nequicquam spes, fides.

Oratio.

Oratio.

Omnipotens, solo mentis mihi cognite cultu,
Ignorate malis, & nulli ignote piorum,
Principio, extremóque carens: antiquior æuo,
Quod fuit, aut veniet: cuius formamq;, modúmque,
Nec mens complecti poterit, nec lingua profari: 5
Cernere quem solus: corámque audire iubentem
Fas habet, & patriam propter considere dextram:
Ipse opifex rerum, rebus causa ipsa creandis.
Ipse Dei verbum, verbum Deus, anticipator
Mundi quem facturus erat; generatus in illo 10
Tempore, quo tempus nondum fuit: editus ante,
Quàm iubar, & rutilus cælum illustraret Eous:
Quo sine nil actum: per quem facta omnia, cuius
In cælo solium: cui subdita terra sedenti,
Et mare, & obscuræ chaos insuperabile noctis: 15
Irrequies cuncta ipse mouens, vegetator inertum:
Non genito genitore Deus qui fraude superbi
Offensus populi, gentes in regna vocauit,
Stirpis adoptiuæ meliore propage colendus:
Cernere quem licuit proauis, quo numine viso, 20
Et patrem vidisse datum: contagia nostra
Qui tulit: & diri passus ludibria leti,
Esse iter æternæ docuit remeabile vitæ:
Nec solam remeare animam, sed corpore toto
Cælestes intrare plagas, & inane sepulchri 25
Arcanum vacuis adopertum linquere terris.
Nate patris summi, nostróque salutifer æuo,
Virtutes patrias genitor cui tradidit omnes,

Nil ex inuidia retinens plenúsque datorum,
30 Pande viã precibus,patriásq.hæc perfer ad aures.
Da pater inuictam contra omnia crimina mẽtem.
Vipereúmq; nefas nociturí auerte veneni.
Sit satis,antiquam serpens quod perdidit Euam,
Deceptúmque adiunxit Adam:nos sera nepotum
35 Semina,veridicis ætas prædicta prophetis,
Vitemus laqueos.quos letifer implicat anguis.
Pande viam:quæ me post vincula corporis ægri
In sublime ferat:puri qua lactea cæli
Semita,ventosæ superat vaga lumina Lunæ.
40 Qua proceres abiêre pij:quáq.integer olim
Raptus,quadriiugo penetrat super æthera curru
Helias.& solido cum corpore præuius Enoch.
Da pater æterni spiratam luminis auram:
Si lapides non iuro deos,vnúmque verendi
45 Suspiciens altare sacri:libamina vitæ
Intemerata fero:si te dominíque,deíque
Vnigenæ cognosco patrem,mixtumq; duobus,
Qui super æquoreas volitabat spiritus vndas.
Da genitor veniam , cruciataq; pectora purga:
50 Si te non pecudum fibris non sanguine fuso,
Quæro:nec arcano numen coniecto sub extis.
Si scelere abstineo errori ipse obnoxius: & si
Opto magis,quàm fido,bonus,purúsque probari.
Confessam dignare animam:si membra caduca
55 Exercor,& tacitum si pœnitet:altáque sensus
Formido excruciat,tormentáque sera gehennæ,
Anticipat,patiturq; suos mens saucia manes.

Da

Da pater hæc nostro fieri rata vota precatu.
Nil metuam, cupiámque nihil: satis hoc rear esse,
Quod satis est. nil turpe velim. nec causa pudoris 60
Sim mihi. nec faciam cuiquam, quæ tēpore eodem
Nolim facta mihi: nec vero crimine lædar,
Nec maculer dubio. paulum distare videtur
Suspectus veréque reus. male posse facultas
Nulla sit: & bene posse adsit tranquilla potestas. 65
Sim tenui victu, atque habitu. sim charus amicis.
Et semper genitor, sine vulnere nominis huius.
Non animo doleam, non corpore. cuncta quietis
Fungantur membra officijs. nec saucius vllis
Partibus, amissum quicquam desideret vsus. 70
Pace fruar. securus agam. miracula terræ
Nulla putem. suprema die quum venerit hora,
Nec timeat mortem bene conscia vita, nec optet.
Purus ab occultis quum te indulgente videbor,
Omnia despiciam. fuerit quum sola voluptas 75
Iudicium sperare tuum. quod dum sua differt
Tempora, cunctaturq; dies, procul exige sæuum
Insidiatorem blandis erroribus anguem.
Hæc pia, sed mæsto trepidantia vota reatu
Christe apud æternum placabilis assere patrem, 80
Saluator, deus, ac dominus, mens, gloria, verbum,
Filius, & vero verum de lumine lumen:
Æterno cum patre manens: in sæcula regnas.
Consona quem celebrāt modulati carmina Daid:
Et responsuris ferit aëra vocibus Amen. 85

Egressio.

Satis precum datum Deo.
Quamuis satis nunquam reis
Fiat precatu numinis.
Habitum forensem da puer.
Dicendum amicis est, Aue,
Valéque quod sit mutuum.
Quòd quum per horas quatuor
Inclinet ad meridiem,
Monendus est iam Sosias.

Locus inuitationis.

Tempus vocandis namque amicis appetit:
Ne nos, vel illi demoremur prandium:
Propere per ædes curre vicinas puer.
Scis ipse, qui sint. iámque dum loquor, redi.
Quinque aduocaui. sex enim conuiuium
Cum rege iustum: si super, conuicium est.
Abijt. relicti nos sumus cum Sosia.

Locus ordinandi coqui.

Sosia prandendũ est. quartam iam totus in horam
Sol calet. ad quintam flectitur vmbra notam.
An vegeto madeãt condita obsonia gustu,
(Fallere nanque solent) experiundo proba.
Concute feruentes palmis voluentibus ollas,
Tinge celer digitos iure calente tuos:
Vibranti lambat quos humida lingua recursu.

* * *

Desunt multa.

* * *

Quadru-

Quadrupedũ, & volucrũ, vel cum terrena marinis
Monstra admiscentur: donec purgantibus Euris
Difflatæ liquidum tenuentur in aëra nubes.
Nunc fora, nunc lites, lati modo pompa theatri
Visitur: & turmas equitum cædésque latronum
Perpetior: lacerat nostros fera belua vultus. 5
Aut in sanguinea gladio grassamur harena.
Per mare naufragum gradior pedes: & freta cursu
Transilio. & subitis volito super aëra pennis.
Infandas etiam veneres, incestáque noctis
Dedecora, & tragicos patimur per somnia cœtus. 10
Perfugium tamen est. quotiens portenta soporum
Soluit rupta pudore quies: & imagine fœda
Libera mens vigilat: totum bene conscia lectum
Pertractat secura manus. probrosa recedit
Culpa thori, & profugi minuiscunt crimina somni 15
Cerno, triumphantes inter me plaudere: rursum
Inter captiuos trahor exarmatus Alanos.
Templa Deûm, sanctasq; fores, palatiaq; aurea
Specto, & Sarrano videor discumbere in ostro:
Et mox fumosis conuiua accumbo popinis. 20
Diuinum perhibent vatem, sub frondibus vlmi
Vana ignauorum simulachra locasse soporum,
Et geminas numero portas quæ fornice eburno
Semper fallaces glomerat super aëra formas.
Altera quæ veros emittit cornea visus. 25
Quod si de dubiis conceditur optio nobis:
D[illegible] sse fidem lætis melius: quàm vana timeri.
Ecce ego iam mallim falli. nam dum modo semper

30 *Tristia vanescant, potius caruisse fruendis*
Quàm trepidare malis. satis est bene, si metus absit.
Sunt & qui fletus & gaudia controuersa
Coniectent: varióque trahant euenta relatu.
Ite per obliquos cæli mala somnia mundos,
35 *Inrequieta vagi qua difflant nubila nimbi.*
Lunares habitare polos, quid nostra subitis
Limina, & angusti tenebrosa cubilia tecti?
Me sinite ignauas placidum traducere noctes:
Dum redeat roseo mihi Lucifer aureus ortu.
40 *Quod si me nullis vexatum nocte figuris,*
Mollis tranquillo permulserit aëre somnus:
Hunc lucum, nostro viridis qui frondet in agro
Vlmeus, excubijs habitandum dedico vestris.

AVSONII

AVSONII BVRDIGALENSIS PARENTALIA.

Præfatio.

SCIO versiculis meis euenire, vt fastidiosè legantur. quippe sic meritum est eorum. Sed quosdam solet commendare materia: & aliquotiens fortasse lectorem, solum lemma sollicitat tituli: vt festiuitate persuasus, & ineptiam ferre contentus sit. Hoc opusculum nec materia amœnum est, nec appellatione iucundum. Habet mœstam religionem: qua carorum meorum obitus, tristi affectione commemoro. Titulus libelli est, PARENTALIA. Antiquæ appellationis hic dies, & iam inde ab Numa cognatorum inferiis institutus. nec quicquam sanctius habet reuerentia superstitum, quàm vt amissos venerabiliter recordetur.

Item præfatio versibus adnotata. I.

Nomina carorum iam condita funere iusto,
Fleta prius lachrymis, nunc memorabo modis,

Nuda sine ornatu, fandique carentia cultu.
Sufficit inferijs exequialis honos.
5 *Nam a funereis satis officiosa querelis,*
Annua ne tacitus munera prætereas:
Quę Numa cognatis solennia dedicat umbris:
Vt gradus, aut mortis postulat aut generis.
Hoc satis & tumulis, satis & telluris egenis.
10 *Voce ciere animas funeris instar habet.*
Gaudent compositi cineres sua nomina dici.
Frontibus hoc scriptis, & monumenta iubent.
Ille etiam mœsti cui defuit urna sepulchri,
Nomine ter dicto pæne sepultus erit.
15 *At tu quicunque es lector, qui fata meorum*
Dignaris mœstis commemorare elegis:
Inconcussa tuæ percurras tempora vitæ:
Et præter iustum funera nulla fleas.

IVLIVS AVSONIVS
Pater. II.

Primus in his pater Ausonius. quem ponere primũ
Et si cunctetur filius. ordo iubet.
Cura Dei placidæ functus quod honore senectæ.
Vndecies binas vixit Olympiadas.
5 *Omnia, quæ voluit, qui prospera vidit. & idem*
Optauit quicquid, contigit, ut voluit.
Non quia fatorum nimia indulgentia: sed quod
Tam moderata illi vota fuere viro.
Quem sua contendit septem sapientibus ætas.
10 *Quorum doctrinam moribus excoluit:*
Viueret ut potius, quàm diceret arte sophorum.

Quan-

Quanquam & facundo non rudis ingenio
Præditus, & vitas hominum ratione medendi
Porrigere, & fatis amplificare moras.
Inde & perfunctæ manet hæc reuerentia vitæ, 15
Ætas nostra illi quòd dedit hunc titulum:
Vt nullum Ausonius quem sectaretur, habebat:
Sic nullum, qui se nunc imitetur habet.

AEMILIA AEONIA
mater. III.

Proxima tu genitrix Æonia, sanguine mixto
Tarbellæ matris, patris & Æduici.
Morigeræ vxoris virtus cui contigit omnis:
Fama pudicitiæ, lanificæq; manus,
Coniugijq; fides & natos cura regendi,
Et grauitas comis lætaq; serietas.
Æternum placidos Manes complexa mariti.
Viua thorum quondam functa foue tumulum.

AEMILIVS MAGNVS ARBO-
rius auunculus. IIII.

Culta mihi est pietas, patre primū & matre vocatis,
Dicere sed rea fit, tertius Arborius.
Quem, primū memorare, nefas mihi, patre secundo.
Rursum non primum ponere pæne nefas.
Temperies adhibenda. 5
Ante alios quanquam patre secundus erit.
Tu frater genitricis, & vnanimis genitoris:
Et mihi qui fueris, quod pater, & genitrix.
Qui me lactentem puerum, iuuenémque, virúmque
Artibus ornasti: quas didicisse iuuat. 10

Te sibi Palladiæ antetulit toga docta Tolosæ.
Te Narbonensis Gallia præposuit.
Ornasti cuius Latio sermone Tribunal,
Et fora Hiberorum quæq; Nouempopulis.
15 *Hinc tenus Europam fama crescente, perito*
Constantinopolis rhetore te viguit.
Tu per mille modos per mille oracula fandi
Doctus, facundus, tum celer, atque memor.
Tu postquam primis placui tibi traditus annis,
20 *Dixisti nato, me satis esse tibi.*
Me tibi, me patribus clarum decus esse professus,
Dictasti fatis verba notanda meis.
Ergo vale, Elysiam sortitus auuncule sedem.
Hæc tibi do Musis carmina libo tuis.

CAECILIVS ARGICIVS ARBORius auus. V.

Officiosa pium ne desere pagina munus.
Maternum post hos commemoremus auum
Arborium, AEduico ductum de stemmate nomē,
Complexum multas nobilitate domus.
5 *Qua Lugdunensis prouincia, quáque potentes*
AEdues, Alpino quáque Vienna iugo.
Inuida sed nimium generíque opibúsque superbis
AErumna incubuit. Nanque auus & genitor
Proscripti regnum quum Victorinus haberet
10 *Victor: & in Tetricos recidit imperium.*
Tum profugū in terris, per quas erumpit A[illegible]rus,
Tarbellique furor perstrepit Oceani,
Grassantis dudum fortunæ tela pauentem

Pauper

Pauperis Æmiliæ conditio implicuit.
Mox tenuis multo quæsita pecunia nisu, 15
Solamen fesso, non & opes tribuit.
Tu cæli numeros, & conscia sidera fati
Callebas, studium dißimulanter agens.
Non ignota tibi nostræ quoque formula vitæ:
Signatis quam tu condideris tabulis. 20
Prodita non vnquam: sed matris cura retexit
Sedula, quam timidi cura tegebat aui.
Tu nonies denos vitam quum duxeris annos:
Expertus fortis tela cauenda deæ.
Amissum flesti post trina decennia natum 25
Saucius octenno limine cassus eras.
Dicebas sed te solatia longa fouêre:
Quod mea præcipuus fata maneret honos.
Et modo concilijs animarum mixta priorum
Fata tui certe nota nepotis habes. 30
Sentis quòd Quæstor, quod te Præfectus, & idem
Consul, honorifico munere commemoro.

AEMILIA CORINTHIA MAVra auia. VI.

Æmiliam nunc fare auiam pia cura nepotis:
Coniux prædicto quæ fuit Arborio.
Nomen huic ioculare datum: cute fusca quod olim,
Æquales inter Maura vocata fuit.
Sed non atra animo: qui clarior esset olore: 5
[illegible] non calcata qui niue candidior,
[illegible] ac non delicijs ignoscere prompta pudendis,
Ad perpendiculum seque suósque habuit.

Hæc me præreptum cunis & ab vbere matris,
10 *Blanda sub austeris imbuit imperijs.*
Tranquillos auiæ cineres præstate quieti
AEternum Manes: si pia verba loquor.

AEMILIA HILARIA, MATERTERA, VIRGO DEUOTA. VII.

Tuq; gradu generis matertera, sed vice matris,
Affectu nati commemoranda pio,
AEmilia in cunis Hilari cognomen adepta,
Quod læta: & pueri comis ad effigiem.
5 *Reddebas verum non dissimulanter ephebum,*
More virum medicis artibus experiens.
Femineï sexus odium tibi semper: & inde
Creuit deuotæ virginitatis amor.
Quę tibi septenos nouies est culta per annos.
10 *Quique aui finis, ipse pudicitiæ.*
Hæc, quia vti mater monitis & amore fouebas,
Supremis reddo filius exequijs.

CL. CONTENTVS, & IVLIVS Calippio patrui. VIII.

Et patruos Elegia meos reminiscere cantu.
Contentum: tellus quem Rutupina tegit.
Magna cui & variæ quæsita pecunia sortis,
Hæredis nullo nomine tuta perit.
5 *Raptus enim lætis, & adhuc florentibus annis*
Trans mare, & ignaris fratribus oppetijt.
Iulius in longam produxit fata senectam,
Affectus damnis innumerabilibus.
Qui, comis, blandúsque, & mensa commodus vnctæ,

Hæredes

Hæredes solo nomine nos habuit. 10
Ambo pij, vultu similes, ioca seria mixti,
Æui fortunam non habuêre parem.
Discreti quanquam tumulis & honore iacetis,
Commune hoc verbi munus habete, Vale.

ATTVSIVS LVCANVS TALISIUS socer. IX.

Qui proceres, veterémque volet celebrare Senatum,
Claráque ab exortu stemmata Burdigalæ:
Téque, tuúmque genus memoret Lucane Talisi:
Moribus ornasti qui veteres proauos.
Pulcher honore oris tranquillo pectore, comis, 5
Facundo ciuis maior ab ingenio.
Venatu & ruris cultu victúsque nitore,
Omne æuum peragens, publica despiciens.
Nosci inter primos cupiens, prior esse recusans.
Ipse tuo viuens segregus arbitrio. 10
Optabas tu me generum florente iuuenta.
Optare haud tantum, non & habere datum.
Vota probant superi meritísque fauentia sanctis
Implent fata viri quod voluêre boni.
Et nunc perpetui sentis sub honore sepulchri, 15
Quàm reuerens natæ, quámque tui maneam.
Cælebs nanque gener nunc hæc pia munera soluo.
Nam & cælebs nunquam desinet esse gener.

ATTVSIA LVCANA SABINA vxor. X.

Hactenus vt caros, ita iusto funere fletos
Functa pijs cecinit nænia nostra modis.

Nunc dolor, atque cruces, nec contrectabile fulmen
Coniugis ereptæ mors memoranda mihi.
5 Nobilis à proauis, & origine clara Senatus,
Moribus vsque bonis clara Sabina magis.
Te iuuenis primis luxu deceptus in annis,
Pérque nouem cælebs te fleo Olympiadas.
Nec licet obductum senio sopire dolorem:
10 Semper crudescit nam mihi pœna recens.
Admittunt alij solatia temporis ægri.
Hæc grauiora facit vulnera longa dies.
Torqueo deceptos ego vita cælibe canos:
Quóque magis solus, hoc mage mæstus ago.
15 Vulnus alit quod muta dom⁹ silet, & thorus alget:
Quòd mala non cuiquam, non bona participo.
Mæreo, si coniux alij bona: mæreo contra,
Si mala: ad exemplum tu mihi semper ades.
Tu mihi crux ab vtraq; venis: siue est mala, quòd tu
20 Dissimilis fueris: seu bona quòd similis.
Non ego opes cassas, & inania gaudia plango.
Sed iuuenis iuueni quòd mihi rapta viro.
Læta, pudica, grauis gen⁹ inclyta, & inclyta forma,
Et dolor, atque decus coniugis Ausonij.
25 Quæ modo septenos quater impletura Decembres,
Liquisti natos, pignera nostra, duos.
Illa fauore Dei: sicut tua vota fuerunt,
Florent, optatis accumulata bonis.
Et precor vt vigeant: tandemq; superstite vtro-
30 Nunciet hoc cineri nostra fauilla tuo.

AVSONIVS PARVVLVS filius. XI.

Non ego te infletum memori fraudabo querela,
Primus nate meo nomine dicte puer.
Murmura quẽ primis meditantem absoluere verbis,
Indolis & pæne planximus exequijs.
Tu gremio in proaui funus commune locatus:
Inuidiam tumuli ne paterere tui.

PASTOR NEPOS EX filio. XII.

Tu quoque maturos, puer immature, dolores
Irrumpis, mæsti luctus acerbus aui,
Pastor chare nepos, spes cuius, certa fuit res,
Hesperij patris tertia progenies.
Nomine quod casus dederat: quia fistula primum 5
Pastorale melos concinuit genito.
Sero intellectum vitæ breuis argumentum:
Spiritus afflatis quod fugit é calamis.
Occidis, emissæ percussus pondere testæ.
Abiecit tecto quam manus artificis. 10
Non fuit artificis manus hæc. manus illa cruenti
Certa fuit fati, suppositura reum.
Heu, quæ vota mihi, quæ rumpis gaudia, pastor!
Illa meum petijt tegula missa caput.
Dignior ô, nostræ gemeres qui fata senectæ: 15
Et querere meas mæstus ad exequias.

IVLIA DRYADIA SOROR. XIII.

Si qua fuit virtus, cuperet quam femina prudens

Esse suam: soror hac non Dryadeia fuit?
Quinetiam multas habuit, quas sexus habere
Fortior optaret nobilis, isque virum.
5 Docta satis vitámque colo famámque tueri:
Docta bonos mores ipsa, suísque docens.
Et verum, vita cui carius: unáque cura,
Nosse Deu : & fratrem diligere ante alios.
Coniuge adhuc iuuenis caruit: sed sexta vitam,
50 Moribus austeras æquiparauit anus.
Produxit celerem per sena decennia vitam,
Inq; domo ac tecto, quo pater oppetiit.

AVITIANVS FRATER. XIIII.

Auitianum, Musa, germanum meum
Dona querela funebri.
Minor iste natu me, sed ingenio prior
Artes paternas imbibit.
5 Verum iuuentæ flore læto perfrui,
Aeuique supra puberis
Exire metas, vetuit infesta Atropos,
Heu quanta vitæ decora!
Quem sæpe luctum: quem dolorem saucijs
10 Germane pubes deseris!
Germane carnis lege, & ortu sanguinis,
Amore pæne filius.

VAL. LATINVS EVRONIVS
gener. XV.

O generis clari decus, ô mihi funus acerbum,
Euronicè iuuenum lecte cohorte gener.
Occidis in prima raptus mihi flore iuuentæ,

Lacten-

Lactentis nati vix bene note pater.
Tu procerum de stirpe satus, prægressus & ipsos, 5
Vnde genus claræ nobilitatis erat.
Ore decens, bonus ingenio facundus, & omni
Dexteritate vigens, præcipuùsque fide.
Hoc præfecturæ sedes, hoc Illyris ora
Præside te experta est, fiscus & ipse cliens. 10
Nil æui breuitate tamen tibi laudis ademptum.
Indole maturus, funere acerbus obis.

POMPONIVS MAXIMVS adfinis. XVI.

Et te germanum non sanguine sed vice fratris,
Maximè, defunctum næna nostra canet.
Coniux nanque meæ tu consociate sorori,
Æui fruge tui destituis viduam.
Non domus hoc tantum sentit tua: sensit acerbum 5
Saucia proh casum curia Burdigalæ,
Te primore vigens, te deficiente relabens.
Inq; Valentinum te moriente cadens.
Heu, quare nato, qui à fruge & flore nepotum
Ereptus nobis Maxime, non frueris?
Sed frueris: diuina habitat si portio Manes:
Quæque futura olim gaudia, nosse datur.
Longior hic etiam lætorum fructus habetur,
Anticipasse diu quæ modò participas.

VERIA LICERIA, VXOR ARborij sororis filij. XVII.

[T]uoque vel nurus mihi nomine, vel vice natæ,
Veria, supremi carmen honoris habe.

Quod gereret totam femina sola domum.
Heu nimium iuuenis sed læta superstite nato,
10 *Atque viro patiens fata suprema obijt.*
Vnanimis nostræ & quondam germana Sabinæ,
Et mihi inoffenso nomine dicta soror.
Nunc etiam Manes placidos pia cura retractat:
Atque Pudentillam fantis honore colit.

LVCANVS TALISIVS * CV-
ram filij. XX.

Nec tantum matris spes vnica ephebe Talisi
Consobrine meis immemoratus eris.
Ereptus primis æui florentis in annis.
Iam tamen & coniunx iam properate pater.
Festinasse putes fatum: ne funus acerbum
Duceret hoc genitor, tam cito factus auus.

ATTVSIA LVCANA TALISIA.
Erminifcius Regulus adfinis. XXI.

Notitia exilis nobis Attusia tecum,
Cúmque tuo plane coniuge nulla fuit.
Verum tu nostræ soror es germana Sabinæ.
Adfinis quoque tu Regule, nomen habes.
Sortitos igitur tam cara vocabula nobis,
Stringamus mæsti carminis obsequio.
Quamuis Santonica procul in tellure iacentes
Peruenit ad Manes exequialis honos.

SEVERVS CENSOR IVLIANVS
consocer. XXII.

Desinite, ô veteres, Calpurnia nomina Frugi,
Vt proprium hoc vestræ gentis, habere decus.

Nec

Nec solus semper Censor Cato: nec sibi solus
Iustus Aristides, his placeant titulis.
Nam sapiens quicunque fuit, verúmque fidémque 5
Qui coluit, comitem se tibi Censor agat.
Tu grauis, & comis cum iustitiáque remissus,
Austeris doctus iungere temperiem.
Tu non adscito tibi me, nec sanguine iuncto,
Optasti nostras consociare domos. 10
Nempe aliqua in nobis morum simulachra tuorum
Effigies nostri præbuit ingenij.
Aut iam fortunæ sic se vertigo rotabat,
Vt pondus fatis tam bona vota darent.
Si quid apud Manes sentis fouet hoc tibi mentem: 15
Quod fieri optaras, id voluisse Deum.

PAVLINVS & DRYADIA, FIlii Paulini, & Megentiræ sororis filiæ. XXIII.

Qui nomen vultúnque patris, Pauline, gerebas,
Amissi specimen qui genitoris eras:
Propter quem luctus miserè decedere matris
Cœperat, efferret quum tua forma patrem.
Redderet & mores, & moribus adderet illud, 5
Paulinus caruit quo pater eloquium.
Eriperis lætis, & pubescentibus annis:
Crudáque adhuc matris pectora sollicitas.
Flemus enim raptam thalami de sede sororem,
Qu non maturo funere, Dryadiam, 10
Flemus: ego in primis: qui matris auunculus: & vos
Natorum tanquam diligo progeniem.

Illa manus inter genitricis & oscula patris
Occidit, Hispana tum regione procul.
15 Quam tener & primo, noue flos, decerperis æuo,
Nondum purpureas cinctus ephebe genas!
Quatuor ediderat nunc facta puerpera partus:
Funera sed tumulis iam geminata dedit.
Sic satis hoc, Pauline pater. diuisio facta est.
20 Debetur matri cætera progenies.

PAVLINVS, SORORIS GE-
ner. XXIIII.

Qui lætum ingenium, mores qui diligit æquor:
Quique fidem sancta cum pietate colit:
Paulini Manes mecum veneratus, amicis
Inroret lachrymis, annua liba ferens.
Aequæuus Pauline mihi, natámque sororis
Indeptus thalamo, sic mihi pæne gener.
Stirpis Aquitanæ mater tibi. nam genitori
Coßio Vasatum, municipale genus.
Scrinia præfecti meritus, rationibus inde
10 Præpositus Libycis, præmia opima capis.
Nam correcturæ tibi Tarraco Hibera tribunal
Præbuit, adfectans esse clienta tibi.
Tu socrum pro matre colens, adfinis haberi
Non poteras, nati cum fruerere loco.
15 Inter concordes vixisti fidus amicos,
Duodeuiginti functus Olympiadas.

AEMILIA DRYADIA MA-
tertera. XXV.

Te quoque Dryadiam materteram,

Flebilibus

Flebilibus modulis,
Germana genitus prope filius,
Ore pio veneror.
Quam thalamo, tædísque iugalibus 5
Inuida mors rapuit.
Mutauítque thorum feretri vice
Exequialis honor.
Discebas in me, matertera,
Mater uti fieres. 10
Vnde modo hoc mæstum tibi defero
Filius officium.

IVLIA CATAPHRONIA
amita. XXVI.

Quin & funereis amitam impartire querelis
Musa Cataphroniam.
Innuba deuotæ quæ virginitatis amorem,
Parcáque anus coluit.
Et mihi quod potuit, quamuis de paupere summa,
Mater uti, adtribuit.
Ergo commemorata, Aue: mæstúmque vocata
Pro genitrice, Vale.

IVLIA VENERIA AMITA. XXVII.

Et amita Veneria properiter obijt:
Cui breuia mela modifica recino.
Cinis uti placidula supera vigeat,
Loca tacita celeripes adeat Erebi.

IVLIA IDALIA CONsobrina. XXVIII.

Parua, etiam fuit Idalia.

Nomine prædita quæ Paphiæ,
Et speciem meruit Veneris.
Quæ genita est, mihi pæne soror.
Filia nam fuit hæc amitæ.
Quam celebrat sub honore pio
Nænia, carmine funereo.

AEMILIA MELANIA SOROR. XXIX.

Aemilia, vix nota mihi soror, accipe questus:
Debent quos cineri mæsta Elegeia tuo.
Coniunxit nostras æquæua infantia cunas:
Vno quamuis tu consule maior eras.
Inuida sed nimium Lachesis properata peregit
Tempora: & ad Manes funera acerba dedit.
Præmissa ergo vale. Manésque verere parentum,
Qui maiore æuo quique minore venit.

POMPONIA VRBICA CONSOCRUS, VXOR IULIANI CENSORIS. XXX.

Vt generis clari, veterum sic femina morum
Vrbica, Censoris nobilitata thoro,
Ingenitis pollens virtutibus, auctáque & illis
Quas docuit coniux, quam pater, & genitrix:
Quas habuit Tanaquil, quas Pythagoréa Theano,
Quæq; sine exemplo est in nece functa viri.
Et tibi si fatum sic permutare dedisset,
Viueret hoc nostro tempore Censor adhuc,
Sed neque tu viduo longum cruciata sub æuo.
10 *Protinus optato fine secuta virum.*
Annua nunc mæsti ferimus tibi iusta querelis,
Cum genero & natis consocer Ausonius.

COM-

COMMEMORATIO PROFESSORVM BVRDIGALENSIVM.

Præfatio. I.

Vos etiam, quos nulla mihi cognatio iunxit,
Sed fama & caræ relligio patriæ,
Et studium in libris, & sedula cura docendi,
Commemorabo, viros morte obita celebres.
Fors erit, vt nostros Manes sic adferat olim,
Exemplo cupiet qui pius esse meo.

TIBERIVS VICTOR MINERuius, Orator. II.

Primus Burdigalæ columen dicere, Mineruì,
Alter Rhetoricæ Quintiliane togæ:
Illustres quondam quo præceptore fuerunt
Constantinopolis, Roma, dehinc patria,
Non equidem certans cum maiestate duarum,
Solo sed potior nomine, quod patria.
Ad[illegible] at vsque licet Fabium Calaguris alumnum:
Non sit Burdigalæ dum cathedra inferior.
Mille foro dedit hæc iuuenes: bis mille senatus.

10 *Adiecit numero, purpureisque togis.*
Me quoque sed quoniam multa est prætexta silebo,
Téque canam de te non ab honore meo.
Siue panegyricos placeat contendere libros,
In Panathenaicis tu numerandus eris:
15 *Seu libeat fictas ludorum euoluere lites,*
Ancipitem palmam Quintilianus habet.
Dicendi torrens tibi copia: quæ tamen aurum,
Non etiam luteam volueret illuuiem.
Et Demosthenicum quod ter primum ille vocauit,
20 *In te sic viguit, cedat vt ipse tibi.*
An ne & diuini bona naturalia doni
Adijciam, memori quàm fueris animo,
Audita vt, vel lecta semel, confixa teneres:
Auribus & libris, esset vt vna fides?
25 *Vidimus & quondam tabulæ certamine longo,*
Omnes qui fuerant, enumerasse bolos.
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu.
Fundunt excisi per caua buxa gradus:
Narrantem fido per singula puncta recursu,
30 *Quæ data, per longas quæ reuocata moras.*
Nullo felle tibi mens liuida, tum sale multo
Lingua dicax, blandus & sine lite iocis.
Mensa nitens: quam non censoria regula culpet:
Nec nolit frugi Piso vocare suam.
35 *Nonnunquam pollens natalibus & dape festa:*
Non tamen angustas vt tenuaret opus.
Tanquã hæredis egẽs bis sex quinquennia functus
Fletus es à nobis, vt pater & iuuenis.

Et

Et nunc siue aliquid post fata extrema superſit,
Viuis adhuc, æui quod periit meminens.
Siue nihil ſupereſt, nec habent longa otia ſenſus, 40
Tu tibi vixiſti nos tua f..ma iuuat.

LATINVS ALCIMVS
Alethius Rhetor. III.

Nec me nepotes impij ſilentij
Reum ciebunt, Alcime.
Munusq; dignum, non & oblitum ferent
Tuæ miniſtrum memoriæ.
Opponit vnum, quem viris prioribus 5
Aetas recentis temporis.
Palmæ forenſis, & camenarum decus,
Exemplar vnum in literis:
Quas aut Athenis docta coluit Græcia,
Aut Roma per Latium colit. 10
Moreſne ſabor, & tenorem regulæ,
Adusq; vitæ terminum,
Quod laude clarus, quod paratus litteris,
Omnem re fugiſti ambitum?
Te nemo grauior, vel fuit comis magis, 15
Aut liberalis indigis,
Danda ſalute, ſi forum res poſceret:
Studio docendi, ſi ſcholam.
Viuent per omnem poſterorum memoriam,
O... tu ſ..cræ famæ dabas. 20
...ianum tu magis famæ dabis,
Quàm ſceptra, quæ tenuit breui.

Sallustio plus conferent libri tui,
Quàm consulatus addidit.
25 *Morum tuorum decoris, & facundiæ*
Formam dedisti filiis.
Ignosce nostri læsus obsequio styli.
Amoris hoc crimen tui est,
Quod digna nequiens promere: officium colo,
30 *Iniuriose sedulus.*
Quiesce placidus, & caduci corporis
Damnum repende gloria.

LVCIOLVS RHETOR. IIII.

Rhetora Luciolum cum discipulo, atq; magistrum,
Collegamq; dehinc: nænia mæsta refer,
Facundum, doctumq; virum, seu lege metrorum
Condita, seu prosis solueret orsa modis.
5 *Eripuit patri Lachesis quem funere acerbo,*
Linquentem natos sexui vtroque duos.
Nequaquam meritis cuius responderit hæres,
Obscuros quamuis nunc tua fama iuuet.
Mitis amice, bonus frater, fidissime coniux,
10 *Nate pius, genitor, pænitet, vt fueris.*
Comis conuiuis, nunquam inclamare clientes,
Ad famulos nunquam tristia verba loqui.
Et placidos mores, tranquillo sic cole Manes,
Et cape ab Ausonio munus, amice, Vale.

ATTIVS PATERA PATER.
Rhetor. V.

AEtate quamquam viceris doctos prius,

Patera,

Patera fandi nobilis:
Tamen quod æuo floruisti proximo,
Iuuenisq; te vidi senem:
Hon re mæstæ non carebis næniæ, 5
Doctor potentum Rhetorum.
Tu Bagocassi stirpe Druidarum satus,
Si fama non fallit fidem,
Beleni sacratum ducis è templo genus:
Et inde vobis nomina: 10
Tibi Pateræ: sic ministros nuncupant.
Apollinaris mystici.
Fratri, patriq; nomen à Phœbo datum:
Natoq; de Delphis tuo.
Doctrina nulli tanta in illo tempore, 15
Cursusq; tot fandi & rotæ,
Memor, disertus, lucida facundia,
Carere cultu prædi tus,
Salibus modestus, felle nullo pe litus,
Vini, cibiq; abstemius, 20
Lætus, pudicus, pulcher: in senio quoq; vt
Aquilæ senectus, aut equi.

ATTICVS TIRO DELPHIdius, Rhetor. VI.

Facunde, docte, lingua & ingenio celer,
Iocis amœne Delphidi,
Sub ... ..as esto flebili threno patris,
... ui vt subibas æmulus.
..u pæne ab ipsis orsus incunabulis 5

Dei poëta nobilis,
Sertum coronæ præferens Olympiæ,
Puer celebrasti Iouem.
Mox inde cur sim more torrentis freti,
10 *Epos ligasti metricum:*
Vt nullus æqua lege liber carminum
Orationem nexeret.
Celebrara. varie cuius eloquentia
Domi forisq; claruit:
15 *Seu tu cohortis Præsulem prætoriæ,*
Prouinciarum aut iudices
Coleres: tuendis additus clientibus,
Famæ & salutis saucijs.
Felix: quietis si maneres litteris,
20 *Opus camænarum colens:*
Nec odia magnis concita litibus
Armaret vltor impetus.
Nec inquieto temporis Tyrannici
Palatio te attoleres.
25 *Dum spem remotam semper arceßis tibi,*
Fastidiosus obuiæ,
Tuumq; mauis esse, quàm fati bonum:
Desiderasti plurima,
Vagus per omnes dignitatem formulas,
30 *Meritusq; plura, quàm gerens.*
Vnde insecuto criminum motu graui,
Donatus ærumnis patris.
Mox inde Rhetor, nec docendi pertinax,
Curam fefellisti patrum,

Minus

Minus malorum munere expertus Dei, 35
Medio quòd æui raptus es,
Errore quòd non deuiantis filiæ,
Pœnaq́; læsus coniugis.

ALETIO MINERVIO FI-
lio Rhetori VII.

O flos iuuenum,
Spes læta patris.
Nec certa tuæ
Data res patriæ:
Non mansuris
Ornate bonis:
Ostentatus,
Raptusq́; simul,
Solstitialis
Velut herba solet,
Rhetor Alethi.
Tu Burdigalæ
Lætus patriæ
Clara cohortis
Vexilla regens
Pubere in æuo.

* *

Postq́; Pateræ,
Maior vtroq́;:
Tu [illegible]mæuis
[illegible]octor in annis,
Et præceptor,

Dei poëta nobilis,
Sertum coronæ præferens Olympiæ,
Puer celebrasti Iouem.
Mox inde cur sim more torrentis freti,
10 *Epos ligasti metricum:*
Vt nullus æqua lege liber carminum
Orationem nexeret.
Celebrara varie cuius eloquentia
Domi forisq; claruit:
15 *Seu tu cohortis Præsulem prætoriæ,*
Prouinciarum aut iudices
Coleres: tuendis additus clientibus,
Famæ & salutis saucijs.
Felix: quietis si maneres litteris,
20 *Opus camænarum colens:*
Nec odia magnis concita litibus
Armaret vltor impetus.
Nec inquieto temporis Tyrannici
Palatio te attoleres.
25 *Dum spem remotam semper arcessis tibi,*
Fastidiosus obuiæ,
Tuumq; mauis esse, quàm fati bonum:
Desiderasti plurima,
Vagus per omnes dignitatem formulas,
30 *Meritusq; plura, quàm gerens.*
Vnde insecuto criminum motu graui,
Donatus ærumnis patris.
Mox inde Rhetor, nec docendi pertinax,
Curam fefellisti patrum,

Minus

Minus malorum munere expertus Dei,
Medio quòd æui raptus es,
Errore quòd non deuiantis filiæ,
Pœnaq; læsus coniugis.

ALETIO MINERVIO FIlio Rhetori VII.

O flos iuuenum,
Spes læta patris.
Nec certa tuæ
Data res patriæ:
Non mansuris
Ornate bonis:
Ostentatus,
Raptusq; simul,
Solstitialis
Velut herba solet,
Rhetor Alethi.
Tu Burdigalæ
Lætus patriæ
Clara cohortis
Vexilla regens
Pubere in æuo.

* *

Postq; Pateræ,
Maior vtroq;:
Tu [illegible]mæuis
[illegible]ector in annis,
Et præceptor,

Tempore quo te
Discere adultum
Non turpe foret,
Cuncta habuisti
Commoda fati.
Prætextate
Iam genitori
Contuleras te.
Inde superbæ
Mœnia Romæ
Fama & meritis
Inclitus auxsti.
Floris adulti
Vota tuorum,
Et Rhetoricam
Fruge carentem,
Et connubium
Nobile soceri,
Sine pace patris:
Et diuitias
Vtriusq; sine
Herede suo
Deseruisti.
Omnia præcox
Fortuna tibi
Dedit, & rapuit:
Quam fatiloquo
Dicte profatu
Versus Horati:

NIHIL

NIHIL EST OMNIA
PARTE BEATVM.

LEONTIVS GRAMMATICVS, cognomento Beatus. VIII.

Qui colis lætos, hilarósque mores,
Qui dies festos, ioca, vota, ludum,
Annuum functi memora Leonti
Nomine threnum,
Iste lasciuus patiens vocari, 5
Nomen indignum probitate vitæ
Abnuit nunquam: quia gratum ad aures
Esset amicas.
Litteris tantum titulum assecutus,
Quantus exili satis est cathedræ: 10
Posset incertus numero ut videri
Grammaticorum.
Tu meæ semper socius iuuentæ,
Pluribus quamuis cumulatus annis, 15
Nunc quoque in nostris recales medullis,
Blande Leonti.
Et iuuat tristi celebrare cura,
Flebilem cantum, memoris querelæ.
Munus ingratum tibi, debitúmque
Carmine nostro.

GRAMMATICIS GRAECIS BVRdigalensibus. IX.

mulum post hos priùs, an Corinthi,
An ne Sperchéi, paritérque natis

Atticas musas memorem Menesthei
Grammaticorum?
5 *Sedulum cunctis studium docendi,*
Fructus exilis tenuisq; sermo:
Sed quia nostro docuêre in æuo,
Commemorandi.
Tertius horum mihi non magister:
10 *Cæteri primis docuêre in annis:*
Ne forem vocum rudis aut loquendi,
Sed sine cultu.
Obstitit nostræ quia, credo, mentis
Tardior sensus: neque disciplinis
15 *Appulit Græcis puerilis æui*
Noxius error.
Vos leuis cæspes tegat: & sepulchri
Tecta defendant cineres opertos:
Ac meæ vocis titulus supremum
20 *Reddat honorem.*

IVCVNDO GRAMMATICO BVRdigalensi, fratri Leontij. X.

Et te, quem cathedram temere vsurpasse loquūtur,
Nomen Grammatici nec meruisse putant:
Voce ciebo tamen, simplex bone, amice, sodalis,
Iucunde, hoc ipso care magis studio.
Quod quamuis impar nomen tam nobile amasti,
Es meritos inter commemorande viros.

GRAMMATICIS LATINIS BVdigalensib. Philologis, Macrino, Phœbitio, Concordic

cordio, Sucuroni, Ammonio Anastasio Grammatico Pictauiorum.

XI.

Nunc ut quémque mihi
Flebilis officij
Religiosus honor
Suggeret, expediam,
Qui, quamuis humili
Stirpe, loco ac merito,
Introtulère tamen
Grammaticæ studium
Ingeniis hominum
Burdigalæ rudibus.
Permaneat series.
Sit Macrinus in his,
Sobrius in pueris,
*Et puerorum**
Vtilis ingenijs.
Huic mea principio
Credita puerities.
Nec reticebo senem
Nomine Phœbitium:
Qui Beleni æditŭus
Nil opus inde tulit.
Sed tamen, ut placitum,
Stirpe satus Druydum,
Gentis Aremoricæ
Burdigalæ cathedram
Nati opera obtinuit.
Et tu concordi,

Qui profugus patria,
Mutasti sterilem
Vrbe alia cathedram.
Et libertina
Sucuro progenies,
Qui rudibus pueris
Prima elementa dabas.
Pange & Anastasio
Flebile, Musa, melum.
Burdigalæ genitum,
Transtulit ambitio,
Pictonicaq; dedit.
Pauper vbi, & tenuem
Victum habitúmque colens,
Gloriolam exilem
Et patriæ, & cathedræ
Perdidit in senio:
Doctrina exiguus,
Moribus implacidis.
Proinde, vt erat meritum,
Famam habuit tenuem.
Sed tamen hunc noster
Commemorauit honos.
Religiosum etenim
Commemorare meæ
Grammaticum patriæ,
Ne pariter tumulus
Nomen, & ossa tegat.

HERCVLANO SORORIS FILIO, Grammatico Burdigalensi. XII.

Herculane, qui pfectus gremio de nostro & schola
Spem magis, quàm rē fruendā præbuisti auunculo.
Particeps scholæ, & cathedræ pæne successor meæ,
Lubricæ nisi te iuuentæ præcipitem flexus daret,
Pythagorei non tenentem tramitis rectam viam.
Esto placidus: & quietus Manibus sedem foue,
Iam mihi cognata dudū inter memoratus nomina.

THALASSO, GRAMMATICO LAtino Burdigalensi. XIII.

Officium, noménque tuum, primæue Thalasse,
Paruulus audiui: vix etiam memini.
Qua forma, aut meritò fueris, qua stirpe parentum,
Ætas nil de te posterior celebrat.
Grammaticum iuuenem tantum te fama ferebat:
Tū quoque tā tenuis, quàm modò nulla manet.
Sed quicunque tamen nostro quia doctor in æuo
Vixisti, hoc, nostrum munus habeto, Vale.

CITARIO SICVLO SYRAcusano, Grammatico Burdigalensi Græco. XIIII.

Et Citari dialecte mihi: memorabere, dignus,
Grammaticos inter qui celebrêre bonos.
Esset Aristarchi tibi gloria, Zenodotique
Graiorum, antiquus si sequeretur honos.
arminibus, quæ prima tuis sunt condita in annis,
Concedit Cei Musa Simonidei.

Vrbe Satus Sicula, nostram peregrinus adisti:
Excultam studijs quam prope reddideras,
Coniugium nactus cito nobilis & locupletis,
10 *Inuidia fati non genitor moreris.*
At nos defunctum memori celebramus honore:
Fouimus vt viuum munere amicitiæ.

CENSORIO ATTICO AGRICIO Rhetori. XV.

Eloquij merito primis æquande, fuisti
Agrici hic positus posteriore loco
AEuo qui quoniam genitus functúsque recenti,
Dilatus nobis, non & omissus eras.
5 *Quæcunque in numero tristi memorabere throno:*
Vnus homo tumuli serus. & ante datus.
Tam generis tibi celsus apex, quàm gloria fandi,
Gloria Athenæi cognita sede loci:
Nazario, & claro quondam delata Pateræ,
10 *Egregie multos excoluit iuuenes.*
Coniuge nunc, natísque superstitibus, generóque,
Maiorum Manes, & monumenta foues.

NEPOTIANO GRAMMATICO, Fid. Rhetori. XVI.

Facete, comis, animo Iuuenali senex,
Cui felle nullo, melle multo mens madens,
AEuum per omne nil amarum miscuit:
Medela nostri Nepotiane pectoris,
5 *Tam seriorum quàm iocorum particeps,*

Tac

Taciturne, Amyclas, qui silendo vixeris.
Te fabulantem non Vlixes linqueret,
Liquit canentes qui melodas virgines.
Probe & pudice, parce, frugi, abstemie,
Facunde, nulli Rhetorum cedens stilo, 10
Et disputator ad Cleanthen Stoicon,
Scaurum Probúmque corde callens intimo:
Et Epirote Cinea memor magis.
Sodalis & conuictor, hospes iugiter:
Parum quod hospes mentis agitator meæ. 15
Consilia nullus mente tam pura dedit,
Vel altiore conditu texit data.
Honore gesti præsidatus inclytus,
Decies nouenas functus annorum vices,
Duos relinquens liberos, mortem oppetis, 20
Dolore multo tam tuorum quàm meo.

AEMILIVS MAGNVS ARBORIVS,
Rhetor Tolosæ. XVII.

Inter cognatos iam fletus, auuncule Manes:
Inter Rhetoricos nunc memorandus eris.
Illud opus pietas, istud reuerenda virorum
Nomina, pro patriæ relligione, habeant.
Bis meritum duplici celebremus honore parentem 5
Arborium. Arborio patre, & auo Argicio.
Stemma tibi patris AEduici. Tarbellica Mauræ
Matris origo fuit. ambo genus procerum.
Nobilis & dotata uxor. domus, & schola, cultæ
Principum amicitiæ contigerunt iuueni, 10

Dum Constantini fratres opulenta Tolosa
Exilij specie sepositos cohibet:
Byzanti inde arcem, Thressæq; Propontidis vrbem
Constantinopolim fama tui pepulit.
15 *Illic diues opum, doctóque ibi Cæsare honoratus*
Occumbis, patribus Magne superstitibus.
In patriam sed te sedem, ac monumenta tuorum,
Principis Augusti restituit pietas.
Hinc renouat causam lachrymis & flebile munus,
20 *Annuus ingrata relligione dies.*

EXVPERIVS, RHETOR Tolosæ. XIIX.

Exuperi memorande mihi, facunde sine arte,
Incessu grauis, & verbis ingentibus, ore
Pulcher, & ad summam, motuq; habituq; venusto:
Copia cui fandi longè pulcherrima: quàm si
5 *Auditu tenus acciperes deflata placeret.*
Discussam scires solidi nihil edere sensus.
Palladiæ primum toga te venerata Tolosæ:
Mox pepulit, leuitate pari Narbo inde recepit.
Illic Dalmatio genitos fatalia regum
10 *Nomina tum pueros grandi mercede docendi*
Formasti Rhetor metam prope puberis æui.
Cæsareum qui mox indepti nomen honorem
Præsidis, Hispanumq; tibi tribuêre tribunal.
Decedens placidos mores tranquillaq; vitæ
15 *Tempora prædiues finisti sede Cadurca.*
Sed patriæ te iura vocant, & origo parentum.
Burdigalæ vt rursum nomen de Rhetore reddas.

MAR-

MARCELLO MARCELLI FILIO
Grammatico Narbonensi. XIX.

Nec te Marcello genitus Marcelle silebo:
Aspera quem genitrix urbe, domo, pepulit.
Sed fortuna potens citò reddidit omnia, & auxit.
Amissam primum Narbo dedit patriam.
Nobilis hic hospes Clarentius indole motus, 5
Egregiam natam coniugio adtribuit.
Mox schola, & auditor multus. prætextaq; pubes,
Grammatici nomen, diuitiásque dedit.
Sed nunquam iugem cursum fortuna secundat, 10
Præsertim praui nacta virum ingenij.
Verum oneranda mihi non sunt: memorãda recepi
Fata. sat est dictum, cuncta perisse simul.
Non tamen & nomen, quo te non fraudo, receptum
Inter Grammaticos prætenuis meriti. 15

SEDATVS, RHETOR
Tolosanus. XX.

Relligio est, tacitum si te Sedate relinquam,
Quamuis docendi munus indepte es foris.
Communis patria est tecum mihi: sorte potentis
Fati, Tolosam nactus es sedem scholæ.
Illic coniugium natíque, opuléntque senectus, 5
Et fama, magno qualis est par Rhetori.
Quamuis externa tamen à regione reducit
Te patria & ciuem morte obita repetit.
Quãq; vagantem operam diuisæ impenderis urbi,
Arbitrium de te sumit origo suum. 10

Est tua nunc ſoboles morémque ſecuta parentis,
Narbonem ac Romam nobilitat ſtudijs.
. . . . Sed
Fama velit nolit Burdigalam referet.

STAPHYLIVS RHETOR, CIuis Auſcius. XXI.

Hactenus obſeruata mihi lex commemorandi
Ciues, ſiue domi, ſeu docuêre foris.
Externum ſed fas coniungere ciuibus vnum
Te, Staphyli, genitum ſtirpe Nouempopulis.
5 *Tu mihi quod genitor, quod auũculus. vnus vtrũq;.*
Alter vt Auſonius, alter vt Arborius.
Grammatice ad Scaurum, atque Probũ, promptiſſime Rhetor,
Hiſtoriam. callens, Liuij. & Herodoti.
Omnis doctrinæ ratio tibi cognita: quantam
10 *Condit ſexcentis Varro voluminibus.*
Aurea mens, vox ſuada tibi, tum ſermo quietus:
Nec cunctator eras, nec properante ſono.
Pulchra ſenecta, nitens habitus, procul ira, dolusq;,
Et placidæ finis congrua meta fuit.

CRISPVS & VRBICVS GRAMMAT. Latini & Græci. XXII.

Tu quoque in æuum Criſpe futurum
Mæſti venies commemoratus
Munere threni.
Qui primæuos, fandique rudes
Elementorum prima docebas,
Signa nouorum.

Creditur

Creditus olim feruere mero,
Vt Virgilij Flaccíq; locis
AEmula ferres.
Et ibi. Latijs posthabite orsis
Vrbice, Grais celebris, carmen
Sic ἐλελίτω.
Nam tu Crispo coniuncte tuo
Prosa solebas, & versu loqui
Impete eodem:
Priscos Heroas vt & olim
Carmine Homeri commemoratos
Fando referres:
Dulcem in paucis, vt Plisthenidem:
Et torrentem, ceu Dulichij
Ninguida dicta:
Et mellitæ nectare vocis
Dulcia fatu verba canentem
Nestora regem.

Ambo loqui faciles: ambo omnia carmina docti
Callentes mython plasmata, & historiam.
Liberi & ambo genus: sed quos meruisse deceret
Nancisci, vt cluerent patribus ingenuis.

VICTORINO SVBDOCTORI,
siue Proscholo. XXIII.

Victori studiose, memor, celer, ignoratis
Aßidue in libris nec nisi operta legens:
Exesas tineis, opicasq; euoluere chartas,
Maior quàm promptis cura tibi in studijs.

Quod ius pontificũ, quæ fœdera, stemma quod olim
Ante Numam fuerat sacrificis Curibus:
Quod Castor cunctis de regibus ambiguis, quod
Coniugis è libris ediderat Rhodope:
Quod ius Pontificum veterum quæ scita Quiritum
10 *Quę consulta patrum quid Draco, quidue Solon*
Sanxerit: & Locris dederit quæ iura Zaleucus:
Sub Ioue quæ Minos, quid Themis ante Iouem,
Nota tibi potius quàm Tullius, & Maro nostri,
Et quicquid Latia conditur historia.
15 *Fors istos etiam tibi lectio longa dedisset:*
Supremum Lachesis ni celerasset iter.
Exili nostræ fucatus honore cathedræ,
Libato tenuis nomine Grammatici,
Longinquis posthac Romæ defunctus in oris:
20 *Ad quas de Siculo littore transieras.*
Sed modo nobilium memoratus in agmine gaude:
Peruenit ad Manes si pia cura tuos.

DYNAMIO BVRDIGALENSI: QVI in Hispania docuit, & obiit. XXIIII.

Sed neque te mœsta Dynami fraudabo querela,
Municipem patriæ, causidicumq; meæ.
Crimine adulterij quem saucia fama fugauit:
Paruula quem latebris fouit Ilerda suis.
5 *Quem locupletauit coniux Hispana latentem.*
Nanque ibi mutato nomine, Rhetor era ,
Rhetor, Flauinij cognomine dissimulatus:
Ne posset profugum prodere culpa suum.

Reddiderat quamuis patriæ te ſera voluptas,
Mox reſidem rurſum traxit Ilerda domus. 10
Qualiſcunque tuæ fuerit fuga, famáque vitæ,
Iungeris antiqua tu mihi amicitia.
Officiumq; meum ſenſus ſi manibus vllus,
Accipe iam verus morte obita, Dynami.
Diuerſis quamuis iaceas defunctus in oris: 15
Commemorat mæſtis te pia cura elegis.

ATILIO GLABRIONI, GRAMMA-
tico IVN. Burdigalenſi. XXV.

Doctrinæ, vitæq; pari breuitate caducum,
Glabrio, te mæſtus commemorabo elegis.
Stemmate nobilium deductum nomen auorum
Glabrio Aquilini Dardana progenies.
Tu quondam puero compar mihi diſcipulo: mox, 5
Me dehinc facto Rhetore, Grammaticus.
Inq; foro tutela reis, & cultor in agris,
Digne, diu partis qui fruerère bonis.
Commode, læte benigne abſtemie, tam bone dandis
Semper conſilijs, quàm taciturnè datis. 10
Tam decus omne tuis, quã mox dolor, omnia acerbo
Funere præreptus, Glabrio, deſtituis.
Vxore & natis genitore & matre relictis,
Eheu quàm multis perdite nominibus.
Flete diu nobis, nunquam ſatis, accipe acerbum, 15
Glabrio in æternum commemorate, VALE.

Coronis. XXVI.

Quos legis à [illegible]ma deductos menide libris

Doctores patriæ scito fuisse meæ.
Grammatici in studio, vel Rhetoris, aut in vtroq;,
Quos memorasse mihi, morte obita, satis est.
5 *Viuentum inlecebra est laudatio. nomina tantum*
Voce ciere suis sufficiet tumulis.
Ergo qui nostræ legis otia tristia chartæ,
Eloquium tu ne quære, sed officium.
Quo claris doctisq; viris pia cura parentat:
10 *Dum decora egregiæ commeminit patriæ.*

POETA. XXVII.

Valete manes inclytorum Rhetorum.
Valete doctores probi.
Historia si quos, vel poëticus stilus,
Forumq; fecit nobiles:
5 *Medicæ vel artis dogma vel Platonicum,*
Dedit perenni gloriæ:
Et si qua cunctis cura viuentum placet,
Iuuátque honor superstitum:
Accipite mæstum carminis cultum mei,
10 *Textum querela flebili.*
Sedem sepulchris seruet immotus cinis,
Memoria viuat nominum.
Dum remeat illud iudicis dono Dei,
Commune cum dis sæculum.

EPITA-

EPITAPHIA HEROVM, QVI BELLO TROIANO INTERFVERVNT.

Ausonius Lectori suo S.

AD REM pertinere existimaui: vt vel vanum opusculum materiæ congruentis absoluerem: & libello, qui commemorationẽ habet eorum, qui vel peregrini Burdigalæ, vel qui Burdigalenses peregrè docuerunt, epitaphia subnecterẽ; scilicet titulos sepulchrales Heroum, qui bello Troiano interfuerunt. Quæ antiqua quum apud philologum quendam reperissem, Latino sermone conuerti, non vt inseruirent ordini persequendi, sed vt cohærerent liberè, nec aberrarent.

AGAMEMNONI. I.

Rex regum Atrides fraternæ coniugis vltor,
Oppetij manibus coniugis ipse meæ.
Quid prodest Helenes raptum punisse dolentem,
Vindicem adulterij quum Clytemestra necet?

MENELAO. II.

Felix ô Menelaë, Deûm cui debita sedes:

Decretúmque pijs Manibus Elysium.
Tyndareo dilecte gener, dilecte Tonanti,
Coniugij vindex, vltor adulterij,
Æterno pollens æuo æternáque iuuenta,
Nec leti passus tempora, nec senij.

AIACI. III.

Aiacis tumulo pariter tegor obruta virtus,
Inlachrymans bustis funeris ipsa mei:
Inconstans, lacerata comas, quod prauus Atrides
Cedere me structis compulit insidijs.
Iam dabo purpureum claro de sanguine florem,
Testantem gemitum crimina iudicij.

ACHILLI. IIII.

Non vna AEacidem tellus habet ossa teguntur
Littore Sigéo, crinem Larissa cremauit.
Pars tumuli . . . .
Orbe sed in toto . . . Homer . . .

VLIXI. V.

Conditus hoc tumulo Laërta natus Vlixes.
Perlege Odysseam, omnia nosse volens.

DIOMEDI. VI.

Conditus hic, genitore bono melior Diomedes.
Crimen ob vxoris pulsus dotalibus agris,
Argyripam clarósque viris qui condidit Argos:
Clarior vrbe noua, patriæ quàm sede vetusta.

ANTILOCHO. VII.

Consilijs, bellóque bonus, quæ copula rara est,

Car-

Carus & Atridis, carus & Aeacidis:
Præmia virtutis, simul & pietatis adeptus,
Seruato Antilochus Nestore patre obij.
Non hic ordo fuit: sed iustius ille superstes:
Troia capi sine quo perfida non poterat.

NESTORI. VIII.

Hoc tegor in tumulo, quarti iam prodigus æui
Nestor, consilio clarus, & eloquio.
Obiecit sese cuius pro morte peremptus
Filius: & nati vulnere viuo pater.
Eheu, cur fatis disponere sic placet æuum,
Tam longum, vt nobis, tam breue, vt Antilocho?

PYRRHO. IX.

Orbe tegor medio maior virtute paterna,
Quod puer, & regis Pyrrhus opima tuli.
Impius ante aras quem fraude peremit Orestes.
Quid mirum, cæsa iam genitrice furens?

EVRYALO. X.

Nec me non dignum titulo Pleuronia credit:
Cui communis erat cum Diomede domus:
Euryalo & Sthenelo Nam tertius hoc ego regnum
Possedi: de quo [illegible] nc satis est tumulus.

G[illegible]EO. XI.

Gunea pontus [illegible] et. tumulus sine corpore. nomen,
Fama homine[illegible] ter. cœlum animus repetit.
Cuncta eleme[illegible] duci tanto commune sepulchrum.
Quæ [illegible] & tellus, & mare, & ora virum.

PROTESILAO. XII.

Fatale adſcriptum nomen mihi Proteſilao:
Nam primus Danaûm bello obij Phrygio.
Audaci ingreſſus Sigëia littora ſaltu,
Captus pellacis Lertiadæ inſidijs.
Qui ne Troianæ premeret pede littora terræ:
Ipſe ſuper proprium deſilijt clipeum.
Quid queror? hoc letum iam tum mea fata canebãt:
Tale mihi nomen quum pater impoſuit.

DEIPHOBO. XIII.

Proditus ad pœnam ſceleratæ fraude Lacenæ
Et deformato corpore Deiphobus.
Non habeo tumulum, niſi quem mihi voce vocantis
Et pius Aeneas & Maro compoſuit.

HECTORI. XIIII.

Hectoris hic tumulus. cũ quo ſua Troia ſepulta eſt.
Conduntur pariter: qui periêre ſimul.

ASTYANACTI. XV.

Flos Aſiæ: tantáque vnus de gente ſuperſtes,
Paruulus A giuis. ſed iam de patre timendus,
Hic iaceo, Aſtyanax, Scæis deiectus ab altis.
Pro dolor! Iliaci Neptunia mœnia muri
Viderunt aliquid crudelius Hec re tracto.

SARPEDONI. VI.

Sarpedon Lycius, genitus Ioue, nun ne patris
Sperabam cælum: ſed tegor hoc tu lo,
Sanguineis fletus lachrymis. pro ferrea fata!
Et patitur luctum, qui prohibere pot ?

NASTI & AMPHIMACHO. XVII.

Nastes, Amphimachusq; Nomionis inclyta proles,
Ductores quondam, puluis, & vmbra sumus.

TROILO. XVIII.

Hectore prostrato, nec Dis nec viribus æquis
Congressus .... Troilus, Aeacidæ
Raptatus bigis, fratris coniungor honori:
Cuius ob exemplum nec mihi pœna grauis.

Hanc lacunã verbo *perij* repleuerant.

POLYDORO. XIX

Cede procul, myrtumq; istũ fuge nescius hospes.
Telorum seges est sanguine adulta meo.
Confixus iaculis, & ab ipsa cæde sepultus,
Condor in hoc tumulo bis Polydorus ego.
Scit pius Aeneas & tu rex impie: quod me
Thracia pœna premit, Troiáque cura tegit.

EVPHEMO. XX.

Euphemum Ciconum ductorem Troia tellus
Condidit hastati Martis ad effigiem.
Nec satis est titulum saxo incidisse sepulchri:
Insuper & frontem mole onerant statuæ.
Ocyus ista ruunt: quæ sic cumulata locantur.
Maior vbi est cultus: magna ruina subest.

HIPPOTHOO, & PYLEO IN horto sepultis. XXI.

Hippothoum Pyleumq; tenet gremio infima tellus,
Caulibus & maluis terga superma virent.
Nec vexat cineres horti cultura quietos:

Dum parcente manu molle holus extolitur.

ENNOMO & CHROMIO-
NI. XXII.

Ennomus hic, Chromiusq; iacent: quis Mysia regnũ,
Queis pater Alcinus, Oceanúsque atauus.
Nobilitas quid tanta iuuat? quo clarius istis
Est genus: hoc mortis conditio grauior.

PRIAMO. XXIII.

Hic Priami non est tumulus: nec condor in ista
Sede. caput Danai diripuêre meum.
Ast ego quum lacerum sine nomine funus haberem:
Confugi ad cineres Hectoreos genitor.
Illic & natos, Troiámque Asiámque sepultam
Inueni: & nostrum quicquid vbique iacet.

Item PRIAMO. XXIIII.

Qui tumulum Priami quærit, legat Hectoris ante.
Ille meus: nato quem prius ipse dedi.
Hectoris, & patris simul est commune sepulchrum,
Amborum quoniam iuncta ruina fuit.

HECVBAE. XXV.

Quæ regina fui: quæ claro nata Dy[illegible]ante:
Quæ Priami coniunx: Hectora q[illegible] genui:
Hic Hecuba iniectis perij superobru[illegible] saxis.
Sed rabie linguæ me tamen vltra [illegible]us.
Fidite ne regnis. & prole, & stirpe pa[illegible]tum:
Quicunque hoc nostrum σῆμα κυνὸς [illegible]tis.

POLY

POLYXENAE. XXVI.

Troas Achilléo coniuncta Polyxena busto,
Maluëram nullo cespite functa tegi.
Non bene discordes tumulos miscetis, Achiui,
Hoc violare magis, quàm sepelire fuit.

ALIQVOT ALIORVM EPITAPHIA.

NIOBE, IN SIPYLO MONTE iuxta fontem sepultæ. XXVII.

Thebarum regina fui: Sipyleia cautes,
Quæ modo sum, læsi numina Latoidûm.
Bis septem natis genitrix læta, atque superba,
Tot duxi mater funera, quot genui.
Nec satis hoc diuis. duro circundata saxo,
Amisi humani corporis effigiem.
Sed dolor, obstructis quanquam vitalibus, hæret:
Perpetuasq; rigat fonte pio lachrymas.
Pro facinus! tantæ ne animis cælestibus iræ?
Durat adhuc luctus: matris imago perit.

Eid[illegible]. XXVIII.

Viuebam. sum [illegible]cta silex. quæ deinde polita
Praxitelis [illegible]anibus. viuo iterum Niobe.
Reddidit ar[illegible]icis manus omnia, sed sine sensu:
[illegible] quum læsi numina, non habui.

Eidem. XXIX.

Habet ſepulchrum non id intus mortuum.
Habet nec ipſe mortuus buſtum ſuper.
Sibi ſed eſt ipſe hic ſepulchrum & mortuus.

DIDONI. XXX.

Infelix Dido nulli bene nupta marito:
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

DIOGENI CYNICO, IN CVius ſepulchro pro titulo canis ſignum eſt. XXXI.

Dic canis : hic cuius tumulus? Canis? At canis hic quis?
Diogenes. Obijt? Non obijt, ſed abijt.
Diogenes, cui pera penus, cui dolia ſedes.
Ad manes abijt? Cerberus ire vetat.
Quónam igitur? Clari flagrat quà ſtella Leonis.
Additus eſt iuſtæ nunc canis Erigonæ.

Sedecennis matronæ. XXXII.

Omnia quæ longo vitæ cupiuntur in æuo,
Ante quater plenum conſumpſit Anicia luſtrum.
Infans lactauit. pubes & virgo adoleuit.
Nupſit, concepit, peperit. iam mater obiuit.
Quis mortem accuſet? quis non acc[illegible] in iſto
Aetatis? meritis anus eſt, ætate pue[illegible]

GLAVCIAE [illegible]IMMA[illegible] VRA morte præuento. XXX[illegible]

Læta bis octono tibi iam ſub conſule p[illegible]
Cingebat teneras Glaucia adulte ge[illegible]

Et iam desieras puer, an ne puella, videri:
Quum properata dies abstulit omne decus.
Sed neque functorum socius miscebere vulgo:
Nec metues Stygios flebilis umbra lacus.
Verum aut Persephonæ Cinyreius ibis Adonis:
Aut Iouis Elysij tu catamitus eris.

CALLICRATEAE. XXXIIII.

Viginti atque nouem, genitrici Callicratéæ,
Nullius sexus mors mihi visa fuit.
Sed ce tũ & quinque explev bene messibus annos,
Intremula n baculo non subeunte manum.

EQVO ADMIRABILI IVSSV Augusti. XXXV.

Prosphore, clamosi spaciosa per æquora Circi,
Septenas solitus victor obire vias:
Improperanter agens primos à carcere cursus,
Fortis prægressis vt poterêris equis.
Promptum & veloces erat anticipare quadrigas:
Victores etiam vincere laus potior.
Hunc titulum vani solatia sume sepulchri,
Et gradere Elysios præpes ad alipedes.
Pegasus hinc dexter currat tibi læuus Arion.
Funis & ac uartum det tibi Castor equum.

In tumul ominis felicis. XXXVI.

Sparge mero eres: & odoro perlue nardo,
H spes: adde rosis balsama puniceis.
Perpetuum ahi ver agit illachrymabilis vrna.
Et con utaui sæcula, non obij.

Nulla mihi veteris perierunt gaudia vitæ.
Seu meminisse putes omnia, siue nihil.

Sepulchrum CARI vacuum. XXXVII.

Me sibi & vxori & natis commune sepulchrum
Constituit seras Carus ad exequias.
Iámque diu monumenta vacant sit quæso querela
Longius: & veniat ordine quisque suo,
Nascendi qui lege datur: placidúmque per æuum
Condatur natu qui prior, ille prior.

Ex sepulchro Latinæ viæ. XXXVIII.

Non nomen, non quo genitus, non vnde, quid egi.
Mutus in æternum sum cinis, ossa, nihil.
Non sum, nec fueram: genitus tamen è nihilo sum.
Mitte, nec exprobres singula. talis eris.

AVSO-

AVSONII DE DVODECIM CAESARIBVS PER SVETONIVM TRANQVILLVM scriptis.

Ausonius Hesperio filio S.

CAESAREOS proceres, in quorum regna secundis
Consulibus dudum Romana potentia cessit,
Accipe bissenos sua quenque monosticha signant.
Quorum per plenam seriem Suetonius olim
Nomina, res gestas, vitámque, obitúmque peregit. 5

Monosticha de ordine imperiorum.

Primus regalem patefecit IVLIVS *aulam*
Cæsar, & AV[illegible]VSTO *nomen transcripsit & arcem.*
Priuignus post [illegible]*nc regnat* NERO CLAVDIVS. [illegible]*gno*
CA[illegible]VS [illegible]*omen Caligæ, cui castra dederunt.*
CLODI[illegible] *hinc potitur regno. Post quem* NE[illegible] RO [illegible]*as*

Vltimus

Vltimus Aeneadûm. Post hûc tres, nec tribus annis.
GALBA *senex, frustra socio confisus inerti.*
Mollis OTHO, *infami per luxum degener æuo.*
Nec regno dignus, nec morte VITELLIVS *ut vir.*
15 *His decimus, fatóque accitus* VESPASIANVS.
Et TITVS *imperij felix breuitate secutus*
Frater: quem CALVVM *dixit sua Roma* NERONEM.

Tempus imperii.

IVLIVS, *ut perhibent, diuus trieteride regnat.*
AVGVSTVS *post lustra decem sex prorogat annos.*
20 *Et ter septenis geminos* NERO CLAVDIVS *addit.*
Tertia finit hiems grassantia tempora CAII.
CLAVDIVS *hebdomadem duplicem trahit: &* NERO *dirus*
Tantundem: summæ consul sed defuit unus.
GALBA *senex,* OTHO *lasciue, & famose* VITELLI,
25 *Tertia vos latio regnantes nescijt æstas.*
Interitus dignos vita properante probrosa.
Implet fatalem decadem sibi VESPASIANVS.
Ter dominante TITO *cingit [illegible] laurea Ianum*
Quindecies sæuis potitur dum FRATER *habenis.*

De mortibus eorum.

30 IVLIVS *interijt* CAESAR *grassante senatu.*
Addidit AVGVSTVM *diuis matura senectus.*

Sera

Sera senex capreis exul NERO *fata peregit.*
Exegit pœnas de CAESARE *Chærea mollis.*
CLAVDIVS *ambiguo conclusit fata veneno.*
Matriq; cida NERO *proprÿ vim pertulit ensis.* 35
GALBA *senex periit, sæuo prostratus* OTHONE.
Mox OTHO *famosus, clara sed morte potitus.*
Prodiga succedunt periuri sceptra VITELLI
Laudatum imperium, mors, lenis, VESPASIANO.
At TITVS, *orbis amor, rapitur florentibus annis* 40
Sera grauē perimūt, sed iusta piacula FRATREM.

EIVSDEM AVSONII TEtrasticha, à Iulio Cæsare vsque ad tempora sua.

Nunc & prædictos, & regni sorte sequentes
Expediam series quos tenet imperÿ.
Incipiam ab Diuo: percurramq; ordine cunctos:
Noui, Romanæ quos memor historiæ. 45

IVLIVS CAESAR

Imperium, binis fuerat sollemne quod olim
Consulibus, Cæsar Iulius obtinuit.
Sed breue ius regni. sola trieteride gestum.
Perculit armata factio sæua togæ.

OCTAVIANVS AVGVSTVS

Vltor successor[illegible]e hinc Octauius, idem 50
Cæsar, & [illegible]gusti nomine nobilior.
Longæua: & [illegible]nquam dubiis violata potestas,
In terris [illegible]itum credidit esse deum.

TIBERIVS NERO.

Prænomen Tiberi nactus Nero, prima iuuentæ
55 *Tempora laudato geßit in imperio.*
Frustrà dehinc solo Caprearum clausus in antro
Quæ prodit vitiis, credit operta locis.

CAIVS CALIGVLA.

Post hunc castrensis caligæ cognomine Cæsar
Succeßit sæuo sæuior ingenio.
60 *Cædibus, incestisq; de hinc maculosus, & omni*
Crimine pollutum qui superauit auum.

CLAVDIVS. CAESAR.

Claudius irrisæ priu . to in tempore vitæ,
In regno specimen prodidit ingenij.
Libertina tamen, nuptarum & cri..ina paßus,
65 *Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.*

NERO.

AEneadûm generis qui sextus, & vltimus hæres
Polluit, & clausit Iulia sacra Nero.
Nomina quot pietas tot habet quoq; crimina vitæ
Disce ex Tranquillo, quæ meminisse piget.

SERVIVS GALBA.

70 *Spem frustr.. te senex, priuatu .. ceptra mereri*
Visus es, imperio p. oditus i.. rior.
Fama tibi melior iuueni: sed i.. .r ordo est:
Complacuisse dehinc, displi... prius.

MARCVS OT...

AEmula polluto gesturus sceptra .. roni:
Obruitur

Obruitur celeris raptus Otho exitio. 75
Fine tamen laudandus erit: qui morte decora
Hoc solum fecit nobile, quod perijt.

AVLVS VITELLIVS.

Vitæ sors, mors fœda tibi, nec digne Vitelli,
Qui fieres Cæsar. sic sibi fata placent.
Vmbra tamen breuis imperij. quia præmia regni 80
Sæpe indignus adit. non nisi dignus habet.

DIVVS VESPASIANVS.

Quærendi atten[illegible] moderato com[illegible]odus vsu,
Auget nec reprimit Vespasianus opes:
Olim qui dubiam priuato in tempore famam,
Par alijs princeps, transtulit in melius. 85

TITVS VESPASIANVS.

Felix imperio, felix breuitate regendi,
Expers ciuilis sanguinis, orbis amor.
Vnum dixisti moriens te crimen habere.
Sed nulli de te, non tibi credidimus.

DOMITIANVS.

Hactenus edideras dominos gens Flauia iustos: 90
Cur duo quæ dederunt tertius eripuit?
Vix tanti est habuisse illos. quia dona bonorum
Sunt breuia. [illegible]rnum, quæ nocuêre dolent.

NERVA.

Proximus ex[illegible]to moderatur sceptra tyranno
Ne[illegible]ua sen[illegible] princeps nomine, mente parens. 95
Nulla viro [illegible]oles. imitatur adoptio prolem.
Quam l[illegible]sse iuuet, quam genuisse velit.

TRAIANVS.

Aggreditur regimen viridi Traianus in æuo,
Belli laude prior, cætera patris habens.
100 *Hic quoque prole carens, sociat sibi sorte legendi,*
Quem fateâre bonum diffiteare parem.

AELIVS HADRIANVS.

AElius hinc subijt medijs præsignis in actis.
Principia & finem fama notat grauior.
Orbus & hic, sociatq; virum documenta daturum,
105 *Adsciti quantum præmineant genitis.*

ANTONINVS PIVS.

Antoninus ab hinc regimen capit, ille vocatu
Consultuq; PIVS, nomen habens meriti.
Filius huic fato nullus: sed lege suorum
A patria sumpsit, qui regeret patriam.

MARCVS ANTONINVS.

110 *Post Marco tutela datur, qui scita Platonis*
Fecit ad imperium patre PIO melior.
Successore suo moriens, sed principe prauo,
Hoc solo patriæ, quod genuit: nocuit.

COMMODVS.

Commodus insequitur, pugnis maculosus harenæ,
115 *Threcidico princeps bella n[illegible]ens gladio.*
Eliso tandem persoluens guttu[illegible] pœnas,
Criminibus fassus matris ad[illegible]rium.

HELVIVS PERT[illegible]AX.

Heluidicio, & consulto lecte S[illegible]tus,
Princeps decretis prodite non stu[illegible]

Quod

Quod doluit malefida cohors errore probato: 120
Curia quod castris cesserat imperio.

DIDIVS IVLIANVS.

Dij bene: quod spolijs Didius non gaudet opimis:
Et cito periuro præmia adempta seni.
Tuq; Seuere pater, titulum ne horresce nouantis.
Non rapit imperium vis tua sed recipit. 125

SEVERVS PERTINAX.

Impiger eligendo mouet arma Seuerus ab Histro,
Vt parricidæ regna adimat Didio.
Punica origo illi: sed qui virtute probaret
Non obstare locum, quum valet ingenium.

BASSIANVS ANTONINVS CARACALLA

Dissimilis virtute patri, & multo magis illi, 130
Cuius adoptiuo nomine te perhibes.
Fratris morte nocens, punitus fine cruento,
Irrisu populi tu Caracalla magis.

OPILIVS MACRINVS.

Principis hic custos, sumptum pro Cæsare ferrum
Vertit in auctorem cæde Macrinus iners. 135
Mox cum prole ruit, grauibus pulsare querelis
Cesset perfidiam [illegible] patitur, meruit.

ANTONIN[illegible]S HELIOGABALVS.

Túne etiam [illegible]stæ sedis penetralia fœdas,
Antonino[illegible] nomina falsa gerens?

* * *

[illegible]iqua desiderantur.

D. MAGNI

AVSONII BVR-DIGALENSIS

ORDO NOBILIVM Vrbium.

DE ROMA CONSTANTINOPOli,& Carthagine. I

Prima vrbes inter diuûm domus aurea Roma.
Constantinopoli assurgit Carthago priori,
Non toto cessura gradu:quia tertia dici
Fastidit,non ausa locum sperare secundum,
5 *Qui fuit ambarum.Vetus hanc opulentia præfert,*
Hanc fortuna recens.Fuit hæc, subit ista: nouisq;
Ex cellens meritis, veterem perstringit honorem:
Et Constantino concedere cogit Elissam.
Accusat Carthago deos iam plena pudoris,
10 *Nuncquoque si cedat,Romam vix passa priorem.*
Componat vestros fortuna antiqua tumores.
Ite pares,tandem memores,quod numine diuûm
Angustas mutastis opes,& nomina.quum
Byzantina Lygos,tu Punica Byrsa fuisti.

DE ANTIOCHIA ET Alexandria. II.

Tertia Phœbeæ lauri domus, Antiochia, 5
Vellet Alexandri si quarta colonia poni.
Ambarum locus vnus: & has furor ambitionis
In certamen agit. Vitiorum turbida vulgo
Vtráque & amentis populi male sana tumultu.
Hæc Nilo munita quòd est, penitúsque repostis 20
Insinuata locis, secunda: sitúque superbit.
Illa quod infidis opponitur æmula Persis.
Et vos ite pares: Macetúmque attollite nomen.
Magnus Al xander te condidit: illa Seleucum
Nuncupat. Ingenuum cuius fuit anchora signum, 25
Qualis inusta solet, generis nota certa per omnem
N..m sobolis seriem natiua cucurrit imago.

DE TREVERIS. III.

Armipotens dudum celebrari Gallia gestit:
Treueri æq; vrbis solium quæ proxima Reno,
Pa is vt in mediæ gremio, secura quiescit: 30
Imperij vires quod alit, quod vestit, & armat.
Lata per extentum procurrunt mœnia collem.
Largus tranquillo præl bitur amne Mosella,
Longinqua omnig æ vectans commercia terræ.

DE M DIOLANO. IIII.

Et Mediolani a omnia, copia rerum, 35
Innumeræ cul ; domus, facunda virorum
Ingeni , ant mores. tum duplice muro
Amplificat i species, populíque voluptas
Circus, & usi moles cuneata theatri:

40 *Templa Palatináq; arces, opuléńsque Moneta,*
Et regio Herculei celebris sub honore lauacri,
Cunctáque marmoreis ornata peristyla signis,
Mœniáque in valli formam circundata labro.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
45 *Excellunt: nec iuncta premit vicinia Romæ.*

DE CAPVA. V.

Nec Capuam Pelago, cultuq; penuq; potentem
Delicijs opibus, famáque priore silebo
Fortuna variante vices, quæ freta secundis,
Nesciuit seruare modum. Nunc subdita Romæ,
50 *Æmula tunc. Fidei memor, an ne infida, Senatũ*
Sperneret, an coleret dubitans, sperare curules
Campanis ausa auspiciis, vnóque suorum
Consule: vt imperium diuisi attolleret orbis.
Quinetiam rerum dominam, Latijq; parentem,
55 *Appetijt bello: ducibus non freta togatis,*
Hannibalis iurata armis, deceptáque in hostis
Seruitium demens specie transiuit herili:
Mox vt in occasum vitijs communibus acti
Corruerent Pœni, luxu Campania festo.
60 *Heu nunquam stabilem sortita superbia sedem.*
Illa potens: opibusq; valens, Ro[illegible] altera quõdam:
Comere quæ paribus potuit [illegible] comis,
Octauum reiecta locum vix pone[illegible]etur.

DE AQVILEIA. VI.

Non erat iste locus: meritò tamen a[illegible] recenti,
65 *Nona inter claras Aquileia cieberis [illegible]bes.*

Itala

Itala ad Illyricos obiecta colonia montes,
Mœnibus & portu celeberrima: sed magis illud
Eminet, extremo quod te sub tempore legit,
Solueret exacto cui iusta piacula lustro
Maximus armigeri quondam sub nomine lixæ. 70
Felix quæ tanti spectatrix læta triumphi,
Punisti Ausonio Rutupinum marte latronem.

DE ARELATE. VII.

Pande duplex Arelate tuos blāda hospita portus,
Gallula Roma Arelas: quā Narbo Martius, & (quā
Accolit Alpinis opulēta Viēna colonis. 75
Præcipitis Rhodani sic intercisa fluentis,
Vt mediam facias nauali ponte platêam,
Per quem Romani commercia suscipis orbis,
Nec cohibes: populósque alios, & mœnia ditas:
Gallia quis fruitur: gremióque Aquitania lato. 80

DE EMERITA. VIII.

Iure mihi post has memorabere nomen Iberum
Emerita: æquoreus quam præterlabitur amnis.
Submittit cui tota suos Hispania fasces.
Corduba non, nō arce potens tibi Tarraco certant,
Quęq; sinu pelagi iactat se Bracara diues. 85

DE ATHENIS. IX.

Nūc & terrig[illegible] patribus memoremus Athenas,
Pallados & [illegible]si quondam certaminis arcem.
Pacif[illegible]æ pri[illegible]m cui contigit arbor oliuæ.
Attica facu[illegible]æ cuius mera gloria linguæ.
Vnde per [illegible]niæ populos, & nomen Achæum, 90

Versa Graia manus, centum se effudit in vrbes.

DE CATINA ET SYracusis. X.

Quis Catinā sileat? quis quadruplices Syracusas?
Hanc ambustorum fratrum pietate celebrem,
Illam complexam miracula fontis & amnis.
95 *Quam maris Ionij subter vada falsa meantes*
Consociant dulces placita sibi sede liquores,
Incorruptarum miscentes oscula aquarum.

DE TOLOSA. XI.

Non vnquam altricem nostri reticebo Tolosam.
Coctilibus muris quam circuit ambitus ingens:
100 *Perq; latus pulchro prælabitur amne Garumna.*
Innumeris cultam populis, confinia propter
Ninguida Pyrénes, & pinea Gæbennarum,
Inter Aquitanas gentes & nomen Iberum.
Quæ modo quadruplices ex se quū effuderit vrbes,
105 *Non vlla exhausta sentit dispendia plebis:*
Quos genuit cunctos gremio complexa colonos.

DE NARBONE. XII.

Nec tu Martie Narbo silebere: nomine cuius
Fusa per immensum quondam prouincia regnum,
Obtinuit multos dominandi iure colonos.
100 *Insinuant qua se Sequani Allobroges oris:*
Excludúntque Italos Alpina cacumina fines:
Qua Pyrenaicis niuibus dirimuntur Iberi:
Qua rapitur præceps Rodanus, gen[illegible] Lemanno
Interiúsque premunt Aquitanica r[illegible] Gebennæ,

Vsque

Vsque in Teutosagos primæuo nomine Belcas, 115
Totum Narbo f[illegible]it. Tu Gallia prima: togati
Nominis attollis Latio proconsule fasces.
Quis memoret portúsque tuos, montesq; lacusq;?
Quis populos vario discrimine vestis & oris:
Quodq; tibi quondam Pario de marmore templum 120
Tantæ molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius, Catulusq; iterum, postremus & ille,
Aurea qui statuit Capitoli culmina Cæsar?
Te maris Eoi merces, & Iberica ditant
AEquora: te classes Libyci, Siculique profundi: 120
Et quicquid vario per flumina, per freta cursu
Aduehitur, toto tibi nauigat orbe κατάπλους.

DE BVRDIGALA. XIII.

Impia iam dudum condemno silentia: quod te.
O patria, insignem Bacchos, fluuijsq; virisq;,
Moribus ingeniisq. hominum, procerumq. Senatu 130
Non inter primas memorem. quasi conscius vrbis
Exiguæ, immeritas dubitem contingere laudes.
Nō pudor hinc nobis. Nec enim mihi Barbara Re
Ora, nec Arctoo domus est gla ialis in Hæmo. (nū
Burdigala est natale solum: clementia cæli 135
Mitis: vbi & r[illegible] æ larga indulgentia terræ.
Ver longū, br[illegible] [illegible] que breues, iuga frondea subsunt.
Feruent æqu[illegible] os imitata fluenta meatus.
Quadrua m[illegible] rum species sic turribus altis
Ardua, v[illegible] ērias intrent fastigia nubes. 140
Distinct[illegible] nterne vias mirēre, domorum

Dispositum & latas nomen seruare plateas.
Tum respondentes directa in compita portas.
Per mediumque vrbis fontani fluminis alueum:
145 *Quem pater Oceanus refluo quum impleuerit æstu,*
Adlabi totum spectabis classibus æquor.
Quid memorem Pario contectum marmore fontem
Euripi feruêre freto? quanta vmbra profundi.
Quãtus in amne tumor! quãto ruit agmine præceps
150 *Margine contenti bissena per ostia cursus,*
Innumeros populi non vnquam exhaustus ad vsus!
Hunc cuperes, Rex Mede, tuis coniungere castris,
Flumina consumpto quum defecêre meatu,
Huius fontis aquas peregrinas ferre per vrbes,
155 *Vnum per cunctas solitus portare Choaspem.*
Salue fons ignote ortu sacer, alme perennis,
Vitree, glauce, profunde, sonore, illimis, opace.
Salue vrbis genius medico potabilis haustu
DIVONA *Celtarum lingua, fons addite Diuis.*
160 *Non Aponus potu, vitrea non luce* NEMAVSVS
Purior: æquoreo non plenior amne Timauus.
Hic labor extremus celebres collegerit vrbes.
Vtq; caput numeri Roma inclyta: sic capite isto
Burdigala ancipiti confirmet vertice sedem.
165 *Hæc patria est: patrias sed Roma [illegible] eruenit omnes.*
Diligo Burdigalam: Romam colo. [illegible]is in hac sum,
Consul in ambabus. Cunæ hic, ibi sel[illegible] Curulis.

FINIS.

LVDVS SEPTEM SAPIENTVM.

AVSONIVS CONSVL LATINO Drepanio Pacato Proconſuli.

IGNOSCENDA iſthæc,an cognoſcenda rearis:
Attento, Drepani, perlege iudicio.
Æquanimus ſiam te iudice: ſiue legenda,
Siue tegenda putes carmina, quæ dedimus.
Nam primum eſt meruiſſe tuum, Pacate, fauorem: 5
Proxima defenſi cura pudoris erit.
Poßim ego cenſuram lectoris ferre ſeueri:
Et poſſum modica laude placere mihi.
Nouit equus plauſæ ſonitum ceruicis amare:
Nouit & intrepidus verbera lenta pati. 10
Mæonio qualem cultum quæſiuit Homero
Cenſor Ariſtarchus, normáque Zenodoti.
Pone obelos igit[illegible] ſpuriorum ſtigmata vatum:
Palmas, non [illegible]pas eſſe putabo meas.
Et correcta m[illegible]s, quàm condemnata vocabo: 15
Appone[illegible]cti quæ mihi lima viri.
Interea ar[illegible]ij ſubiturus pondera tanti,
Optab[illegible] placeam: ſin minus, vt taceam.

PROLOGVS.

Septem Sapientes, nomen quibus istud dedit
20 *Superior ætas:nec secuta sustulit:*
Hodie in orchestram palliati prodeunt.
Quid erubescis tu togate Romule,
Scenam quod introibunt tam clari viri?
Nobis pudendum est hoc? & Atticis quoque:
25 *Quibus theatrum curiæ præbet vicem.*
Nostris negotijs sua loca sortito data.
Campus comitijs, vt conscriptis curia.
Forum atque rostra separat ius ciuium.
Vna est Athenis, atque in omni Græcia,
30 *Ad consulendum publici sedes loci.*
Quam in vrbe nostra sero luxus condidit.
AEdilis olim scenam tabulatam dabat
Subito excitata nulla mole saxea.
Murena sic & Gallius, nota eloquar.
35 *Postquam potentes nec verentes sumptuum,*
Nomen perenne crediderunt, si semel
Constructa moles saxeo fundamine
In omne tempus conderet ludis locum:
Cuneata creuit hæc theatri immanitas.
40 *Pompeius hanc, & Balbus, & Cæsar dedit*
Octauianus concertantes sumpt[illegible]s.
Sed ego quid istæc? non hac causa [illegible] prodij:
Vt expedirem, quis theatra, quis [illegible]um,
Quis condidisset priuas partes mœn[illegible]m:
45 *Sed vt verendos, disque laudatos vi[illegible]*
Prægrederer agere: quid vellent sibi

Pronun-

Pronunciare suas solent sententias:
Quas quisque prouidentium anteuerterit.
Scitis profecto, quæ sint: sed si memoria
Rebus vetustis cludit: veniet Ludius 60
Edisserator harum: quas teneo minus.

LVDIVS.

Delphis Solonem scripse fama est Atticum,
Γνῶθι σεαυτόν *quod Latinum est, Nosce te.*
Multi hoc Laconis esse Chilonis putant.
Spartane Chilon sit tuum, nec ne, ambigunt, 65
Quod introfertur, τέλος ὁρᾷν μακροῦ βίου.
Finem intueri longæ vitæ quo iubes.
Multi hoc Solonem dixe Crœso existimant.
Et Pittacum dixisse fama est Lesbium,
Γίγνωσκε καιρόν. *Tempus vt noris, iubet.* 70
Sed καιρὸς *iste tempestiuum tempus est.*
Bias Prieneus dixit, οἱ πλεῖστοι κακοί.
Quod est Latinum, Plures hominum sunt mali:
Sed imperitos scito, quos dixit malos.
Μελέτη τὸ πᾶν, *Periandri est Corinthij:* 75
Meditationem esse totum, qui putat.
Ἄριστον μέτρον *esse dixit Lindius*
Cleobulus: hoc est, Optimus cunctis modus.
Thales ἐγγύα π[illegible] δ' ἄτη, *protulit.*
Spondere qui n[illegible] noxa quod præsest, vetat. 80
Hoc nos mone[illegible], fœneratis non placet.
Dixi, recedа[illegible] legifer venit Solon.

SOLON.

De more [illegible] *æco prodeo in scenam Solon:*

Septem Sapientum fama cui palmam dedit.
85 Sed fama non est iudicij seueritas.
Neque me esse primũ. vestrum aut imum existimo:
Æqualitas quòd ordinem nescit pati.
Rectè olim ineptum Delphicus lusit Deus
Quærentem quisnam primus Sapientum foret:
90 Vt in orbe tereti nomina eorum inscriberet,
Nec primus esset, ne vel imus quispiam.
Eorum è medio prodeo gyro Solon:
Vt quod dixisse Cræso regi existimor,
Id omnis hominum secta sibi dictum putet.
95 Græcè coactum: ὅρα τέλος μακροῦ βίου.
Quod longius fit, si Latinè edisseras.
Spectare vitæ iubeo cunctos terminum.
Proinde miseros, aut beatos dicere
Euita: quod sunt semper ancipiti statu.
100 Id adeo sic est, si queam, paucis loquar.
Rex, an tyrannus Lydiæ Cræsus fuit
His in beatis, diues insanum in modum,
Lateribus aureis templa qui diuis dabat,
Is me euocauit. Venio, dicto obediens,
105 Meliore vt vti rege possint Lydij
Rogat, beatum prodam, si quem nouerim.
Telana dico ciuem non ignobile.
Pro patria pugnans iste vitam [illegible]rat.
Despexit alium quærit inueni[illegible]um:
110 Fines qui agelli proprij nunquam [illegible]sserat
At ille ridens, Quo dein me ponis
Beatus orbe toto qui solus vocor?

Spectan-

Spectandum dico terminum vitæ prius:
Tum iudicandum, si manet felicitas.
Dictum molestè Crœsus accepit. at ego 115
Relinquo regem. bellum ille in Persas parat.
Profectus. victus. vinctus. regi deditus.
** At ille captus, funeris ipse instar sui, **
Quin flamma totum se per ambitum dabat,
Voluens in altum fumidos æstu globos: 120
At pæne sero Crœsus ingenti sono,
O vere vates, inquit: ô Solon, Solon,
Clamore magno ter Solonem nuncupat.
Qua voce Cyrus motus, extingui iubet
Gyrum per omnem, & destrui ardentem pyram. 125
Et commodum profusus imber nubibus
Repressit ignem. Crœsus ad regem illico
Deductus lectam per ministrorum manum
Interrogatus, quem Solonem diceret:
Et quam ciendi causam haberet nominis, 130
Seriem per omnem cuncta regi edisserit.
Miseratur ille: vímque fortunæ videns,
Laudat Solonem: Crœsum in amicis habet.
Vinctúmque pedicis aureis secum iubet,
Reliquum quod esset vitæ, totum degeret. 135
Ego duorum regu[illegible] testimonio
Laudatus, & pr[illegible]atus ambobus fui.
Quódque vni di[illegible]m est, quisque sibi dictum putet.
Ego iam pereg[illegible]na de causa huc prodij.
Venit ecce Ch[illegible]n. Vos valete: & plaudite. 140

CHILON.

Lumbi sedendo oculique spectando dolent,
Manendo Solonem, quoad sese recipiat.
Hui, quàm pauca, quàm diu loquuntur Attici!
Vnam trecentis versibus sententiam
Tandem peregit: méque respectans abit.
145 *Spartanus ego sum Chilo qui nunc prodeo.*
Breuitate nota qua Lacones vtimur.
Commendo nostrum γνῶθι σεαυτόν. *Nosce te.*
Quod in columna iam tenetur Delphica.
Labor molestus iste fructi est optimi,
150 *Quid ferre possis, quídve non dignoscere.*
Noctu, diúque quæ geras, quæ gesseris,
Adúsque puncti tenuis instar quærere.
Officia cuncta pudor, honor, constantia,
In hoc: & illa spreta nobis gloria.
155 *Dixi. Valete memores. Plausum non moror.*

CLEOBVLVS.

Cleobûlus ego sum, paruæ ciuis insulæ,
Magnæ sed auctor, qua cluo, sententiæ:
ἄριστον μέτρον, *quem dixisse existimant.*
Interpretare tu qui orchestræ p[illegible]ximus,
160 *Gradibus propinquis in quatuo[illegible]ecim sedes:*
ἄριστον μέτρον, *an sit optimus m[illegible]s,*
Dic annuisti gratiam habeo. persi[illegible]ar
Per ordinem. poëta dixe isthoc loc[illegible]
Afer videtur vester, VT NE QV[illegible] NIMIS:
165 *Et noster quidam,* μηδὲν ἄγαν. *Huc [illegible]inet*

Vterq;

Vterque sensus, Italus seu Dorius.
Fandi tacendi, somni vicinus modus,
Beneficiorum, gratiarum, iniuriæ,
Studij, laborum vita in omni quicquid est,
Istum requirit optimæ pausæ modum. 170
Dixi. Recedam, vt sit modus. venit Thales.

THALES.

Milesius Thales sum: A QVAM qui principem
Rebus creandis dixi, vt vates Pindarus.

* * * * *

Dedere piscatores extractum mari.
Námque hi, iubente Delio, me legerant: 175
Quod ille munus hoc sapienti miserat.
Ego recusans non recepi: at reddidi
Ferendum ad alios: quos priores crederem.
Dein per omnes septem Sapientes viros
Missum: ac remissum rursus ad me referunt. 180
Ego receptum consecraui Apollini.
Nam si sapientem deligi Phœbus iubet:
Non hominem quenquam, sed Deum credi decet.
Is igitur ego sum. causa sed in scenam fuit
Mihi prodeundi, quæ duobus ante me: 185
Assertor vt senten[illegible] fierem meæ.
Ea displicebit: non t[illegible]en prudentibus,
Quos docuit vsus [illegible] peritos reddidit.
Nos ἐγγύα. πάρ[illegible] δ' ἄτη, dicimus:
Latinum est, S[illegible]e: noxia est præsto tibi. 190
Per mille poss[illegible] currere exempla, vt probem
Prædes, va[illegible]que pœnitudinis reos.

Sed nolo quenquam nominatim dicere.
Sibi quisque vestrum dicat, & secum putet,
195 Spondere, quantis damno fuerit, & malo.
Gratum hoc officium maneat ambobus tamen.
Pars plaudite ergo: pars offensi explaudite.

BIAS.

Bias Prieneus dixi, οἱ πλεῖστοι κακοί.
Latinè dictum suspicor, Plures mali.
200 Dixisse nollem. VERITAS ODIVM PARIT.
Malos sed imperitos dixi, & barbaros:
Qui ius, & æquum, & sacros mores negligunt.
Nam populus iste, quo theatrum cingitur,
Totus bonorum est. hostium tellus habet,
205 Dixisse quos me creditis, Plures malos.
Sed nemo quisquam tam malus index fuat,
Qui non bonorum partibus se copulet.
Siue ille vere bonus est: seu dici studet,
Iam fugit illum nomen inuisum mali.
210 Abeo. Valete, & plaudite, plures boni.

PITTACVS.

Mitylena oriundus Pittacus sum Lesbius,
Γίγνωσκε καιρὸν, qui dixi sententi[illegible]m.
Sed iste καιρὸς tempus vt noris, m[illegible] et:
Et esse καιρὸν, tempestiuum quod v[illegible] nt.
215 Romana sic est vox. Veni in tempor[illegible]
Vester quoque ille comicus Terenti[illegible]
Rerum omnium primum esse tempus a[illegible] mat:
Ad Antiphilam quo venerat seruus D[illegible] mo

Nullo

Nullo impeditam, temporis seruans vicem.
Reputate cuncti: quotiens offensam incidat, 220
Spectata cui non fuerit oportunitas.
Tempus me abire, ne molestus. Plaudite.

PERIANDER.

Ephyra creatus huc Periander prodeo.
Μελέτη τὸ πᾶν *qui dixi: & dictum probo,*
Meditationem id esse totum, quod geras. 225
Is quippe solus rei gerendæ est efficax,
Meditatur omne qui prius negotium.
Aduersa rerum, vel secunda prædicat
Meditanda cunctis comicus Terentius.
Locare sedes, bellum gerere, aut ponere: 230
Magnas, modicásque res etiam, paruas quoque
Agere volentem, semper meditari decet.
Nam segniores omnes in cœptis nouis:
Meditatio si rei gerendæ defuit.
Nihil est quod ampliorem curam postulet, 235
Quàm cogitare, quid gerendum sit dehinc
Incogitantes fors, non consilium regit.
Sed ego me ad partes iam recipio. Plaudite,
Meditati, vt vestram rem curetis publicam.

EORVNDEM SEPTEM
Sapientum ſententiæ, ſeptenis verſibus ab eodem Auſonio explicatæ.

BIAS PRIENEVS.

Quænam ſumma boni? Mens quæ ſibi conſcia recti.
Pernicies homini quæ maxima? Solus homo alter.
Quis diues? Qui nihil cupiat. Quis pauper? Auarus.
Quæ dos matronæ pulcherrima? Vita pudica.
5 *Quæ caſta eſt? de qua mentiri fama veretur.*
Quod prudentis opus? Quum poſſit, nolle nocere.
Quid ſtulti proprium? Non poſſe & velle nocere.

PITTACVS MITYLENAEVS.

Loqui ignorabit, qui tacere neſciet.
Bono probari malo, quàm multis malis.
10 *Demens ſuperbis inuidet felicibus.*
Demens dolorem ridet infelicium.
Pareto legi, quiſque legem ſanxeris.
Plures amicos re ſecunda compara.
Paucos amicos rebus aduerſis proba.

CLEOBVLVS LINDIVS.

15 *Quanto plus liceat, tam libeat minus.*
Fortunæ inuidiæ eſt immeritus miser.
Felix criminibus nullus erit diu.
Ignoſcas alijs multa: nihil tibi.
Parcit quiſque bonis: perdere vult malos.
20 *Maiorum meritis gloria non datur.*

Turp

Turpis sepe datur fata minoribus.

PERIANDER CORINTHIVS.

Nunquam discrepat vtile à decoro.
Plus est sollicitus magis beatus.
Mortem optare malum, timere peius. 25
Faxis, vt libeat quod est necesse.
Multis terribilis, caueto multos.
Si fortuna iuuat, caueto tolli.
Si fortuna tonat, caueto mergi.

SOLON ATHENIENSIS.

Dico tunc beatam vitam, quum peracta facta sint.
Par pari iugator coniux. quicquid impar, dissidet. 30
Non erunt honores vnquam fortuiti muneris.
Clam coarguas propinquũ, quem palam laudaueris.
Pulchriùs multo parari, quàm creari nobilem
Certa si decreta sors est, quid cauere proderit?
Siue sint incerta cuncta quid timere conuenit? 35

CHILO LACED[illegible]EMONIVS.

Nolo minor me ti[illegible]at, despiciátque maior.
Viue memor mor[illegible]: vti sis memor & salutis.
Tristia cuncta [illegible]perans aut animo, aut amico.
Tu bene si qu[illegible]acias, non meminisse fas est.
Quæ bene fa[illegible] accipias, perpetuo memento. 40
Grata sene[illegible] homini, quæ parilis iuuentæ.
Illa iuuen[illegible] grauior, quæ similis senectæ.

THALES MILESIVS.

Turpe quid ausurus te sine teste time.
Vita perit: mortis gloria non moritur.
45 *Quod facturus eris, dicere sustuleris.*
Crux est, si metuas, vincere quod nequeas.
Quum vere obiurgas, sic inimice iuuas.
Quum falso laudas, tunc & amice noces.
Nil nimium satis est, ne sit & hoc nimium.

De iisdem septem Sapientibus, è Græco.

50 *Septenis patriam sapientum, nomina, voces,*
Versibus expediam: sua quenque monosticha dicent.
Chilo, cui patria est Lacedæmon, Nosce seipsum.
Periander, Trepidam moderare Corinthius iram.
Et Mitylenæis, Nimium nil, Pittacus oris.
55 *Mensuram optimum ait Cleobulus Lindius, in re.*
Expectare Solon finem docet, ortus Athenis.
Plures esse Bias prauos, quem clara Priene.
Mileti fugisse Thales vadimonia alumnus.

AVSO-

AVSONII BVRDIGALENSIS EDYLLIA.

VERSVS PASCALES, PROCO dicti Edyllium I.

SANCTA *ſalutiferi redeunt ſolemnia* CHRISTI.
Et deuota pij celebrant ieiunia myſtæ.
At nos æternū cohibentes pectore cultū,
Intemeratorum vim continuamus honorum.
Annua cura ſacris, iugis reuerentia nobis. 5
Magne pater rerum, cui terra, & pontus, & aër,
Tartaráque, & picti ſeruit plaga lactea cæli:
Noxia quem ſcelerū plebes tremit: almáque rurſum
Concelebrat votis animarum turba piarum:
Tu breuis hunc æui curſum, celerémque caducæ 10
Finem animæ don[illegible], æternæ munere vitæ.
Tu mites legum [illegible]mitus. ſacróſque prophetas
Humano imper[illegible]s generi: ſeruáſque nepotes,
Deceptum miſ[illegible]atus Adam. quem capta venenis
Implicuit ſoci[illegible] blandis erroribus Eua. 15
Tu Verbu[illegible]ater alme tuum, natúmque deúmque,
Concedis [illegible]is totum: ſimilémque, parémque,

Ex vero verum, viuáque ab origine viuum.
Ille tuis doctus monitis, hoc addidit vnum:
20 *Vt super æquoreas nubat qui spiritus vndas,*
Pigra immortali vegetaret membra lauacro.
Trina fides, auctore vno. spes certa salutis
Hunc numerum iunctis virtutibus amplectenti.
Tale & terrenis specimen spectatur in oris
25 *Augustus genitor, geminum sator Augustorum.*
Qui fratrem, natúmque piè complexus, vtrúnque
Numine partitur: regnum neque diuidit vnum.
Omnia solus habens, atque omnia dilargitus,
Hos igitur nobis trina pietate vigentes.
30 *Rectores terræ placidos, cælique ministros,*
Christe apud æternum placabilis assere patrem.

Ausonius lectori suo s. D.

POST Deum semper patrem colui. secundámq. reuerentiam genitori meo debui. Sequitur ergo hanc summi Dei venerationem Epicedion patris mei. titulus à Græcis auctoribus, defunctorum honori dicatus, non ambitiosus, sed religiosus, quem commendo lectori meo, siue is filius est, seu pater, siue vtrunque. Neque vt laudet e[illegible]go, sed vt amet postulo. Neque verò nun[illegible]atrem meum laudo, quod ille non eget : [illegible]go functum oblectatione viuentium on[illegible]e non debeo. Neque dico, nisi quod a[illegible]cunt, qui patri ætatis eius interfuerunt. F[illegible]m me autem morte eius obita dicere, & [illegible]m tacere

re,eiusdem piaculi existimo. Imagini ipsius hi versus subscripti sunt: neque minus in opusculorum meorum seriem relati. Alia omnia mea displicent mihi.hos relegisse amo. Vale.

Epicedion in patrem suum Iulium Ausonium.
EDYLLIVM II.

Nomine ego Ausonius,non vltimus arte medendi,
Et mea si nosses tempora,primus eram.
Vicinas vrbes colui,patriáque,domóque,
Vasates patria,sed lare Burdigalam.
Cura me duplex,& vterque Senatus habebat 5
Muneris exortem, nomine participem
Non opulens,nec egens: parcus,sine sordibus egi.
Victum,habitum,mores semper eadem habui.
Sermone impromptus Latio:verum Attica lingua
Suffecit culti vocibus eloquij. 10
Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemptæ.
Officiúmque meum cum pietate fuit.
Iudicium de me studui præstare bonorum:
Ipse mihi nunquam iudice me placui.
Officio in multos diuerso debita cultu, 15
Personis,mer is,tempore,distribui.
Litibus abstinu on auxi,non minui rem.
Indice me n us sed neque teste perit.
Inuidi nunqu n cupere atque ambire refugi.
Iurare a falsum dice e par habui. 20
Factio me non,non coniuratio iunxit.
Sincer olus fœdere amicitias.

Felicem sciui non qui quod vellet, haberet:
Sed qui per fatu n non data, non cuperet.
25 *Non occursator, non garrulus, obuia cernens,*
Valuis, & velo condita, non adij.
Famam, quæ posset vitam lacerare bonorum,
Non finxi: & veram si scierim, tacui.
Ira procul: spes vana procul: procul anxia cura.
30 *Inq; bonis hominum gaudia falsa procul.*
Vitati cœtus, eiuratique tumultus,
Et semper fictæ principum amicitiæ.
Deliquisse nihil nunquam laudem esse putaui,
Atque bonos mores legibus ante tuli.
35 *Irasci promptus, properaui condere motum:*
Atque mihi pœnas pro leuitate dedi,
Coniugium per lustra nouem sine crimine concors
Vnum habui gnatos quatuor edidimus.
Prima obit lactens: at qui fuit vltimus æui,
40 *Pubertate rudi, non rudis interijt.*
Maximus ad summum culmen peruenit honorum,
Præfectus Gallis, & Libyæ, & Latio,
Tranquillus, clemens, oculis, voce, ore serenus,
In genitore suo mente animóque pater.
45 *Huius ego & natum & generum Proconsule vidi.*
Consul vt ipse foret, spes mihi c[illegible]a fuit.
Matronale decus possedit filia. cum[illegible]
Egregia & nuptæ laus erat, & v[illegible]æ.
Quę nati, generique, & progeneri, sin[illegible] omnium
50 *Multiplici illustres vidit honore dom[illegible]*
Ipse nec affectans, nec detrectator hono[illegible]

[illegible]æfe-

Præfectus magni nuncupor Illyrici.
Hæc me fortunæ larga indulgentia suasit,
Numine adorato, vitæ abitum petere.
Ne fortunatæ spatium inuiolabile vitæ, 55
Fatali admorsu stringeret vlla dies.
Obtinuit: auditæq; preces. spem, vota, timorem,
Sopitus placido fine, relinquo alijs.
Inter mœrentes, sed non ego mœstus, amicos
Dispositis iacui funeris arbitrijs. 60
Nonaginta annos baculo sine, corpore toto
Exegi, cunctis integer officijs.
Hæc quicunque leges, non aspernabere fari:
Talis vita tibi, qualia vota mihi.

Quum de palatio, post multos annos honoratissimus, quippe iam consul, rediisset ad patriam: villulam, quam pater reliquerat, introgressus, his versibus lusit, Lucilliano stilo.

Ausonij Villula. EDYL. III.

Salue hærediolum maiorum regna meorum,
Quod proauus, quod auus, quod pater excoluit.
Quod mihi iam senior properata morte relinquit.
Eheu, nolueram tam citò posse frui.
Iusta quidem series [illegible]atri succedere: verum 5
Esse simul dom[illegible]os, gratior ordo pijs.
Nunc labor, & c[illegible]æ mea sunt. sola ante voluptas.
Partibus in [illegible]tris. cætera patris erant.
Paruum hæred[illegible]um, fateor. sed nulla fuit res
Parua vn[illegible]am æquanimis: adde etiã vnanimis. 10
Ex animo r[illegible], stare æquum puto, non animũ ex re.

Cuncta cupit Crœsus, Diogenes nihilum.
Spargit Aristippus mediis in Syrtibus aurum.
Aurea non satis est Lydia terra Midæ.
15 *Cui nullus finis cupiendi est: nullus habendi.*
Ille opibus modus est, quem statuas animo.
Verum ager iste meus quantus sit nosce: etiam me
Noueris & noris te quoque, si potis es.
Quanquam difficile est se noscere. γνῶθι σεαυτὸν,
20 *Quàm propere legimus, tam citò negligimus.*
Agri bis centum colo iugera, vinea centum
Iugeribus colitur, prat áque dimidium.
Silua supra duplũ, quàm prata, & vinea, & aruũ.
Cultor agri nobis nec superest, nec abest.
25 *Fõs propter puteúsque breuis: tum purus & amnis.*
Nauiger hic refluus me vehit, ac reuehit.
Conduntur fructus geminũ mihi semper in annum.
Cui nõ longa penus, huic quoque prompta fames.
Hæc mihi nõ procul vrbe sita est, nec prorsus ad vr-
30 *Ne patiar turbas, vtque bonis potiar. (bem.*
Et quoties mutare locum fastidia cogunt,
Transeo: & alternis rure, vel vrbe fruor.

Ausonius Hesperio filio.

Libellum, quem ad nepotulum meũ sororis tuæ filium instar protreptici luserã, [illegible]nturus ipse præmisi legendũ. Hoc enim malui, q[illegible]n ipse recitare: esset vt tibi cẽsura liberior: quæ [illegible]bus causis impediri solet: quòd aures nostras [illegible]ita velocius, quã lecta prætereũt: & quòd sincer[illegible]udici[illegible] li præsentia recitantis oneratur. Nunc tib[illegible]nque integrum est. Quia & legenti tibi libera [illegible]est: & iudicaturo nõ obstat nostri verecundia. [illegible]heus tu fili dulcissime, habeo quod admoneã, [illegible] in

his versiculis videbuntur (nã vereor, vt multa sint) fucatius concinnata, quàm verius: & plus coloris, quàm succi habere: ipse sciẽs fluere permisi, venustula vt esset magis, quàm forticula, instar virginũ: quas matres student

Demissis humeris esse, victo pectore: vt graciles sciẽt. nosti cætera. Superest igitur, vt dicas: Quid moraris iudicationẽ meã de eo, qđ ipse ꝓnũcias esse mẽdosũ? dicã, scilicet, me huiusmodi versibus foris erubescere: sed intra nos minꝰ verecũdari. Nãq. ego hæc annis illius magis, q̃ meis scripsi: aut fortasse & meis. δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Ad sũmã, valeat austeritas tua, mihi cũ infãte ratio est. Vale, fili dulcissime.

Ad nepotem Ausonium protrepticon de studio puerili. EDY. IIII.

Sunt etiam musis sua ludicra mista camenis
Ocia sunt, mellite nepos, nec semper acerbi
Exerces pueros vox imperiosa magistri,
Sed requies, studiique vices, rata tempora seruant.
Et satis est puero memori legisse libenter.
Et cessare licet. Graio schola nomine dicta est, 5
Iusta, laboriferis tribuantur vt ocia musis.
Quo magis alternum certus succedere ludum,
Disce libens. longum delinitura laborem
Interualla damus. Studium puerile fatiscit,
Læta nisi austeris [illegible] *rientur festa profestis.* 10
Disce libens. tetr[illegible] *nec præceptoris habenas*
Detestere nepos [illegible] *nquam horrida forma magistri,*
Ille licet tristis [illegible] *o, nec voce serenus,*
Asperũ cont[illegible]*æ minitetur iurgia frontis,*
Nunquam [illegible] *anis erit. placet assuetudine vultus.* 15
Qui semel [illegible] *uerit, rugas nutricis amabit,*
Qui ref[illegible] *matrem. pappos, auiásque trementes*

Anteferunt patribus ſeri noua cura nepotes.
20 *Sic neque Peliden Chiron terrebat Achillem*
Theſſalico permixtus equo:nec pinifer Atlas
Amphitryoniadem puerum:ſed blandus vterque
Mitibus alloquijs teneros mulcebat alumnos.
Tu quoque ne metuas:quamuis ſchola verbere multo
25 *Increpet,& truculenta ſenex gerat ora magiſter.*
Degeneres animos timor arguit:at tibi conſta
Intrepidus.nec te clamor,plagæq; ſonantes,
Nec matutinis agitet formido ſub horis:
Quòd ſceptrum vibrat:ferulæ,quod multa ſupellex
30 *Virgea:quod fallax ſcuticam prætexit aluta:*
Quod feruent trepido ſubſellia veſtra tumultu.
Pompa loci,& vani fugiatur ſcena timoris.
Hæc olim genitórque tuus,genitríxque ſecuti
Securam placido mihi permulſère ſenectam.
35 *Tu ſenium quodcúnque ſuper labentibus annis*
Fata dabunt qui nomen aui geris indole prima
Prime nepos,vel re,vel ſpe mihi porge fruendum.
Nunc ego te puerum,mox in iuuenalibus annis,
Iamq; virum cernam,ſi fors ita iuſſerit:aut ſi
40 *Inuidia eſt,ſperabo tamen:nec vota fatiſcent.*
Vt patris,vtq; mei non immemor ardua ſemper
Præmia muſarum cupias:facund[illegible]s & olim
Hac gradiare via,qua nos præceſ[illegible]mus: & cui
Proconſul genitor,præfectus auunc[illegible]us inſtant.
45 *Perlege quodcunque eſt memorabile.[illegible]ina m[illegible]nebo.*
Conditor Iliados,& amabilis orſa M[illegible]nandri
Euoluenda tibi.tu flexu & acumine [illegible]is

Innu-

Innumeros numeros doctis accentibus effer.
Affectusq; impone legens-distinctio sensum 50
Auget & ignauis dant interualla vigorem.
Ecquando ista meæ contingent dona senectæ?
Quando oblita mihi tot carmina, totq; per æuum
Connexa historiæ, soccos aulæaq; regum,
Et melicos, lyricósq. modos præfando, nouabis 55
Obductósq. seni facies puerascere sensus
Te præeunte, nepos, modulata poëmata Flacci?
Altisonúmq. iterum fas est didicisse Maronem.
Tu quoque, qui Latium lecto sermone Terenti
Comis, & astricto percurris pulpita socco, 60
Ad noua vix memorem diuerbia coge senectam,
Iam facinus Catilina tuum, Lepidíq. tumultum.
Ab Lepido & Catulo iam res & tempora Romæ
Orsus, bissenos seriem connecto per annos.
Iam lego ciuili mistum mauorte duellum, 65
Mouit quod socio Sertorius exul Ibero.
Nec rudis hoc auus admoneo, sed mille docendo
Ingenia expertus. Multos lactantibus annis
Ipse & alui: gremióq. fouens, & murmura soluens
Eripui tenerum blandis nutricibus æuum. 70
Mox pueros molli monitu, & formidine leni
Pellexi, vt mites peterent per acerba profectus,
Carpturi dulcem fructum radicis amaræ.
Idem vesti- ipes- motu iam puberis æui,
Ad mores, art- -. bonas, fandíq. vigorem 75
Produxi: qu- -uam imperium ceruice negarent
-e: nec i- -rtis præberent ora lupatis,

Ardua temperies, dura experientia, rarus
Euentus longo rerum spectatus ab vsu,
80 *Vt regat indocilem mitis censura iuuentam.*
Quæ tolerata mihi, donec iam ærumna iuuaret,
Leniretq; vsum bona consuetudo laborum.
Donec ad Augustæ pia munera disciplinæ
Accirer: varioq; accingerer auctus honore:
85 *Aurea quum parere mihi palatia iussum.*
Absistat Nemesis: ferat & fortuna iocantem.
Præsedi imperio, dum prætextatus in ostro,
Et sceptro, & solio sibi præfert iura magistri:
Maioresq; putat nostros Augustus honores,
90 *Quos mox sublimi maturus protulit auctu:*
Quæstor vt Augustis patri natóq. crearer:
Vt præfecturam duplicem, sellámq. curulem,
Vt trabeam, pictámq. togam, mea præmia consul
Induerer: fastisq. meis prælatus haberer,
95 *His ego quæsiui meritum quàm grande nepoti*
Consul auus: luménq. tuæ præluceo vitæ.
Quamuis & patrio iamdudum nomine clarus,
Posses ornatus, posses honoratus haberi:
Accessit tamen ex nobis honor inclytus. hunc tu
Effice, ne sit onus: per te vt connixus in altum
100 *Conscendas speresq. tuos te consule fasces.*

Genethliacon ad eundem Ausonium nepotem. EDYL.

Carmina prima tibi, quum iam puerilibus annis
Traderet assidui permulcens cura magistri,
Imbueretq. nouas aureis sensúsq. sequaces,

Vt respondendas docili quoque murmure voces
Emendata rudi proferret lingua palato: 5
Addidimus nil triste senes: ne cura monendi
Læderet aut dulceis gustus vitiaret amaris.
At modo quum motu vigeas iam puberis æui
Fortiaq; à teneris possis secernere, & ipse
Admonitor morumq; tibi fandiq; videri. 10
Accipe non præcepta quidem, sed vota precantis,
Et gratantis aui festum ad solenne nepotis.
Adnuto, vt reducem fatorum à fine senectam
Sospes agam: festumq; diem, dubitataq; cernam
Sidera deposito prope conclamatus in æuo. 15
Hoc mellite nepos duplicato fœnore partum
Natali accedente tuo, munúsq. salutis
Plenius hoc nostræ: quod iam tibi puberis æui
Crescit honos, iuuenémq. senex iam cerno nepotem.
Sexta tibi hæc primo remeat trieteris ab anno 20
Septembres notis referens natalibus Idus.
Idus alma dies genijs quoque culta deorum.
Sextiles Hecate Latonia vendicat Idus.
Mercurius Maias superorum adiunctus honori.
Octobres olim genitus Maro dedicat Idus. 25
Idus sæpe colas bissenis mensibus omnes,
Ausonij quicunque mei celebraueris Idus.
Vale, nepos dulcissime.

Ausonius Gregorio filio salutem.

AN vnquam vidisti nebulam pictam in pariete? Vidisti vtique, & meministi. Treuiris ... in triclinio AEoli fucata est pictura

hæc. Cupidinem cruci affigunt mulieres amatrices, non hæ de nostro sæculo, quæ sponte peccant: sed illæ Heroicæ, quæ sibi ignoscunt, & plectunt Deum. quarum partem in lugentibus campis Maro noster enumerat. Hanc ego imaginem specie & argumento miratus sum. Denique mirandi stuporem transtuli ad ineptiam poëtandi mihi præter lemma, nihil placet. Sed commendo tibi errorem meum. Næuos nostros & cicatrices amamus, nec soli nostro vitio peccasse contenti, affectamus, vt amentur. Verum quid ego huic eclogæ studiosè patrocinor? Certus sum, quodcunque meum scieris, amabis. quod magis spero, quam vt laudes. Vale.

Ausonii Cupido cruci affixus.

EDYL. VI.

Aëris in campis, memorat quos Musa Maronis,
Myrteus amentes vbi lucus opacat amantes:
Orgia ducebant Heroides, & sua quæque
Vt quondam occiderant, læti argumenta gerebant,
Errantes silua in magna, & sub luce maligna 5
Inter arundineasq. comas, grauidúmque papauer,
Et tacitos sine labe lacus, sine murmure riuos.
Quorum per ripas nebuloso lumine marcent
Fleti olim regum & puerorum nomina flores
Mirator Narcissus, & Oebalius Hyacinthus, 10
Et crocus auricomans, & murice tinctus Adonis.
Et tragico scriptus gemitu Salaminius Æ-

Omnia, quæ lachrymis, & amorib⁹ anxia mæstis,
Exercent memores obita iam morte dolores,
Rursus in amissum reuocant Heroidas æuum. 15
Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Deflet, & ambustas lacerans per inania cunas
Ventilat ignauum simulati fulminis ignem.
Irrita dona quærens, sexu gauisa virili,
Mæret in antiquam Cænis reuocata figuram. 20
Vulnera siccat adhuc Procris: Cæphaliq; cruentã
Diligit & percussa manum. Fert fumida testæ
Lumina Sestiaca præceps de turre puella.
Et de nimboso saltum Leucate minatur
Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis. 25
Harmoniæ cultus Eriphyle mæsta recusat,
Infelix nato: nec fortunata marito.
Tota quoq; aëriæ Minoia fabula Cretæ,
Picturarum instar tenui sub imagine vibrat.
Pasiphaë niuei sequitur vestigia tauri. 30
Licia fert glomerata manu deserta Ariadne:
Respicit abiectas desperans Phædra tabellas.
Hæc laqueum gerit: hæc vanæ simulacra coronæ.
Dædaliæ pudet hanc latebras subijsse iuuencæ.
Præreptas queritur per inania gaudia noctes 35
Laodomîa duas, viui functiq; mariti.
Parte truces alia strictis mucronibus omnes
Et Tysbe, & Canace, & Sidonis horret Elissa.
Cõiugis hæc, hæc [illegible]atris, & hæc gerit hospitis ensẽ.
Errat & ipsa [illegible]n qualis per Latmia saxa 40
Endymioneo[illegible] solita affectare sopores

Cum face: & astrigero diademate Luna bicornis.
Centum aliæ veterum recolentes vulnera amorũ,
Dulcibus & mœstis refouent tormenta querelis.
45 *Quas inter medias furuæ caliginis vmbram*
Dispulit inconsultus Amor stridentibus alis.
Agnouêre omnes puerum: memoriq; recursu
Communẽ sensêre reum. quanquam humida circum
Nubila & auratas fulgentia cingula bullas,
50 *Et pharetram, & rutile fuscarent lampados ignẽ:*
Agnoscunt tamen: & vanum vibrare vigorem
Occipiunt, hostemq; vnum loca non sua nactum,
Quum pigros ageret densa sub nocte volatus,
Facta nube premunt. trepidantẽ & cassa parantẽ
55 *Suffugia, in cœtum mediæ traxêre cateruæ.*
Eligitur mœsto myrtus notissima luco,
Inuidiosa deûm pœnis cruciauerat illic
Spreta olim memorẽ Veneris Proserpina Adonim.
Huius in excelso suspensum stipite amorem
60 *Deuinctum post terga manus substrictaq; plantis*
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
Afficiunt. reus est sine crimine iudice nullo
Accusatus Amor. se quisque absoluere gestit:
Transferat vt proprias aliena in crimina culpas.
65 *Cunctæ exprobrantes tolerati insignia leti*
Expediunt. hæc arma putant. hæc vltio dulcis,
Vt quo quæq; perit, studeat punire dolorem.
Hæc laqueum tenet. hæc speciem mucronis inanem
Ingerit illa cauos amnes, rupemq; rugosam,
70 *Insaniq; metum pelagi, & sine fluctibus æquor.*

Nonnulla

Nonnullæ flammas quatiunt: trepidóque minantur
Stridentes nullo igne faces. rescindit adultum
Myrrha uterũ lachrymis lugẽtibus: ínque pauẽtẽ
Gemmea fletiferi iaculatur succina trunci.
Quædam ignoscentum specie ludibria tantum 75
Sola volunt: stilus vt tenuis sub acumine puncti
Eliciat tenerum, de quo Rosa nata, cruorem.
Aut pubi admoueant petulantia lumina lychni.
Ipsa etiam simili genitrix obnoxia culpæ
Alma Venus tantos penetrat secura tumultus 80
Nec circumuento properans suffragia nato,
Terrorem ingeminat stimulísque accẽdit amaris.
Ancipites furias, natique in crimina confert
Dedecus ipsa suum: quòd vincula cæca mariti
Deprenso Mauorte tulit, quod pube pudenda 85
Hellespontiaci ridetur forma Priapi. (tus.
Quòd crudelis Eryx, quod semiuir Hermaphrodi-
Nec satis in verbis. roseo Venus aurea serto
Mœrentem pulsat puerum, & grauiora pauentem.
Olli purpureum multato corpore rorem 90
Sutilis expreßit crebro rosa verbere: quæ iam
Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucum.
Inde truces cecidêre minæ: vindictáque maior
Crimine visa suo Venerem factura nocentem.
Ipsæ intercedunt Heroides, & sua quæque 95
Funera crudeli malunt adscribere fato.
Tum grates pi[..] mater agit, ceßisse dolentes,
Et condonat [..] puero dimittere culpas.
Talia noct[..] [..]is olim simulacra figuris

100 *Exercent trepidam casso terrore quietem.*
Quæ postquam multa perpessus nocte Cupido
Effugit. pulsa tandem caligine somni
Euolat ad superos, portáque euadit eburna.

Ausonius Paulo suo S. P. D.

Peruincis tandem: & operta musarum mearum, quæ initiorum velabat obscuritas, quanquam non prophanus, irrumpis, Paule carissime. Quamuis enim te non eius vulgi existimem, quod Horatius arcet ingressu: tamen sua cuique sacra: nec idem Cereri quod Libero, etiam sub iisdem cultoribus. Poematia, quæ in alumnam meam luseram, rudia, & inchoata ad domesticæ solatium cantilenæ, quum sine metu, arcana securitate fruerentur, proferre ad lucem caligantia coëgisti. Verecundiæ meæ scilicet spoliũ concupisti, aut quantum tibi in me iuris esset, ab inuito indicari. Ne tu Alexandri Macedonis peruicaciam supergressus: qui fatalis iugi lora quum soluere non posset, abscidit: & Pythiæ specum, quod nefas erat patere, penetrauit. Vtere igitur vt tuis, pari iure, sed fiducia dispari: quippe tua possunt populum non timere: meis etiam intra me erubesco.

Vt voluisti, Paule, cunctos Bissulæ versus habe:
Lusimus quos in Sueuæ gratiam virgunculæ,
Ocium magis fouentes, quàm studentes gloriæ.

Tu molestus flagitator lege molesta carmina.
Tibi quod intristi, exedendum est. sic vetus verbū iubet.
Compedes, quas ipse fecit, ipsius vt gestet faber.

Ad lectorem huius libelli.

Carminis incompti tenuem lecture libellum,
Pone supercilium.
Seria contractis expende poëmata rugis.
Nos Thymelem sequimur.
Bissula in hoc schedio cantabitur, aut Erasmus.
Ammoneo, ante bibas.
Ieiunis nil scribo. meum post pocula si quis
Legerit, hic sapiet.
Sed magis hic sapiet, si dormiet: & putet ista
Somnia missa sibi.

Ausonij Bissula. EDYL. VII.

Vbi nata sit Bissula, & quomodo in manus domini venerit.

Bissula trans gelidū stirpe & lare prosata Renū,
Conscia nascentis Bissula Danubij,
Capta manu, sed missa manu, dominatur in eius
Delicijs, cuius bellica præda fuit.
Matre carens, nutricis egens, nesciuit herai
Imperium. * *
Fortunæ ac patriæ quæ nulla opprobria sensit,
Illico inexperto libera seruitio.
Sic Latijs mutata bonis, Germana maneret
Vt facies, oculos, cærula, flaua, comas.
Ambiguā modo lingua facit, modo forma puellam.

Hæc Reno genitam prædicat, hæc Latio.

De eadem Bissula.

Delicium, blanditiæ, ludus, amor, voluptas,
Barbara, sed quæ Latias vincis alumna pupas.
Bissula nomen, teneræ rusticulum puellæ,
Horridulum non solitis, sed domino venustum.

Ad pictorem de Bissulæ imagine.

Bissula nec ceris, nec fuco imitabilis vllo.
Naturale decus fictæ non commodat arti.
Sandyx & cerussa, alias simulate puellas.
Tēperiē hāc vultus nescit manus. ergo age pictor,
Puniceas confunde rosas, & lilia misce.
Quique erit ex illis color aëris, ipse sit oris.

Ad pictorem de Bissula pingenda.

Pingere si nostram pictor meditaris alumnam,
Æmula Cecropias ars imitetur apes.

Precatio consulis Ausonii designati, pridie Kalendas Ianuarii fascibus sumptis.

EDYLLIVM VIII.

Iane veni, nouus anne veni, renouate veni Sol,
Consulis Ausonij Latiam visure curulem,
Ecquid ab Augusta nunc maiestate secundum
Quod mireris, habes? Roma illa, domusq; Quirini,
Et toga purpurei rutilans prætexta Senati 5
Hoc capite æternis signat sua tempora Fastis,
Anne bonis cœpte auspicijs, de vere salubri
Apricas ventorum animas. da roscia Cancro
Solstitia, & gelidum Boream Septembribus horis
Morde-

Mordeat Autumnas frigus subtile pruinas. 10
Et tenuata modis cesset mediocribus AEstas.
Sementem Notus humificet, sit Bruma niualis,
Dum pater antiqui renouatur Martius anni.
Spiret odorato florum noua gratia Maio.
Iulius & segetes coquat: & mare temperet Euris. 15
Sirius ardentem non augeat igne Leonem.
Discolor arboreos variet Pomona sopores.
Mitiget Autumnus, quod maturauerit æstas.
Et genialis hiems parta sibi dote fruatur.
Pacem mundus agat: nec turbida sidera regnent. 20
Nulla tuos Gradiue offendat stella penates,
Quæ non æqua tibi: non Cynthia, non celer arcus
Finitimus terris: non tu Saturne supremo
Vltime circumitu, procul à Piroënte remotus
Tranquillum properabis iter. Vos cominus ite 25
Stella salutigeri Iouis, & Cythereie Vesper.
Nonnunquam hospitibus facilis Cyllenius adsit.
Iane veni, nouus anne veni. renouate veni Sol.
Hostibus edomitis, qua Francia mixta Sueuis,
Certat ad obsequium, Latijs vt militet armis. 30
Quę vaga Sauromates sibi iũxerat agmina Chunis
Quáque Getis sotijs Histrum adsultabat Alanis.
Hoc mihi præpetibus victoria nuntiat alis.
Iam venit Augustus: nostros vt comat honores,
Officio exornans: quos participare cupisset. 35
Iane veni, nouus anne veni. renouate veni Sol.
Aurea venturo Sol porrige gaudia Iano.
Fascibus Ausonij succedet Cæsar in annum,

Quintam Romulei prætextam habiturus honoris.
40 *Ecce vbi se cumulat mea purpura (mitibus audi*
Auribus hoc Nemesis) post me dignatur oriri
Augustus consul plus quam conferre videtur
Me sibi: qui iussit nostros præcedere fasces.
Iane veni, nouus anne veni. renouate veni Sol.
45 *Coge secuturos bis sena per ostia menses.*
Tu tropicum solida cedere: rursus & illum
Terga dare, vt duplex tropicus varietur ab astro,
Et quater à ternis properet mutatio signis.
AEstiuos impelle dies, brumámque morantem
50 *Noctibus adceleret promissus Cæsaris annus.*
Illum ego si cernam: tum térque quatérque beatus:
Tunc ero bis consul tunc tangam vertice cælum.

Item precatio calendis Ianuariis.
EDYLLIVM IX.

Anne bonis cœpte auspiciis, felicia cernis
Consulis Ausonij primordia Prome coruscum
Sol æterne caput: solitoq; inlustrior, almo
Lumine purpureum iubar exere lucis Eoæ.
5 *Anne pater rerum, quas Iani mense bifrontis*
Voluis in hibernum glaciali fine Decembrem.
Anne veni, & festum veteris nouus aspice Iani.
Sollemnes peruade vias. bissenaq; mundo
Curricula, æquatis varians per tempora signis,
10 *Præcipitem æterna perfer vertigine cursum:*
Sic prono raptate polo contraria Phœbus
Vt momenta ferat seruata parte dierum:

Et nouus

Et nouus hiberno reparet ſua lumina pulſu.
Menſtrua ter decies redeunt dum cornua Lunæ:
Exortus, obitusq; manu voluente, rotabis, 15
Legitimum Phœbi cohibens per ſigna meatum.

Auſonij Moſella. EDYL. X.

Tranſieram celerem nebuloſo flumine Nauam,
Addita miratus veteri noua mœnia vico:
AEquauit Latias vbi quondam Gallia Cannas:
Infletæq; iacent inopes ſuper arua cateruæ.
Vnde iter ingrediens nemoroſa per auia ſolum, 5
Et nulla humani ſpectans veſtigia cultus,
Prætereo arentem ſitientibus vndique terris
Dumniſſum, riguáſque peremni fonte Tabernas:
Aruáque Sauromatûm nuper metata colonis:
Et tamen primis Belgarum conſpicor oris 10
Nouomagum, diui caſtra inclyta Conſtantini.
Purior hic campis aër. Phœbusq; ſereno
Lumine purpureum reſerat iam ſudus Olympum.
Nec iam conſertis per mutua vincula ramis,
Quæritur excluſum viridi caligine cælum: 15
Sed liquidum iubar, & rutilam viſentibus æthram
Libera perſpicui non inuidet aura diei.
In ſpeciem quum me patriæ, cultúmque nitentis
Burdigalæ, blando pepulerunt omnia viſu:
Culmina villarum pendentibus edita ripis, 20
Et virides baccho colles, & amœna fluenta
Subterlabentis tacito rumore Moſellæ.
Salue amnis laudate agris, laudate colonis:
Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ:

25 Amnis odorifero iuga vitea consite baccho.
Consite gramineas amnis viridissime ripas:
Nauiger, vt pelagus: deuexas pronus in vndas,
Vt fluuius: vitreóque lacus imitate profundo.
Et riuos trepido potes æquiparare meatu,
30 Et liquido gelidos fontes præcellere potu.
Omnia solus habes, quæ fons, quæ riuus & amnis,
Et lacus, & biuio refluus manimine pontus.
Tu placidis prolapsus aquis, nec murmura venti
Vlla, nec occulti pateris luctamina saxi.
35 Non superante vado rapidos reparare meatus
Cogeris. extantes medio non æquore terras
Interceptus habes: iusti ne demat honorem
Nominis, exclusum si diuidat insula flumen.
Tu duplices sortite vias. & quum amne secundo
40 Defluis: vt celeres feriant vada concita remi:
Et quum per ripas nusquam cessante remulco
Intendunt collo malorum vincula nautæ.
Ipse tuos quotiens miraris in amne recursus,
Legitiméque putas prope segnius ire meatus?
45 Tu neque limigeris ripam prætexeris vluis:
Nec piger immundo perfundis littora cœno:
Sicca sed in prima aspergis vestigia lympha.
I nunc, & Phrygijs sola læuia consere crustis,
Tendens marmoreum laqueata per atria campum.
50 Ast ego despectis quæ census opésque dederunt,
Naturæ mirabor opus: non cura nepotum,
Lætáque iacturis vbi luxuriatur egestas.
Hic solidæ sternunt humentia littora harenæ,

Nec

Nec retinent memores vestigia pressa figuras.
Spectaris vitreo per læuia terga profundo, 55
Secreti nihil amnis habens. vtq; almus aperto
Panditur intuitu liquidis obtutibus aër:
Nec placidi prohibent oculos per inania venti:
Sic demersa procul durante per intima visu
Cernimus: arcanique patet penetrale fluenti: 60
Quũ vada lene meãt, liquidarũ, & lapsus aquarũ
Prodit cærulea dispersas luce figuras:
Quòd sulcata leui crispatur harena meatu:
Inclinata tremunt viridi quòd gramina fundo.
Vtq; sub ingenuis agitatæ fontibus herbæ, 65
Vibrantes patiuntur aquas: lucétque, latétque
Calculus: & viridem distinguit glarea muscum.
Tota Caledonijs talis pictura Britannis,
Quum virides algas, & rubra corallia nudat
AEstus, & albentes concharum germina baccas, 70
Deliciasq; hominum locupletes, quæq; sub vndis
Assimulant nostros imitata monilia cultus.
Haud aliter placidæ subter vada læta Mosellæ,
Detegit admixtos non concolor herba lapillos.
Intentos tamen vsque oculos errore fatigant 75
Interludentes examina lubrica pisces.
Sed neque tot species obliquatósque natatus,
Quæq; per aduersum succedunt agmina flumen,
Nomináque, & cunctos numerosæ stirpis alumnos
Edere fas, haud ille sinit: cui cura secundæ 80
Sortis: & æquorei cessit tutela tridentis.
Tu mihi flumineis habitatrix Nais in oris,

Squamigeri gregis ede choros,liquidóque sub alueo
Dissere cæruleo fluitantes amne cateruas.
85 *Squameus herbosas Capito inter lucet harenas,*
Viscere præ tenero fartim congestus aristis:
Nec duraturus post bina trihoria mensis.
Purpureísque Salar stellatus tergora guttis,
Et nullo spinæ nociturus acumine Redo.
90 *Effugiensq; oculos celeri leuis Vmbra natatu.*
Tuq; per obliqui fauces vexate Saraui,
Qua bis terna fremunt scopulosis ostia pilis:
Quum defluxisti famæ maioris in amnem,
Liberior laxos exerces Barbe natatus.
95 *Tu melior peiore æuo,tibi contigit omni*
Spirantum ex numero non inlaudata senectus.
Nec te puniceo rutilantem viscere Salmo
Transierim:latæ cuius vaga verbera caudæ
Gurgite de medio summas referuntur in vndas,
100 *Occultus placido cum proditur æquore pulsus.*
Tu loricato squamosus pectore frontem
Lubricus,& dubiæ facturus fercula cœnæ,
Tempora longarum fers incorrupte morarum,
Præsignis maculis capitis:cui prodiga nutat
105 *Aluus,opimatoq; fluens abdomine venter.*
Quæq; per Illyricum,per stagna binominis Istri.
Spumarum indiciis caperis Mustella natantum,
In nostrum subuecta fretum,ne lata Mosellæ
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
110 *Quis te naturæ pinxit color? atra superne*
Puncta notant tergum:qua lutea circuit Iris.

Lubrica

Lubrica cæruleus perducit tergora fucus,
Corporis ad medium fartim pinguescis: at illinc
Vsq; sub extremam squallet cutis arida caudam.
Nec te delicias mensarum Perca silebo, 115
Amnigenos inter pisces dignande, marinis
Solus puniceis facilis contendere mullis.
Nam neq; gustus iners, solidoq; in corpore partes
Segmentis coëunt: sed dissociantur aristis.
Hic etiam Latio risus prænomine, cultor 120
Stagnorum, querulis vis infestissima ranis,
Lucius obscuras vlua cænoq; lacunas
Obsidet hic nullos mensarum lectus ad vsus,
Feruet fumosis olido nidore popinis.
Quis non & virides volgi solatia Tincas 125
Norit, & Alburnos prædam puerilibus hamis,
Stridentesq; focis opsonia plebis Alausas?
Teq; inter species geminas, neutrúmque & vtrunq;,
Qui necdum Salmo, nec iam Salar, ambiguúsque
Amborum medio Fario intercepte sub æuo? 130
Tu quoque flumineas inter memorande cohortes
Gobio, non maior geminis sine pollice palmis,
Præpinguis teres, ouipara congestior aluo:
Propexiq; iubas imitatus Gobio Barbi.
Nunc pecus æquoreum celebrabere magne Silure: 135
Quem velut Actæo perductum tergora oliuo
Amnicolam Delphina reor. sic per freta magnum
Laberis, & longi vix corporis agmina soluis,
Aut breuibus defensa vadis, aut fluminis vluis:
Aut quum tranquillos moliris in amne meatus. 140

Te virides ripæ, te cærula turba natantum,
Te liquidæ mirantur a ,uæ. diffunditur alueo
AEstus. & extremi procurrunt margine fluctus.
Talis Atlantiaco quondam Ballæna profundo,
145 *Quum vento motúve suo telluris ad oras*
Pellitur exclusum fundit mare: magnáque surgunt
AEquora: viciníque timent decrescere montes.
Hic tamen, hic nostræ mitis Ballæna Mosellæ,
Exitio procul est: magnóque honor additus amni.
150 *Iam liquidas spectasse vias, & lubrica pisces*
Agmina, multiplicésque satis numerasse cateruas.
Inducant aliam spectacula vitea pompam:
Sollicitentq; vagos baccheïa munera visus:
Quà sublimis apex longo super ardua tractu
155 *Et rupes, & aprica iugi, flexúsque, sinúsque,*
Vitibus assurgunt, naturalique theatro.
Gauranum sic alma iugum vindemia vestit,
Et Rodopen, proprióque nitent Pangæa Lyæo.
Sic viret Ismarius super æquora Thracia collis.
160 *Sic mea flauentem pingunt vineta Garumnam.*
Summis quippe iugis tendentis in vltima cliui,
Conseritur viridi fluuialis margo Lyæo.
Læta operum plebes, festinantésque coloni
Vertice nunc summo properant, nunc deiuge dorso,
165 *Certantes stolidis clamoribus. inde viator*
Riparum subiecta terens, hinc nauita labens,
Probra canunt seris cultoribus adstrepit ollis,
Et rupes & silua tremens, & concauus amnis.
Nec solos hominum delectat scena locorum.

Hic

Hic ego & agrestes Satyros, & glauca tuentes 170
Naïdas, extremis credam concurrere ripis:
Capripedes agitat cum læta proteruia Panas,
Insultantq; vadis: trepidásque sub amne sorores
Terrent indocili pulsantes verbere fluctum.
Sæpe etiam medijs furata è collibus vuas 175
Inter Oreiadas Panope fluuialis amicas,
Fugit lasciuos paganica numina Faunos.
Dicitur, & medio quum sol stetit igneus orbe,
Vt commune fretum, Satyros, vitreásque sorores,
Consortes celebrare choros, quum præbuit horas 180
Secretas hominum cœtu flagrantior æstus:
Tunc insultantes sua per freta ludere Nymphas,
Et Satyros mersare vadis: rudibúsque natandi,
Per medias exire manus: dum lubrica falsi
Mẽbra petũt liquidosq; fouent pro corpore fluctus. 185
Sed non hæc spectata vlli, nec cognita visu.
Fas mihi sit pro parte loqui secreta tegatur,
Et commissa suis lateat reuerentia riuis.
Illa fruenda palam species. quum glaucus opaco
Respondet colli fluuius: frondere videntur 190
Fluminei latices, & palmite consitus amnis.
Quis color ille vadis. seras quum protulit vmbras
Hesperus, & viridi perfundit monte Mosellam?
Tota natant crispis iuga motibus: & tremit absens
Pampinus, & vitreis vindemia turget in vndis. 195
Adnumerat virides derisus nauita vites:
Nauita caudiceo fluitans super æquora lembo.
Per medium qua sese amni confundit imago,

Collis & umbrarum confinia conferit amnis.
200 Hæc quoq; quàm dulces celebrãt spectacula põpas.
Remipedes medio certant quum flumine lembi,
Et varios ineunt flexus, viridesq; per oras
Stringunt attonsis pubentia germina pratis.
Puppibus, & proris alacreis gestire magistros.
205 Impubemq; manum super amnica terga vagantem
Dum spectat, transire diem sua seria ludo
Posthabet: excludit veteres noua gratia curas.
Tales Cumano despectat in æquore ludos
Liber, sulphurei quum per iuga consita Gauri,
210 Perq; vaporiferi graditur vineta Vesuui:
Quum Venus Actiacis Augusti læta triumphis,
Ludere lasciuos fera prœlia iussit amores.
Qualia Niliacæ classes, Latiæq; triremes
Subter Apollineæ gesserunt Leucados arces:
215 Aut Pompeiani Mylasena pericula belli
Euboicæ referunt per Auerna sonantia cymbæ:
Innocuos ratium pulsus, pugnasq; iocantes
Naumachiæ: Siculo quales spectante Peloro
Cæruleus viridi reparat sub imagine pontus:
220 Non aliam speciem petulantibus addit ephebis,
Pubertasq; amnis, & picti rostra phaselli.
Hos Hyperionio quum sol perfuderit æstu,
Reddit nautales vitreo sub gurgite formas:
Et redigit pandas inuersi corporis umbras.
225 Vtq; agiles motus dextra, læuaq; frequentent,
Et commutatis alternant pondera remis,
Vnda refert alios simulacra humentia nautas.

Ipsa

Ipsa suo gaudet simulamine nautica pubes,
Fallaces fluuio mirata redire figuras.
Sic vbi compositos ostentatura capillos, 230
Candentem late speculi explorantis honorem,
Quum primum caræ nutrix admouit alumnæ:
Læta ignorato fruitur virguncula ludo:
Germanæq; putat formam spectare puellæ.
Oscula fulgenti dat non referenda metallo: 235
Aut fixas prætentat acus: aut frontis ad oram
Vibratis cæptat digitis extendere crines,
Talis ad vmbrarum ludibria nautica pubes
Ambiguis fruitur veri falsiq; figuris.
Iam verò accessus faciles qua ripa ministrat: 240
Scrutatur toto populatrix turba profundo.
Heu male defensus penetrali flumine piscis:
Hic medio procul amne trahens humentia lina,
Nodosis decepta plagis examina verrit:
Ast hic tranquillo quà labitur agmine flumen, 245
Ducit corticeis fluitantia retia signis.
Ille autem scopulis subiectas pronus in vndas,
Inclinat lentæ connexa cacumina virgæ,
Indutos escis iaciens letalibus hamos.
Quos ignara doli postquam vaga turba natantum 250
Rictibus inuasit: patulæq; per intima fauces
Sera occultati senserunt vulnera ferri:
Dum trepidant subit indicium: crispoq; tremori
Vibrantis setæ nutans consentit harundo.
Nec mora: & excussam stridenti verbere prædam 255
Dextera in obliquum raptat puer. excipit ictum

Spiritus. vt fractis quondam per inane flagellis
Aura crepat: motóque adsibilat aëre ventus.
Exultant vdæ super arida saxa rapinæ:
260 Luciferique pauent letalia tela diei.
Quíque sub amne suo mansit vigor, aëre nostro
Segnis anhelatis vitam consumit in auris.
Iam piger inualidos vibratur corpore plausus.
Torpida supremos patitur iam cauda tremores.
265 Nec coëunt rictus. haustas sed hiatibus auras
Reddit mortiferos expirans branchia flatus.
Sic vbi fabriles exercet spiritus ignes,
Accipit alterno cohibétque foramine ventos
Lanea fagineis alludens parma cauernis.
270 Vidi egomet quosdam leti sub fine trementes
Collegisse animas: mox in sublime citatos,
Cernua subiectum præceps dare corpora in amnem,
Desperatarum potientes rursus aquarum.
Quos impos damni puer inconsultus ab alto
275 Impetit, & stolido captat prensare natatu.
Sic Anthedonius Bœotia per freta Glaucus
Gramina gustatu postquam exitialia Circes
Expertus carptas moribundis piscibus herbas
Sumpsit, Carpathium subijt nouus accola pontum.
280 Ille hamis & rete potens, scrutator operti
Nereos, æquoream solitus conuerrere Tethyn,
Inter captiuas fluitauit prædo cateruas.
Talia despectant longo per cærula tractu
Pendentes saxis instanti culmine villæ.
285 Quas medius dirimit sinuosis flexibus errans

Amnis:

Amnis: & alternas commut prætoria ripas.
Quis modo Sestiacum pelagus, Nepheleidos Helles
Aequor, Abydeni freta quis miretur ephebi?
Quis Chalcedonio constratum ab littore pontum,
Regis opus Magni medijs Euripus vbi vndis, 290
Europæq;, Asiæq; vetat concurrere terras?
Non hic dira freti rabies, non sæua furentum
Prælia Caurorum licet hic commercia linguæ
Iungere, & alterno sermonem texere pulsu.
Blanda salutiferas permiscent littora voces, 295
Et voces & pæne manus. resonantia vtrinque
Verba refert. medijs concurrit fluctibus Echo.
Qui potis innumeros cultúsque habitúsque retexēs
Pandere tectonicas per singula prædia formas?
Non hoc spernat opus Gortynius aliger, ædis 300
Conditor Euboicæ. casus quem fingere in auro
Conantem Icarios patrij pepulêre dolores.
Non Philo Cecropius: non qui laudatus ab hoste,
Clara Syracosij traxit certamina belli.
Forsan & insignes hominúmque operúmque labores 305
Hic habuit decimo celebrata volumine Margei
Hebdomas hic clari viguêre Menecratis artes:
Atq; Ephesi spectata manus: vel in arce Mineruæ
Ictinus. magico cui noctua perlita fuco
Allicit omne genus volucres: perimítque tuendo. 310
Conditor hic forsan fuerit Ptolemaidos aulæ
Dinochares: quadro cui in fastigia cono
Surgit: & ipsa suas consumit Pyramis vmbras,
Iussus ob incesti qui quondam fœdus amoris

315 *Arsinoen Pharij suspendit in aëre templi.*
Spirat enim tecti testudine Corus Achates,
Afflictámque trahit ferrato crine puellam.
Hos ergo aut horum similes est credere dignum
Belgarum in terris senas posuisse domorum,
320 *Molitos celsas fluuij decoramina villas.*
Hæc est natiui sublimis in aggere saxi,
Hæc procurrentis fundata crepidine ripæ.
Hæc refugit, captúmque sinu sibi vindicat amnem.
Illa tenens collem, qui plurimus imminet amni,
325 *Vsurpat faciles per culta, per aspera visus:*
Vtque suis. fruitur diues speculatio terris.
Quinetiam riguis humili pede condita pratis
Compensat celsi bona naturalia montis:
Sublimique minans irrumpit in æthera tecto,
330 *Ostentans altam, Pharos vt Memphitica, turrim.*
Huic proprium est clausos concepto gurgite pisces
Apricas scopulorum inter captare nouales.
Hæc summis innixa iugis, labentia subter
Flumina despectu iam caligante tuetur.
335 *Atria quid memorem viridantibus assita pratis?*
Innumerisque super nutantia tecta columnis?
Quid quæ sulphurea substructa crepidine fumant
Balnea, feruenti cum Mulciber haustus operto
Voluit anhelatas tectoria per caua flammas,
340 *Inclusum glomerans æstu expirante vaporem?*
Vidi ego defessos multo sudore lauacri
Fastidisse lacus, & frigora piscinarum,
Vt viuis fruerentur aquis: mox amne refotos

Plauden-

Plaudenti gelidum flumen pepulisse natatu.
Quòd si Cumanus huc afforet hospes ab oris, 345
Crederet Euboicas simulacra exilia Baias
His donasse locis: tantus cultúsque nitórque
Allicit, & nullum parit oblectatio luxum.
Sed mihi qui tandem finis tua glauca fluenta
Dicere? dignandúmque mari memorare Mosellam? 350
Innumeri quòd te diuersa per ostia latè
Incurrunt amnes? quanquam differre meatus
Possent: sed celerant in te consumere nomen.
Nánque & Pronæ Nemesæq; adiuta meatu
Sura, tuas properat non degener ire sub vndas: 355
Sura interceptis tibi gratificata fluentis:
Nobilius permixta tuo sub nomine, quàm si
Ignoranda patri confunderet ostia ponto.
Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus
Festinant famulis quàm primũ adlambere lymphis. 360
Nobilibus Gelbis celebratus piscibus: ille
Præcipiti torquens cerealia saxa rotatu,
Stridentésque trahens per læuia marmora serras,
Audit perpetuos ripa ex vtráque tumultus.
Prætereo exilem Lesuram, tenuémque Drachonum. 365
Nec fastiditos Salmonæ vsurpo fluores.
Nauiger vndisona dudum me mole Sarauus
Torta veste vocat: longum qui distulit amnem,
Fessa sub Augustis vt volueret ostia muris.
Nec minor hoc, tacitum qui per sola pinguia labens 370
Stringit frugiferas felix Alisontia ripas.
Mille alij, prout quenque suus magis impetus vrget,

Esse tui cupiunt. tantus properantibus vndis
Ambitus, aut molles. Quod si tibi dia Mosella
375 *Smyrna suum vatem vel Mantua clara dedisset:*
Cederet Iliacis Simois memoratus in oris:
Nec praeferre suos auderet Tibris honores.
Da veniam mihi, Roma potens: pulsa oro, facessat
Inuidia: & Latiae Nemesis non cognita linguae
380 *Imperij sedem, Romaeq; tuere parentes.*
Salue magne parens frugumq; virumq; Mosella.
Te clari proceres: te bello exercita pubes:
Aemula te Latiae decorat facundia linguae.
Quinetiam mores & laetum fronte seuera
385 *Ingenium, natura tuis concessit alumnis,*
Nec sola antiquos ostentat Roma Catones:
Aut vnus tantum iusti spectator & aequi
Pollet Aristides, veteres quae illustrat Athenas.
Verùm ego quid laxis nimium spatiatus habenis
390 *Victus amore tui praeconia detero? conde*
Musa chelyn pulsis extremo carmine neruis.
Tempus erit, quum me studijs ignobilis otij
Mulcentem curas, senijq; aprica fouentem,
Materiae commendet honos: quum facta viritim
395 *Belgarum, patriosq; canam decora inclyta mores.*
Mollia subtili nebunt mihi carmina filo
Pierides: tenuique aptas subtegmine telas
Percurrent. dabitur nostris quóque purpura fusis.
Quis mihi tum non dictus erit? memorabo quietos
400 *Agricolas, legúmque catos, fandíque potentes,*
Praesidium sublime reis. quos curia summos

Muni-

Municipum vidit proceres, propriúmque Senatum.
Quos prætextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris præconia Quintiliani.
Quique suas rexêre vrbes, puriúmque tribunal 405
Sanguine, & innocuas illustrauêre secures.
Aut Italûm populos, aquilonigenásque Britannos,
Præfecturarum titulo tenuêre secundo.
Quique caput rerum Romā, populúmque, patrésque,
Tantum non primo rexit sub nomine: quamuis 410
Par fuerit primis. Festinat soluere tandem
Errorem, fortuna suum: libatáque supplens
Premia iam veri fastigia reddet honoris
Nobilibus repetenda nepotibus. At modo cœptum
Detexatur opus, dilata laude virorum. 415
Dicamus læto per rura virentia tractu
Felicem fluuium: Renique sacremus in vndis.
Cæruleos nunc Rene sinus, hyalóque virentem
Pande peplum: spatiúmque noui metare fluenti.
Fraternis cumulandus aquis. nec præmia in vndis, 420
Sola, sed Augustæ veniens quòd mœnibus vrbis,
Spectauit iunctos natique, patrísque triumphos,
Hostibus exactis Nicrum super, & Lupodunum,
Et fontem Latijs ignotum annalibus Histri.
Hæc profligati venit modo laurea belli: 425
Mox alias aliásque feret. Vos pergite iuncti.
Et mare purpureum gemino propellite tractu.
Neu verere minor pulcherrime Rene videri.
Inuidiæ nil hospes habet. potière perenni
Nomine. tu fratrem, famæ securus, adopta, 430

Diues aquis, diues nymphis largitor vtrique
Alueus extendet geminus diuortia ripis:
Communésque vias diuersa per ostia fundet.
Accedent vires, quas Francia, quásque Camaues,
435 *Germaníque tremant. tunc verus habere limes.*
Accedet tanto geminum tibi nomen ab amni.
Quúmque vno de fonte fluas, dicêre bicornis.
Hæc ego, VIVISCA *ducens ab origine gentem,*
Belgarum hospitijs nunc per noua fœdera notus,
440 *Ausonius nomen Latium, patriáque, domóque*
Gallorum extremos inter, celsámque Pyrenen,
Temperat ingenuos qua læta Aquitania mores,
Audax exigua fide concino. Fas mihi sacrum
Perstrinxisse amnem tenui libamine Musæ.
445 *Nec laudem affecto. veniam peto, sunt tibi multi*
Alme amnis sacros qui sollicitare fluores
Aonidum. totámque solent haurire Aganippen.
Ast ego quanta mei dederit se vena liquoris,
Burdigalam quum me in patriam, nidumq; senectæ
450 *Augustus, pater, & natus, mea maxima cura,*
Fascibus Ausonijs decoratum & honore curuli
Mittent emeritæ post tempora disciplinæ:
Latius arctoi præconia persequar amnis.
Addam vrbes tacito quas subter laberis alueo:
455 *Mœniáque antiquis te prospectantia muris.*
Addam præsidijs dubiarum condita rerum,
Sed modo securis non castra sed horrea Belgis.
Addam felices ripa ex vtráque colonos.
Téque inter medios hominúmque boúmque labores,
Strin-

Stringentem ripas & pinguia culta secantem. 460
Non tibi se Liger anteferet. non Axona praeceps,
Matrona non Gallos, Belgósque intersita fines.
Santonico refluus non ipse Carantonus æstu.
Concedes gelido Durani de monte volutus
Amnis: & auriferum postponet Gallia Tarnem. 465
Insanúmque ruens per saxa rotantia latè
In mare purpureum dominæ tamen ante Mosellæ,
Numine adorato, Tarbellius ibit Aturrus.
Corniger externas celebrande Mosella per oras,
Nec solis celebrande locis, vbi fonte supremo 470
Exeris auratum taurinæ frontis honorem:
Quáque trahis placidos sinuosa per arua meatus:
Vel qua Germanis sub portubus ostia soluis:
Si quis honos tenui volet aspirare camenæ,
Perdere si quis in his dignabitur ocia musis, 475
Ibis in ora hominum, lætóque fouebere cantu.
Te fontes, viuique lacus, te cærula noscent
Flumina: te veteres pagorum gloria luci,
Te Druna, te sparsis incerta Druentia ripis,
Alpinique colent fluuij, duplicémque per vrbem 480
Qui meat, & Dextræ Rodanus dat nomina ripæ.
Te stagnis ego cæruleis, magnúmque sonoris
Amnibus, æquoreæ te commendabo Garumnæ.

Ausonius Symmacho salutem.

LATEBAT inter nugas meas libellus ignobilis: vtinámque latuisset: neque indicio suo, tanquam sorex, periret. Hunc ego quum

velut gallinaceus Euclionis, ſitu chartei pulueris eruiſſem, excuſſum relegi: atque vt auidus fœnerator, improbum nummum malui occupare, quàm condere. Dein cogitans mecum, non illud Catullianum,

Cui dono lepidum nouum libellum:

ſed ἀμουσότερον, & verius,

Cui dono illepidum rudem, libellum:

non diu quæſiui. Tu enim occurriſti: quem ego: ſi mihi poteſtas ſit ex omnibus deligendi vnum, ſemper elegerim. Miſi itaque ad te friuola gerris Siculis vaniora: vt quum agis nihil, hæc legas: & ne nihil agas, defendas. Igitur iſte nugator libellus, iam diu ſecreta quidem, ſed vulgi lectione laceratus, perueniet tandem in manus tuas. Quem tu aut vt AEſculapius, redintegrabis ad vitam: aut vt Plato iuuante Vulcano, liberabis infamia: ſi peruenire non debet ad famam. Fuit autem ineptiolæ huius iſta materia. In expeditione, quod tempus, vt ſcis, licentiæ militaris eſt, ſuper menſam meam facta eſt inuitatio, non illa de Rubrij conuiuio, vt Greco more biberetur: ſed illa de Flacci ecloga: in qua propter mediam noctem, & nouam lunam, & Murenæ auguratum, ternos ter cyathos attonitus petit vates. Hunc locum de ternarió numero, illico noſtra illa poëtica ſcabies cœpit excalpere: cuius morbi quoniam facilè contagium

tagium eſt, vtinam ad te quoque prurigo commigret: & fuco tuæ emendationis adiecto, impingas ſpongiam: quæ imperfectum opus equi malè ſpumantis abſoluat. Ac ne me neſcias glorioſum: cœptos inter prandendum verſiculos, ante cœnæ tempus abſolui: hoc eſt, dum bibo, & paulo ante, quàm biberem. Sit ergo examen pro materia, & tempore. Sed tu quoque hoc ipſum paulò hilarior & dilutior lege namque iniurium eſt de poëta malè ſobrio lectorem abſtemium iudicare. Neque me fallit, fore aliquem, qui hunc iocum noſtrum acutis naribus, & caperata fronte condemnet: negétq. me omnia, quæ ad ternarium, & nouenarium numeros pertinent, attigiſſe. quem ego verum dicere fatebor: iuſtè negabo. Quippe ſi bonus eſt: quæ omiſi, non oblita mihi, ſed prætcrita exiſtimet dehinc qualiſcunque eſt, cogitet ſecum, quàm multa de his non reperiſſet, ſi ipſe quæſiſſet. ſciat etiã me nec omnibus érutis vſum, & quibuſdam oblatis abuſum. Quàm multa enim de ternario ſciens neglexi! tempora, & perſonas, genera, & gradus, nouem naturalia metra cum trimetris, totam grammaticam, & muſicã: libróſque medicinæ, ter maximum Hermeti, & amatorem primum philoſophiæ, Varroníſque numeros, & quicqnid prophanum vulgus nõ iguorat. Poſtremò, quod

facile est, quum ipse multa inuenerit: comparet se atque me, occupatum cum ocioso, pransum cum abstemio, iocum & ludum meum, diligentiam & calumniam suam. Alius enim alio plura inuenire potest: nemo omnia. Quòd si alicui & obscurus videbor: apud cũ me sic tuebere. Primum eiusmodi edyllia, nisi vel obscura sint, nihil futura. deinde numerorum naturam non esse scirpum: vt sine nodo sint. Postremò si etiam tibi obscurus fuero: cui nihil neque non lectum est, neque non intellectum: tum verò ego beatus, quod affectaui, assequar, me vt requiras, me desideres, de me cogites. Vale.

Griphus, Ternarij numeri. EDYL. XI.

Ter bibe, vel toties ternos. sic mystica lex est:
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,
Imparibus nouies ternis contexere cubam.
Iuris idem tribus est, quod ter tribus. omnia in istis,
5 *Forma hominis cœpit pleníque exactio partus:*
Quíque nouem nouies fati tenet vltima finis.
Tres Ope progeniti fratres. tres ordine Parcæ.
Vesta Ceres & Iuno secus muliebre sorores.
Inde trisulca Iouis sunt fulmina Cerberus inde,
10 *Inde Tridens: tripléxque Helenes cũ fratribus ouũ.*
Ter noua Nestoreos impleuit purpura fusos.
Et toties trino cornix viuacior æuo.
Quam nouies terni glomerantem sæcula tractus
Vincunt

Vincunt aëripedes ter terno Nestore cerui.
Tris quorum ætates superat Phœbeïus oscen. 15
Quem nouies senior Gangeticus anteit ales,
Ales Cinnameo radiatus tempora nido.
Tergemina est Hecate. tria virginis ora Dianæ.
Tres Charites. tria Fata. triplex vox. trina elemẽta 20
Tres in Trinacria Siredones: omnia trina:
Tres volucres, tres semideæ, tres semipuellæ:
Ter tribus ad palmam iussæ certare camænis,
Ore, manu, flatu: buxo, fide, voce canentes.
Tres sophiæ partes. tria Punica bella. trimestres
Annorum cœliq; vices. noctisq; per vmbram 25
Tergemini vigiles. ter clara instantis Eoi
Signa canit seruus deprenso Marte satelles.
Et qui conceptus triplicatæ vespere noctis,
Iussa quater ternis suspendit opima trophæis.
Et lyrici vates numero sunt Mnemosynarum, 30
Tris solas quondam tenuit quas dextera Phœbi.
Sed citheron totiens ternas ex ære sacrauit
Relligione patrum: qui sex periisse timebant.
Trina Terentino celebrata trinoctia ludo:
Qualia bis genito Thebis Trieterica Baccho. 35
Tris primas Tracum pugnas tribus ordine sellis,
Iuniadæ patri inferias miscere sepulto.
Ille etiam thalamos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes, & quadrupes foret, & tripes omnia so-
Terruit, Aoniã volucris, leo, virgo triformis (lus, 40
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.
Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.

Humana efficiunt habitacula tergenus artes,
Parietibus qui saxa locat, qui culmine tigna,
45 *Et qui supremo comit tectoria cultu.* (na.
Hinc Bromij quadrãtal. & hinc Sicana medim-
Hoc tribus, hoc geminis tribus explicat vsus agẽdi.
In Physicis tria prima. Deus, mundus, data forma.
Tergenus omnigenum, genitor, genitrix, generatũ,
50 *Per trinas species trigonorum, regula currit,*
AEquilatus, vel crure pari, vel in omnib. impar.
Tris coit in partes numerus perfectus: vt idem
Congrege ter trino per ter tria dissoluatur.
Tris primus par impar habet, mediumq;: sed ipse
55 *Qui medius, quinq. & septem quoq. diuidit vnus.*
Et numero in toto positus sub acumine centri,
Distinguit solidos cubo pereunte trientes,
AEquipares dirimens partes ex impare terno:
Et paribus triplex medium: quum quattuor & sex,
60 *Bisq; quaternorum secernitur omphalos idem.*
Ius triplex, tabulæ quod ter sanxère quaternæ,
Sacrũ, priuatũ, & populi cõmune quod vsquam est.
Interdictorum trinum genus: vnde repulsus
Vi fuero, aut Vtrobi fuerit, Quorúmve bonorum.
65 *Triplex libertas, capitisq; minutio triplex.*
Trinum dicendi genus est, sublime, modestum,
Et tenui filo triplex quoque forma medendi,
Quæ logos, aut methodos, cuiq; experientia nomen.
Et medicina triplex, seruare, cauere, mederi.
Tres oratorum cultus, regnata Colosso
70 *Quem Rhodos, Actæa, quem dilexistis Athenæ,*
Et

Et quem de ſcenis tetrica ad ſubſellia traxit
Proſa Aſiæ, in cauſis numeros imitata chororum.
Orpheos hinc tripodes, quia ſunt tria, terra, aqua, flammæ,
Triplex ſiderib. poſitus, diſtantia forma, 75
Et modus. & genitrix modulorum muſica triplex,
Mixta libris ſecreta aſtris, vulgata theatris.
Martia Roma triplex: equitatu, plebe, Senatu.
Hoc numero tribus, & ſacro de monte Tribuni.
Tres equitum turmæ. tria nomina nobiliorum. 80
Nomina ſunt chordis tria. ſunt tria nomina menſi.
Geryones triplex. triplex compago Chimæræ.
Scylla triplex commiſſa tribus, cane, virgine, piſce.
Gorgones, Harpyiæq; & Erynnies agmine terno.
Et tres fatidicæ nomen commune Sibyllæ: 85
Quarum tergemini fatalia carmina libri:
Quos ter quinorum ſeruat cultura virorum.
Ter bibe. tris numerus ſuper omnia, ter Deus vnus.
Hic quoque ne ludus numero tranſcurrat inerti,
Ter decies ternos habeat, deciesq; nouenos. 90

Technopægnion. EDYL. XII.
Auſonius Pacato Proconſuli.

SCIO mihi apud alios pro laboris modulo laudem non poſſe procedere. quam tamen ſi tu indulſeris, vt ait Afranius in Thaide, maiorem laudem quàm laborem inuenio Quæ lecturus es, Monoſyllaba ſunt, quaſi quædam puncta ſermonum: in quibus nullus facundiæ locus eſt, ſenſuum nulla conceptio, propoſitio, redditio, concluſio, aliáq. ſophiſtica, quæ in

vno versu esse non possunt: sed cohærent ita, vt circuli catenarum separati. Et simul ludicrum opusculum texui, ordini maiuscula solitus: sed in tenui labor, at non tenuis gloria. Si probantur: u facies: vt sint aliquid. Nam sine te Monosyllaba erunt, vel si quid minus. In quibus ego, quod ad vsum pertinet, lusi: quod ad molestiam laboraui Libello Techno. pægnii nomen dedi: ne aut ludum loboranti, aut artem crederes defuisse ludenti. Vale.

Ausonius Paulino suo.

MISI ad te Technopægnion, inertis otii mei inutile opusculum. Versiculi sunt monosyllabis cœpti, & monosyllabis termitati. Nec hîc modò stetit scrupea difficultas, sed accessit ad miseriam cogitandi, vt idem monosyllabum, quod esset finis extremi versus, principium fieret in sequentis. Dic ergo, & ô mora, ô pœna, rem vanam. quippe cura exigua est. Et fastiditur inconnexa & implicatur: quum sit aliquid nihili, vel deprehenditur. Laboraui tamen, vt haberet aut historicon quippiam, aut dialecticon. Nam poeticam vel sophisticam leuitatem necessitas obseruationis exclusit. Ad summam, non est quod mireris: sed paucis literis additis, est cuius misereareris: neque æmulari velis, & si huc quoque descenderis, maiorem molestiam capias ingenii, & facundiæ detrimento, quàm oblecta-

oblectationem imitationis affectu. Vale.

Versus monosyllabis cœpti, & finiti, ita, vt à fine versus ad principium recurrant.

Res hominũ fragiles alit & regit, & perimit fors.
Fors dubia æternũq; labãs, quã blanda fouet spes.
Spes nullo finita æuo: cui terminus est mors.
Mors auida inferna mergit caligine quam nox.
Nox obitura vicem: remeauerit aurea quum lux. 5
Lux dono concessa deum: cui prænius est sol.
Sol cui nec furto Veneris latet armipotens Mars
Mars nullo de patre satus: quẽ Tressa colit gens.
Gẽs infrena virũm: quibus in scelus omne ruit fas.
Fas hominem mactare sacris ferus iste loci mos 10
Mos ferus audacis populi: quem nulla tenet lex.
Lex, naturali quam condidit imperio ius
Ius genitum pietate hominum, ius certa Dei mens.
Mens, quæ cælesti sensu rigat emeritum cor.
Cor vegetũ mũdi instar habẽs, animæ vigor, ac vis. 15
Vis tamẽ hic nulla est: verũ est iocus & nihili res.

Præfatio monosyllaborũ tantum in fine positorũ.

VT in vetere verbo est, Sequitur vara vibiam, similium nugarum subtexo nequitiam, & hi versiculi monosyllabis terminantur, exordio tamen libero, quanquam fine legitimo. Sed laboraui, vt quantum posset videri apud aures indulgentissimas, absurda concinnerent, insulsa resiperent, hiulcula congruerent: denique haberent & amara dulcedinem, & inamœna venerem, & aspera leni-

tatem. Quæ quidem omnia quoniam insuauis materia deuenustat, lectio benigna conciliet. Tu quoque mihi tua crede securior, quippe meliora. Sed vt quod per adagionem cœpimus, prouerbio finiamus. Mutuum muli scabant.

AEmula dijs, naturæ imitatrix omniparens ars.
Pacato vt studeat ludus meus, esto operi dux.
Arcta, inamœna licet, nec cōgrua carminibus lex.
20 *Iudice sub tanto fandi tamen accipiet* ius.
Quippe & ridiculis data gloria, ni prohibet fors.

De membris.

Indicat in pueris septennia prima nouus dens.
Pubentes annos robustior anticipat vox.
Inuicta & ventis, & solibus est hominum frons.
25 *Et durum nerui, cum viscere consociant* os.
Palpitat irrequies, vegetum, teres, acre, calens cor.
Vnde vigent sensus: dominatrix quos vegetat mēs
Atq; in verba refert modulata lege loquax os.
Quàm validū est, hominis quota portio cæruleū fel.
30 *Quàm tenue, & molē quantā fert corpoream* crus?
Pondere sub quanto nostrum moderatur iter pes?

Inconnexa.

Sæpe in coniugiis fit noxia, si nimia est dos.
Sexus vterque potens, sed præualet imperio mas.
Qui rectè faciet, non qui dominatur: erit rex.
35 *Vexat amicitias, & fœdera dissociat* lis.
Incipe, quidquid agas: ꝑ toto est prima operis pars.
Insinuat cælo, dijsq; inserit emeritos laus.

Et

Et disciplinis conferta est & vitijs *vrbs.*
Vrbibus in tutis munitior vrbibus est *arx.*
Auro magnus honos. auri pretium tamen est *æs.* 40
Longa dies operosa viro, sed temperies *nox.*
Qua caret AEthiopũ plaga, peruigil irrequies *gẽs.*
Semper vbi æterna vertigine clara nitet *lux.*

De deis.

Sũt & cælicolûm monosyllaba. prima deûm *Fas:*
Quæ Themis est Graijs. post hanc Rhea, quæ La- 45
tijs *Ops.*
Tum Iouis & Consi germanus Tartareus *Dis.*
Et soror & coniunx fratris, regina deûm *Vis.*
Et qui quadrijugo curru pater inuehitur *Sol,*
Quique truces belli motus ciet armipotens *Mars.*
Quẽ nũquam pietas, nunquã bona sollicitat *Pax.* 50
Nec cultor nemorum reticebere Menalide *Pan.*
Nec Genius domuum Larunda progenitus *Lar.*
Fluminibúsque Italis præpollens sulfureus *Nar.*
Quæq; piat diuûm periuria noctìcolor *Styx.*
Veliuolique maris constrator Leuconotos *Libs.* 55
Et nũquam in dubijs hominũ, bona destituẽs *Spes.*

De cibis.

Nec nostros reticebo cibos, quos priscus habet *mos.*
Irritamentum quibus additur æquoreum *sal.*
Olim communis pecori cibus, atque homini *glans.*
Ante equidẽ campis quàm spicea suppeteret *frux.* 60
Mox ador, atque adoris de polline pultificũ *far.*
Instruxit mensas quo quondam Romulidûm *plebs.*

Hinc cibus, hinc potus, cũ dilueretur aqua puls.
Est inter fruges morsu piper æquiperans git.
65 *Et Pelusiaco de semine plana, teres* lens.
Et duplici defensa putamine quinquegenus nux.
Quodq; cibo, & potu placitũ, labor acer apũ, mel.
Naturæ liquor iste nouæ: cui summa natat fax.

De historiis.

Solamen tibi Phœbe nouum dedit Oebalius flos.
70 *Flore alio reus est Narcissi morte sacer* fons.
Cædis Adonéæ mala gloria fulmineus sus.
Periurum Lapitham Iunonia ludificat nubs.
Ludit & Aeaciden Parnassia Delphicolæ sors.
Treicium Lybicum freta Cimmeriumq; secat bos.
75 *Nō sine Hamadryadis fato cadit arborea* trabs.
Quo generata Venus, Saturnia desecuit falx.
Sicca inter rupes Scythicæ stetit alitibus crux.
Vnde Prometheo de corpore sanguineus ros.
Aspergit cautes, & dira aconita creat cos.
80 *Ibicus vt perijt, index fuit altiuolans* grus.
Aeacidæ ad tumulũ mactata est Andromachæ glos
Carcere in Argiuo Philopœmena lēta adijt mors.
Tertia opima dedit spoliatus Aremoricus Lars.
Sera, venenato potu abstulit Hannibalem nex.
85 *Vltrix flagrauit de rupibus Euboicis* fax.
Stat Iouis ad cyathũ generat quē Dardanus Tros.
Præpetibus pennis super aëra vectus homo Cres.
Intulit incestam tibi vim Philomela ferus Thrax.
Barbarus est Lydus, seruus Geta, fœmineus Phryx.
90 *Fallaces Liguros: nullo situs in precio* Car.

Rio

Res Asiæ quantas leto dedit immeritas fraus.
Nota in portentis Thebana tricorporibus Sphinx.
Nota & paruorum cunis muliebre secus Stryx.

De vêre primo.

Annus ab exortu cum floriparum reserat ver,
Cũcta vigẽt: nemus omne viret: nitet auricomũs rus. 95
Et fusura umbras radicitus exigitur stirps.
Non denso ad terram lapsu glomerata fluit nix.
Florum spirat odor. Libani ceu montis honor thus.
Iam pelago volitat mercator vestiflu us ser.

Per interrogationem & responsionem.

Quis subit in pœnam capitali iudicio? vas. 100
Quis quum lis fuerit nũmaria, quis dabitur? præs.
Quis Mirmilloni contenditur æquimanus? Thrax.
Inter virtutes quod nomen Mercurio? fur.
Thuribula, & pateræ, quæ tertia vasa deũm? lãx.
Cincta mari quenã tellus creat Hippocratẽ? Cos. 105
Grex magis an regnum Minoida sollicitat? grex.
Quid præter nubem Phæacibus impositum? mons.
Dic, cessante cibo, somno quis opimior est? glis.
Tergora dic clypeis accõmoda quæ faciat? glux.
Sponte ablatiui casus quis rectus erit? spons. 110
Quadrupes oscinibus quis iũgitur auspiciis? mus.
Quid fluitat pelago, quod non natat in fluuio? pix.
Bissenas partes quis continet æquipares? as.
Tertia defuerit si portio, quid reliquum? bes.

De literis Monosyllabis Græcis ac Latinis.

DVX elementorum studijs viget in Latijs A.
115 *Et suprema notis ascribitur Argolicis* Ω.
Hta quod Aeolidū, quodq; e valet hoc latiare E.
Præsto quod E Latiū sēper breue, Dorica vox E.
Hoc tereti argutóque sono negat Attica gens ȣ.
Ω *quod & OΥ Græcū cōpensat Romula vox* O.
120 *Littera sum Iotæ similis, vox plena iubens,* I.
Cecropijs ignota notis, ferale sonans, V.
Pythagoræ biuium ramis pateo ambiguis Y.
Vocibus in Graijs nunquam vltima cōspicior M.
Zeta iacens, si surgat, erit nota, quæ legitur N.
125 *Mæandrum flexúsque vagos imitata vagor* ξ.
Diuiduum Betæ monosyllabon Italicum B.
Non formam ad vocē Deltæ gero Romuleum D.
Hostilis quæ forma iugi est, hanc efficiet Π.
Ausonium si PE *scribas, ero Cecropium* P.
130 *Et Rho quod Græco mutabitur in Latium* P.
Malus vt antennam fert vertice, sic ego sum T.
Spiritus hic flatus tenuissima viuificans H.
Hæc tribus in Latio tantum addit nominibus K.
Præualuit postquam Gāmæ vice functa prius. C.
135 *Atque alium pro se titulo replicata dedit* Q.
Ansis cincta duabus erit quum Iota leges Θ.
In Latio numerus denarius Argolicum X.
Hæc crucis effigies Palamedica porrigitur Φ.
Cappa fuit quondam Bœotia, nunc Latium K.
140 *Furca tricornigera specie pæne vltima sum* Ψ.

Gram-

Grammaticomastrix.

E Logodædalia stridet modo qui nimium, trux.
Friuola condẽnans nequã quoq. cũ pretio est merx.
Ennius ut memorat, repiet te lætificum gau.
Liuida mens hominũ concretũ felle coquat pus.
Dic quid significent catalecta Maronis? in his al. 145
Celtarum posuit sequitur non lucidius tau.
Imperium, litem, Venerem, cur vna notet res?
Estne peregrini vox nominis an Latij sil?
Et quod germano mistum male letiferum min?
Lintribus in geminis constratus ponto sit, an põs? 150
Bucolico sepes dixit Maro, cur Cicero seps?
Vox solita, & cunctis notissima, si memor es, lac.
Cur condemnetur ratio, magis vt faciat lact?
An Libyæ ferale malum, sit Romula vox seps?
Si bonus est insons, contrarius & reus est sons.
Diues opum cur nomẽ habet Ioue de Stygio Dis? 155
Vnde Rudinus ait Diuum domus altisonum cæl?
Et cuius de more, quod adstruit, endo suam do?
Aut de fronde loquens, cur dicit populea frons?
Sed quò prægredior? quæ finis? quis modus, & calx?
Indulge Pacate, bonus, doctus, facilis vir. 160
Totũ opus hoc sparsũ, crinis velut Antiphilæ, pax.

Ausonius Paulo S.

PERLEGE hoc etiam si operæ est, friuolum & nullius pretii opusculum: quod nec labor excudit, nec cura limauit: sine ingenij acumine, & more maturitate CENTONEM vocant, qui primi hac concinnatione lusc-

runt. Solæ memoriæ negotium ſparſa colligere, & integrare lacerata: quod ridere magis, quàm laudare poſſis. Pro quo, ſi per Sigillaria in auctione veniret, neque Afranius nauci daret, nec Stichum ſuum Plautus offerret. Piget enim Virgiliani carminis dignitatem tam ioculari dehoneſtaſſe materia: ſed quid facerem? iuſſum erat. quódque eſt POTENTISSIMVM IMPERANDI GENVS: rogabat, qui iubere poterat, imperator Valẽtinianus, vir meo iudicio eruditus: qui nuptias quondam eiuſmodi ludo deſcripſerat, aptis equidem verſibus, & compoſitione feſtiua. experiri deinde volens, quantum noſtra contentione præcelleret, ſimile nos de eodem concinnare præcepit. Quam ſcrupuloſum hoc mihi fuerit: intellige. Neque anteferri volebam, neque poſthaberi: quum aliorum quoque iudicio, detegenda eſſet adulatio inepta, ſi cederem: inſolentia, ſi, vt æmulus, eminerem. Suſcepi igitur ſimilis recuſanti: felicitérque & obnoxius gratiam tenui: nec victor offendi. Hoc, die vno, & addita lucubratione properatum, modo inter liturarios meos quum reperiſſem: tanta mihi candoris tui, & amoris fiducia eſt, vt ſeueritati tuæ nec ridenda ſubſtraherem. Accipe igitur opuſculum de inconnexis continuum, de diuerſis vnum, de ſeriis ludicrum,

de

de alieno nostrum: ne in sacris & fabulis, aut Thyonianum mireris, aut Virbium. illum de Dionysio, hunc de Hippolyto reformatum. Et si pateris, vt doceam, docendus ipse, CENTO quid sit: absoluam. Variis de locis, sensibúsque diuersis, quædam carminis structura solidatur: in vnum versum vt cocant aut cæsi duo, aut vnus & sequens cum medio. Nam duos iunctim locare, ineptum est: & tres vna serie, meræ nugæ. Diffunditur autem per cæsuras omnes, quas recipit versus Heroicus conuenire vt possit, aut penthemimeris cum reliquo anapæsto: aut trochaice cum posteriore segmento: aut septem semipedes cum anapæstico chorico: aut post dactylum atque semipedem, quicquid restat hexametro. simile vt dicas ludicro, quod Græci στομάχιον vocauêre. Oscilla ea sunt. ad summam quatuordecim figuras geometricas habent. sunt enim æquilatera: vel triquetra: extentis lineis: aut rectis angulis, vel obliquis: isoscelem: vel isopleura: orthogonia quoque: vel scalena. Harum vertibularum variis coagmentis simulantur species mille formarum, Elephantus belua: aut aper bestia: anser volans: & mirmillo in armis subsidens: venator: & latrans canis: quin & turris: & cantharus: & alia huiusmodi innumerabilium figurarum: quæ alius alio scientius variegant.

Sed peritorum concinnatio miraculum est: imperitorum iunctura ridiculum. Quo prædicto, scies: quod ego posteriorem imitatus sum. Hoc ergo centonis opusculum, vt ille ludus tractatur: pari modo, sensus diuersi vt congruant: adoptiua quæ sunt, vt cognata videantur: aliena ne interluceant: accersita ne vim redarguant: densa ne supra modum protuberent: hiulca ne pateant. Quæ si omnia ita tibi videbuntur, vt præceptum est. dices, me composuisse Centonem. Et quia sub imperatore meo tum merui: procedere mihi inter frequentes stipendium iubebis. sin aliter, ære dirutum facies: vt cumulo carminis in fiscum suum redacto, redeant versus, vnde venerant. Vale.

AVSONII CENTO NVPTIALIS. EDYLL. XIII.

A.5. *Accipite hæc animis: lætasq; aduertite mẽtes,*
A.11. *Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis:*
B.7. *Ambo florentes,* **genus insuperabile bello.* A.4.
A.6. *Túque prior* **nã te maioribus ire per altũ* A.3.
A.3. *Auspicijs manifesta fides.***quo iustior alter* A.I.
A.I. *Nec pietate fuit nec bello maior & armis.*
A.4. *Tuq; puerq; tu⁹,***magnæ spes altera Romæ,* A 12.
A.8. *Flos veterum virtúsque virum,* **mea maxima cura,* A.I.
A.12. *Nomine auum referens, animo, manibúsque paren-*

parentem.

A.6. *Non iniussa cano.* * *sua cuiq; exorsa laborē,* A.10.

A.10. *Fortunāq; ferēt.* * *mihi iussa capessere fas est.* A.1.

Cœna nuptialis.

A.5. *Expectata dies aderat.* * *dignisq; hymenæis* A.11.

A.6. *Matres atq; viri,* * *iuuenesq; ante ora parētū* G.4.

A.1. *Cōueniunt stratóque super discūbitur ostro.*

Dant famuli manibus lymphas. * *onerantq; canistris* A.8.

Dona laboratæ Cereris. * *pinguísque ferinæ* A.1.

A.8. *Viscera tosta ferunt.* * *series lōgissima rerū.* A.1.

A.8. *Alituū, pecudūq; genus,* * *capreæq; sequaces* G.2.

G.3. *Non absunt illis,* * *nec oues, hædique petulci,* G.4.

G.3. *Et genus æquoreū damæ, ceruíque fugaces.* G.3.

A.11. *Ante oculos, interq; manꝰ sunt* * *mitia poma.* B.1.

A.8. *Postquam exempta fames, & amor compressus edendi:*

A.1. *Crateras magnos statuunt,* * *bacchúmque ministrant.* A.8.

A.2. *Sacra canunt.* * *plaudunt choreas: & carmina dicunt.* A.6.

A.6. *Nec nō Threïcius lōga cum veste sacerdos,*

Obloquitur numeris septē discrimina vocū.

A.9. *At parte ex alia,* * *biforem dat tibia cantū.* A.10.

A.4. *Omnibus vna quies operū.* * *cunctiq; relictis* A.8.

Consurgūt mēsis. * *per limina læta frequētes* A.1.

A.9. *Discurrūt. variātq; vices* * *populusq;, patresq;,* A.9.

A.11. *Matronæ, pueri.* * *vocēq; per ampla volutāt* A.1.

Atria dependent lychni laquearibus aureis.

Descriptio egredientis sponsæ.

A.4. *Tādē progreditur * Veneris iustissima cura.* A.10.
A.7. *Iam matura viro, iam plenis nubilis annis:*
A.1. *Virginis os, habitúmque gerens. * cui plurimus ignem* A.12.
Subiecit rubor: & calefacta p ora cucurrit.
A.7. *Intentos voluens oculos. * vtrique videndo.* G.3.
A.7. *Illam omnis tectis, agrísque effusa iuuentus,*
*Turbáque miratur matrū. * vestigia primi* A.5.
*Alba pedis. * dederátque comam diffundere ventis.* A.1.
A.3. *Fert picturatas auri sub tegmine vestes,*
A.1. *Ornatus Argiuæ Helenæ. * qualisq; videri,* A.2.
A.2. *Cælicolis, et quāta solet * Venus aurea cōtra:* A.10.
A.6. *Talis erat species. * talem se læta ferebat* A.1.
A.2. *Ad soceros. * soliόque alte subnixa resedit.* A.1.

Descriptio egredientis sponsi.

A.9. *At parte ex alia * foribus sese intulit altis* A.11.
A.9. *Ora puer prima signans intonsa iuuenta,*
*Pictus acu clamydem auratam. * quam plurima circum* A.5.
Purpura Mæādro duplici Melibæa cucurrit:
A.10. *Et tunicam molli mater quā neuerat auro.*
A.1. *Os, humerosq; deo similis, * lumenq; iuuentæ.* A.1.
A.8. *Qualis vbi Oceani perfusus Lucifer vnda*
*Extulit os sacrum cælo. * sic ora ferebat,* A.3.
*Sic oculos. * cursúque amēs ad limina tēdi.* A.2.
A.2. *Illū turbat amor, figitque in virgine vultus.*
A.1. *Oscula libauit. * dextrāq; amplexus inhæsit.* A.8.

Oblatio

Oblatio munerum.

A.5. *Incedũt pueri. pariterque ante ora parentũ*
*Dona ferũt,*pallam signis, auróque rigentẽ,* A.1.
A.11. *Munera portantes, auriq; eborisque talẽta,*
Et sellam: & pictũ croceo velamẽ acãtho.* A.1.
A.1. *Ingens argentum mensis,*collóque monile* A.1.
Baccatũ. & duplicẽ gemmis auroq; coronã.
A.5. *Olli serua datur,*geminiq; sub vbere nati.* A.5.
A.10. *Quattuor hic iuuenes, * totidem innuptæq;* A.2.
puellæ:
A.5. *Omnib⁹ in morẽ tõsa coma.*pectore summo* A.5.
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Epithalamium vtrique.

A.10. *Tum studio effusæ matres*ad limina ducũt.* A.10.
G.4. *At chorus æqualis *pueri innuptæq; puellæ* A.2.
G.2. *Versibus incomptis ludunt: & carmina di-* A.6.
cunt.
B.8. *O digno cõiuncta viro.*gratissima cõiunx,* A.10.
A.1. *Sis felix,*primos Lucinæ experta labores.* G.4.
G.4 *Et mater. Cape Mæonij carchesia Bacchi.*
B.8. *Sparge marite nuces. * cinge hæc altaria* B.8.
vitta,
A.8. *Flos veterum, virtúsque virûm. *tibi duci-* B.8.
tur vxor,
A.1. *Omnes vt tecum meritis pro talibus annos*
Exigat. & pulchra faciat te prole parentẽ.
A.9. *Fortunati ambo.* si qd pia numina possũt.* A.4.
A.3. *Viuite felices,*dixerunt. currite fusis* B.4.
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

Ingressus in cubiculum.

G.4. *Postquam est in thalami pendentia pumice tecta*
*Peruentū: *licito tandem sermone fruūtur.* A.8.
A.8. *Cōgressi iungūt dextras: *stratisq; reponūt.* A.4.
A.I. *At Cytherea nouas artes, & pronuba Iuno* A.4.
A.II. *Sollicitat: suadétque ignota lacessere bella.*
A.I. *Ille vbi cōplexu * molli fouet: atque repente* A.8.
*Accepit solitam flammā, *lectúmque iugalē:* A.4.
A.6. *O virgo noua mi facies, *grauissima coniux:* A.10.
A.6. *Venisti tādem, * mea sola & sera voluptas.* A.8.
A.2. *O dulcis coniunx. nō hæc sine numine diuûm*
A.12. *Proueniūt. * placidóne etiā pugnabis amori?* A.4.
A.4. *Talia dicentem iandudum auersa tuetur:*
A.12. *Cūctatúrque metu: telumq; instare tremiscit,*
A.I. *Spémque, metúmque inter. *funditque has* A.5.
ore loquelas.
A.10. *Per te per, qui te talem genuêre, parentes,*
B.2. *O formose puer, *noctem non amplius vnā* A.I.
A.9. *Hanc tu, oro, solare inopem. *& miserêre* A.10.
precantis.
A.12. *Succidimus. non lingua valet. non corpore notæ*
Sufficiūt vires nec vox aut verba sequūtur.
A.9. *Ille autem, Causas nequicquā nectis inanes.*
A.12. *Præcipitatq; moras omnes. * soluitq; pudorē.* A.4.

Parecbasis.

HACTENVS castis auribus audiēdum mysterium nuptiale, ambitu loquēdi, & circumi-

cumitione, velaui. Verũ quoniam Fescenninos amat celebritas nuptialis: verborúmque petulantiam notus vetere instituto ludus admittit: cętera quoque cubiculi & lectuli operta prodentur, ab eodem auctore collecta: vt bis erubescamus, qui & Virgilium faciamus impudentem. Vos, si placet, hîc iam legendi modum ponite. cætera curiosis relinquite.

Imminutio.

A.11. *Postquã congressi* * *sola sub nocte per umbram:* A.6.

G.3. *Et mentem Venus ipsa dedit:* * *noua prælia tentant.* A.3.

A.10. *Tollit se arrectũ.* * *conantẽ plurima frustra,* A.9.

A.10. *Occupat os faciémque.* * *pedem pede feruidus vrget.* A.12.

A.7. *Perfid⁹ alta petẽs,* * *ramũ qui veste latebat,* A.6.

B.10. *Sanguineis ebuli baccis, minióque rubẽtem,*

A.12. *Nudato capite,* * *et pedib⁹ per mutua nexis,* A.7.

A.3. *Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,*

A.10. *Eripit à femore, & trepidãti feruid⁹ instat.*

A.1. *Est in secessu,* * *tenuis quo semita ducit,* A.11.

A.8. *Ignea rima micans.* * *exhalat opaca mephitim.* A.7.

A.6. *Nulli fas casto sceleratum insistere limen.*

A.7. *Hic specus horrẽdũ.* * *talis sese halitus atris* A.6.
Faucibus effundens, * *nares cõtingit odore.* A.9.

A.11. *Huc iuuenis nota fertur regione viarum.*

A.5. *Et super incumbēs*nodis & cortice crudo,* A.9.
A.9. *Intorquet summis adnixus viribus hastam.*
A.11. *Hæsit: virgineúmque alte bibit acta cruorē.*
A.2. *Insonuère cauæ, gemitumq; dedère cauernæ.*
A.11. *Illa manu moriēs telum trahit: ossa sed inter*
G.3. *Altius ad viuum persedit*vulnere mucro:* A.11.
A.4. *Ter sese attollens, cubitóque innixa leuauit.*
Ter reuoluta toro est. manet imperterritus ille.* A.10.
A.3.5. *Nec mora, nec requies.*clauúmque affixus, & hærens* A.5.
Nusquam amittebat: oculósque sub astra tenebat.
A.6. *Itq; reditq; viam totiens.*vteróque recusso* A.2.
A.9. *Trāsadigit costas.*& pectine pulsat eburno.* A.6.
A.5. *Iamq; fere spacio extremo, fessiq; sub ipsam*
Finem aduentabant. tum creber anhelitus artus,* A.5.
Aridaq; ora quatit sudor fluit vndiq; riuis.
A.11. *Labitur exanguis. distillat ab inguine virus.* G.3.

Contentus esto Paule mi,
Lasciua Paule pagina.
Ridere nil vltra expeto.

Sed quum legeris, adesto mihi aduersum eos, qui vt Iuuenalis ait,

Curios simulant: & Bacchanalia viuunt.

ne forte mores meos spectent de carmine.

Lasciua est nobis pagina, vita proba:

vt Plinius dicit: Meminerint autem, quippe eruditi,

eruditi, probatiſſimo viro Plinio in poematis laſciuiam, in moribus conſtitiſſe cenſuram. prurire opuſculum Sulpicij, nec frontem caperare. eſſe Appuleium in vita philoſophum, in epigrammatis amatorem, in præceptis omnibus extare ſeueritatẽ, in epiſtolis ad Cærelliam ſubeſſe petulantiam. Platonis Symposion compoſita in ephebos epyllia continere. Nam quid Anniani feſcenninos? quid antiquiſſimi poetæ Liuij Erotopægníων libros loquar? Quid Euenum: quem Menander Sapientem vocauit? Quid ipſum Menandrum? quid comicos omnes? quibus ſeuera vita eſt, & læta materia. Quid etiam Partheniam dictum cauſa pudoris? qui octauo Æneidos, quum deſcriberet coitum Veneris atque Vulcani, γλισχροσεμνίαν decenter immiſcuit. Quid in tertio Georgicorum de ſummiſſis in gregem maritis? nónne obſcenam ſignificationem honeſta verborum tranſlatione velauit? Et ſi quid in noſtro ioco aliquorum hominũ ſeueritas veſtita condemnat: de Virgilio acceſſitum ſciat. Igitur cui hic ludus noſter non placet, ne legerit. aut quum legerit: obliuiſcatur. aut non oblitus, ignoſcat. etenim fabula de nuptiis eſt. & velit, nolit, aliter hæc ſacra non conſtant.

Auſonij ROSAE. EDYL. XIIII.

Ver erat: & blando mordentia frigora ſenſu

Spirabat croceo mane reuecta dies.
Strictior Eoos præcesserat aura iugales,
Aestiferum suadens anticipare diem.
5 *Errabam riguis per quadrua compita in hortis.*
Maturo cupiens me vegetare die.
Vidi concretas per gramina flexa pruinas
Pendere, aut olerum stare cacuminibus:
Caulibus & patulis teretes colludere guttas,
10 *Et cœlestis aquæ pondere tunc grauidas.*
Vidi Pæstano gaudere rosaria cultu,
Exoriente nouo roscida lucifero.
Rara pruinosis canebat gemma frutetis,
Ad primi radios interitura die.
15 *Ambigeres, raperet ne rosis aurora ruborem,*
An daret: & flores tingeret orta dies.
Ros vnus, color vnus, & vnum mane duorum.
Sideris, & floris, nam domina vna Venus.
Forsan & vnus odor: sed celsior ille per auras
20 *Difflatur: spirat proximus iste magis.*
Communis Paphie dea sideris & dea floris,
Præcipit vnius muricis esse habitum.
Momentum intererat: quo se nascentia florum
Germina comparibus diuiderent spatijs.
25 *Hæc viret angusto foliorum tecta galero:*
Hanc tenui folio purpura rubra notat.
Hæc aperit primi fastigia celsa obelisci,
Mucronem absoluens purpurei capitis.
Vertice collectos illa exsinuabat amictus,
30 *Iam meditans folijs se numerare suis.*

Nec

Nec mora, ridentis calathi patefecit honorem,
Prodens inclusi semina densa croci.
Hæc modo quæ toto rutilauerat igne comarum,
Pallida collapsis deseritur folijs.
Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam, 35
Et dum nascuntur, consenuisse rosas.
Ecce & defluxit rutili coma punica floris,
Dum loquor: & tellus tecta rubore micat.
Tot species, tantósque ortus, variósque nouatus
Vna dies aperit: conficit vna dies. 40
Cōquerimur, Natura, breuis quòd gratia florū est.
Ostentata oculis illico dona rapis.
Quàm longa vna dies, ætas tam longa rosarum.
Quas pubescenteis iuncta senecta premit.
Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous, 45
Hanc rediens sero vespere vidit anum.
Sed bene, quod paucis licet interitura diebus,
Succedens æuum prorogat ipsa suum.
Collige virgo rosas, dum flos nouus, & noua pubes.
Et memor esto æuum sic properare tuum. 50

Ex Græco Pythagoricum, de ambiguitate eligendæ vitæ. EDYL. XV.

Quod vitæ sectabor iter? si plena tumultu
Sunt fora: si curis domus anxia: si peregrinos
Cura domus sequitur: mercantem si noua semper
Damna manent: cessare vetat si turpis egestas:
Si vexat labor agricolam, mare naufragus horror 5
Infamat. pœnæq; graues in cælibe vita,
Et grauior cautis custodia vana maritis.

Sanguinem si Martis opus. si turpia lucra
Fœnoris, & velox inopes vsura trucidat?
10 Omne æuum curæ: cunctis sua displicet ætas.
Sensus abest paruis lactentibus: & puerorum
Dura rudimenta, & iuuenum temeraria pubes.
Afflictat fortuna viros per bella. per æquor,
Iras. insidiásque, catenatósque labores
15 Mutandos semper grauioribus. Ipsa senectus
Expectata diu, votísque optata malignis
Obijcit innumeris corpus lacerabile morbis.
Spernimus in commune omnes præsentia. quosdam
Constat nolle deos fieri. Iuturna reclamat,
20 Quo vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? sic Caucasea sub rupe Prometheus
Testatur Saturnigenam, nec nomine cessat
Incusare Iouem: data sit quot vita perennis.
Respice & ad cultus animi. sic nempe pudicum
25 Perdidit Hippolytum non felix cura pudoris.
At contra illecebris maculosam ducere vitam
Quẽ iuuat, aspice & ad pœnas, & crimina regum,
Tereos incesti. vel mollis Sardanapali.
Perfidiam vitare monent tria Punica bella:
30 Sed prohibet seruare fidem deleta Saguntos,
Viue, & amicitias semper cole. crimen ob istud
Pythagoreorum perijt schola docta sophorum.
Hoc metuens igitur, nullas cole. crimen ob istud
Timon Palladijs olim lapidatus Athenis.
35 Dissidet ambiguis semper mens obuia votis.
Nec voluisse homini satis est optata recusat.

Esse

Esse in honore placet, mox pœnitet. & dominari
Ut possint seruire volunt. idem auctus honore,
Inuidiæ obijcitur. pernox est cura disertis:
Sed rudis ornatu vitæ caret. Esto patronus, 40
Et defende reos. sed gratia rara clientis.
Esto cliens grauis imperij persona patroni.
Exercent hunc vota patrum. mox aspera curis
Sollicitudo subit. contemnitur orba senectus.
Et captatoris præda est, hæredis egenus. 45
Vitam parcus agas. auidi lacerabere fama,
Et largitorem grauius censura notabit.
Cuncta tibi aduersis contraria casibus. Ergo
Optima Graiorum sententia quippe homini aiunt
Non nasci esse bonum, natum aut cito morte potiri. 50

De viro bono Πυθαγορικὴ ἀπόφασις.

EDYLLIVM XVI.

Vir bonus, & sapiens, qualem vix reperit vnum
Millibus è multis hominum. consultus Apollo,
Iudex ipse sui, totum se explorat ad vnguem.
Quid proceres, vanique ferat, quid opinio vulgi,
Securus, mundi instar habens, teres, atque rotundus: 5
Externæ ne quid labis per læuia sidat.
Ille, dies quàm longus erit sub sidere Cancri,
Quantáque nox tropico se porrigit in Capricorno,
Cogitat: & iusto trutinæ se examine pensat:
Nequid hiet, nequid protuberet. angulus æquis 10
Partibus vt coëat, nil vt deliret amussis.
Sit solidum quodcunque subest: nec inania subtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.

Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
15 Omnia quàm longi reputauerit acta diei.
Quæ prætergressus? quid gestũ in tempore? quid nõ?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit,
Quam melius mutare fuit? miseratus egentem,
20 Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? vtile honesto
Cur malus antetuli? num dicto, aut denique vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quàm
Disciplina trahit? Sic dicta, & facta, per omnia
25 Ingrediens, ortóque à vespere cuncta reuoluens,
Offensus prauis, dat palmam & præmia rectis.

Ναὶ καὶ οὒ πυθαγορικόν. EDYL. XVII.

Est, & non, cuncti monosyllaba nota frequentant.
His demptis, nihil est, hominum quod sermo volutet.
Omnia in his, & ab his sunt omnia, siue negoti,
Siue oti quicquam est seu turba, siue quietis.
5 Alterutro pariter nonnunquam, sæpe seorsis
Obsistunt studijs: vt mores, ingeniúmque.
Vel faciles, vel difficiles contentio nacta est.
Si consentitur, mora nulla interuenit, Est. Est.
Sin controuersum dissensio subijciet, Non.
10 Hinc fora dissultant clamoribus. hinc furiosi
Iurgia sunt Circi. cuneati hinc læta theatri
Seditio: & tales agitat quoque curia lites,
Coniugia, & nati cum patribus ista quietis
Verba ferunt studiis, salua pietate loquentes.

Hinc

Hinc etiam placitis schola consona disciplinis, 15
Dogmaticas agitat placido certamine lites.
Hinc omnis certat dialectica turba sophorum.
Est lux, est ne dies ergo? non conuenit istuc.
Nam facibus multis, aut fulguribus quotiens lux
Est nocturna homini, non est lux ista diei: 20
Est & non igitur quotiens lucem esse fatendum est,
Sed non esse diem mille hinc certamina surgunt.
Hinc pauci, multi quoque talia commeditantes
Murmure concluso rabiosa silentia rodunt.
Qualis vita hominũ, duo quã monosyllaba versant? 25

De ætatibus animalium, Hesiodium.

EDYLL. XVIII.

Ter binos, deciésque nouem superexit in annos
Iusta senescentum quos implet vita virorum.
Hos nouies superat viuendo garrula cornix,
Et quater egreditur cornicis secula ceruus,
Alipedem ceruum ter vincit coruus, & illum
Multiplicat nouies Phœnix, reparabilis ales. 5
Quam vos perpetuo decies prævertitis æuo
Nymphæ Hamadryades: quarũ longißima vita est.
Hi cohibent fines viuacia fata animantum.
Cætera secreti nouit Deus arbiter æui
Tempora: quæ Stilbon voluat, quæ secula Phænon. 10
Quos Pyrois habeat, quos Iuppiter igne benigno
Circumitus. quali properet Venus alma recursu.
Qui Phœben, quanti maneant Titana labores.
Donec consumpto, magnus qui dicitur, anno 15
Rursus in antiquum veniant vaga sidera cursum:

Qualia dispositi steterant ab origine mundi.

Monosticha de ærumnis Herculis. EDY. XIX.

Prima Cleonæi tolerata ærumna Leonis.
Proxima Lernæam ferro & face contudit hydram.
Mox Erymanthêum vis tertia perculit aprum.
Aeripedis quarto tulit aurea cornua cerui.
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.
Threïciam sexto spoliauit Amazona baltheo.
Septima in Augéis stabulis impensa laboris.
Octaua expulso numeratur adorea tauro
In Diomedéis victoria nona quadrigis.
Gerione extincto decimam dat Iberia palmam.
Vndecimo mala Hesperidum districta triumpho.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

Musarum inuenta, & munera. EDYL. XX.

CLIO *gesta canens, transactis tempora reddit.*
MELPOMENE *tragico proclamat mæsta boatu.*
Comica lasciuo gaudet sermone THALIA.
Dulciloquos calamos EVTERPE *flatibus vrget.*
TERPSICHORE *affectus citharis mouet, imperat, auget.*
Plectra gerens ERATO, *saltat pede, carmine, vultu.*
Carmina CALLIOPE *libris heroïca mandat.*
VRANIE *cæli motus scutatur, & astra.*
Signat cuncta manu, loquitur POLYHYMNIA *gestu.*
Mentis Apollineæ vis has mouet vndique Musas.
In medio residens complectitur omnia Phœbus.

D. AV-

D. AVSONII ECLOGARIVM.

De ratione Libræ.

MIRARIS quicunque manere ingenita mundi
Corpora, sublimi cæli circũdata gyro,
Et tantæ nullã moli intercedere labẽ:
Accipe quod mirêre magis. Tenuissima tantis
Principia. & nostros non admittentia visus, 5
Paruarum serie constant connexa atomorum.
Sed solidum in paruis. nullique secabile segmen,
Vnde vigor, viresque manent, æternáque rerum
Mobilitas, nullóque vnquam superabilis æuo.
Diuinis humana licet componere. sic est 10
As solidus, quoniam bis sex de partibus æquis,
Cõstat: & in minimis paribus tamẽ vna manet vis.
Nam si quid numero minuatur: summa vacillat:
Conuulsæq; ruunt labefacto corpore partes.
Vt medium si quis vellat de fornice saxum: 15
Incumbunt cui cuncta simul deuexa sequentur
Cætera: communémque trahent à vertice lapsum.
Non aliter libra est. si defuit vncia, totus
Non erit as: noménque deunx iam cassus habebit.
Nec dextans retinet nomen sextante remoto: 20
Et dodrans quadrante satus auctore carebit.
Diuulsúsque triens prohibet persistere bessem.

Iam Quincunx tibi nullus erit: si prima reuelles:
Et semis, cui semis erit, pereuntibus aßis
25 *Partibus, & cuius libræ pars septima septunx?*
Libra igitur, totum si nulla in parte vacillet,
Põderis, & numeri morũq;, operúmque, & aquarũ
Libra: nec est modulus, quem nõ hoc nomine signes.
Telluris, medio quæ pendet in aëre, libra est.
30 *Et Solis, Lunæq; vias sua libra coërcet.*
Libra dij, somníque pares determinat horas.
Libra Caledonios sine littore continet æstus.
Tu quoque certa mane morum mihi libra meorum.

De ratione puerpetij maturi.

Omnia, quæ vario rerum metimur in actu,
Astrorum dominatus agit. terrenáque tantum
Mẽbra hominũ. è superis fortuna, & spiritus auris,
Septeno moderanda choro: sed præsidet ollis
5 *Sortitus regimen nitidæ sol aureus æthræ.*
Nec sol in nobis moderatur tempora vitæ.
Dum breue solliciti spatium producimus æui.
Creditur occultósque satus, & tempora vitæ
Materno ducenda vtero, formare videndo.
10 *Et nondum exortæ leges componere vitæ.*
Nánque vbi conceptus genitali insederit aluo:
Haud dubium solem cuicunque insistere signo.
Qui quum vicini stationem cœperit astri,
Contiguos nullum transfundit lumen in ortus
15 *Ast vbi conuersis post menstrua tempora habenis,*
Scandit purpureo iam tertia sidera curru:

Obli-

Obliqua exilem dimittit linea lucem,
Aspirans tenues per inertia pondera motus.
Quarta in sede viget primi indulgentia solis.
Suadet & infusus teneros coalescere fœtus: 20
Fulgur tetragono aspectus vitale coruscat
Clarum, & lene micans: quinti qui cardine signi
Incutit attonitam vegetato infante parentem.
Nam sexto vis nulla loco: quia nulla tuendi
Aequati lateris signatur regula Phœbo. 25
Ast vbi signiferæ media in regione cahortis
Septimus accepit limes rutilantia flammis
Recto castra situ: turgentis fœdera partus
Iam plena sub luce videt. nec fulgura parci
Luminis intendens, toto fouet igne coronæ, 30
Hinc illud: quod legitimos Lucina labores
Præuenit: & grauidos sentit subrepere nixus
Ante expectatum festina puerpera votum.
Quod nisi septeno quum lumina fudit ab astro,
Impulerit tardi claustra obluctantia partus 35
Posterior, nequeat possit prior, an quia sexto
Aemulus octaui conspectus inutilis astri
Nescit compariles laterum formare figuras.
Sed nono incumbens signo cunctantia matrum
Vota leuat, trigono vires sociante sequenti, 40
*At si difficilis * trahit Ilythya**
Tetragono absoluet dubiarum vincla morarum.

Signa cœlestia.

Ad Boreæ partes, Arcti iunguntur, & Anguis.

Post has Arctophylax, pariterque Corona, genuq;
Prolapsus, Lyra, Auis, Cepheus, & Cassiopea,
Auriga, & Perseus, Deltoton & Andromedæ astrum.
5 *Pegasus, & Delphinus. Telum, Aquila, Anguiténénsque.*
Signifer inde subest: bis sex & sidera complent.
Hic Aries Taurus, Gemini, Cancer, Leo Virgo,
Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, & vrnã
Qui tenet, & Pisces. Post hos in partibus Austri
10 *Orion, Procyon, Lepus, ardens Sirius, Argo,*
Hydrus, Chiron, Turibulũ quoque, Piscis & ingẽs.
Hunc sequitur Pistrix simul Eridanique fluenta.
Sed vaga præterea dicuntur lumina septem,
Luna. & Mercurius, Venus, ac Sol, Mars quoque fulgens.
15 *Hic Iouis & sidus super omnia sidera lucens.*
Celsior his Saturnus, tardior omnibus astris.

Ratio dierum anni vertentis.

Nonaginta dies & quattuor, ac medium, Sol'
Conficit, à tropico in tropicũ dum permeat astrum,
Octipedem in Cancrum Phryxéo ab Ariete pergẽs.
Hoc spatio æstiui pulsúsque, & meta diei.
5 *Semidiémque, duósque dies, deciésque nouenos,*
A Cancro in chelas æquatæ tempora noctis,
Atque dij cursu peragit Sol aureus altero,
Autumni æstatísque simul confinia miscens.
Vnde autumnales transcurrens ordine menses,

Ad

Ad tropicum pergit signum gelidi Capricorni, 10
Octo dies decies octonis insuper addens,
Quadrantémq. dij.quinto qui protinus anno
Mense Numæ extremo nomen capit embolimæi.
Inde ad Agenorei festinans cornua tauri,
Scandit lanigeri tropicum Sol aureus astrum, 15
Nonaginta dies decreto fine coërcens.
Hic tibi circus erit semper vertentibus annis,
Tercentum ac senis decies, & quinque diebus.

De nominibus septem dierum.

Nomina, quæ septem vertentibus apta diebus
Annus habet, totidem errantes fecêre planetæ.
Quos indefessa voluens vertigine Mundus,
Signorum obliqua iubet in statione vagari.
Primum, supremumq; diem radiatus habet Sol, 5
Proxima fraternæ succedit Luna coronæ.
Tertius assequitur Titania lumina Mauors.
Mercurius quarti sibi vindicat astra diei.
Inlustrant quintam Iouis aurea sidera Zonam.
Sexta salutigerum sequitur Venus alma parentē. 10
Cuncta supergrediens Saturni septima lux est.
Octauum instaurat reuolubilis orbita Solem.

Hic versus sine auctore est, Quid quóque die quid demi de corpore oporteat.

Vngues Mercurio, barbam Ioue, Cypride crines.

Hoc sic refellendum.

Mercurius furti probat vngues semper acutos,
Articulisq; aciem non sinit imminui.

Barba Ioui, crines Veneri decor: ergo necesse est,
Vt nollent demi quo sibi uterque placet.
Mauors imberbes, & caluos Luna adamasti.
Non prohibent comi tum caput atque genas.
Sol & Saturnus nihil obstant vnguibus. ergo
Non placitum Diuis tolle monostichium.

De mensibus, & quatuor anni temporibus.

AEternos menses, & tempora quattuor anni,
Quattuor ista tibi subiecta monosticha dicent.
Martius, Aprilis, Maius sunt tempora veris.
Iulius, Augustus, nec non & Iunius æstas.
Septembri, Octobri autumnus, totoq; Nouembri.
Brumales, Ianus, Februarius, atque December.

De mensibus monosticha.

Primus Romanas ordiris Iane Calendas.
Februa vicino mense Numa instituit.
Martius antiqui primordia protulit anni.
Fœtiferum Aprilem vindicat alma Venus.
Maiorum dictus patrum de nomine Maius.
5 *Iunius ætatis proximus est titulo.*
Nomine Cæsareo Quintilem Iulius auget.
Augustus nomen Cæsareum sequitur.
Autumnum Pomona tuum September opimat.
Triticeo October fœnore ditat agros.
10 *Sidera præcipitas pelago intempesta Nouember.*
Tu Genialem hiemem feste December agis.

Disticha de iisdem mensibus.

Iane noue, primo qui das tua nomina mensi,

Ia

Hinc bifrons, spectans tempora bina sinul.
Post, superum cultus, vicino Februa mense.
Dat Numa cognatis manibus inferias.
Martius & generis humani præsul, & anni, 5
Prima dabat Latijs tempora consulibus.
Æneadûm genitrix vicino nomen Aprili.
Dat Venus. est Marti nanq; Aphrodita comes.
Maia deo, an maior, Mai, te fecerit ætas,
Ambigo: sed mensi est auctor vterque bonus. 10
Iunius hunc sequitur duplici celebrandus honore,
Seu nomen Iuno, siue iuuenta dedit.
Inde Dionæo præfulgens Iulius astro:
Æstatis mediæ tempora certa tenet.
Augustus sequitur, cognatum à Cæsare nomen: 15
Ordine sic anni proximus, vt generis.
Nectuntur post hos: numerumq; ex ordine signant,
September Bacchi munere prælarigans:
Et qui sementis per tempora, fænore lætus.
October cupidi spem fouet agricolæ: 20
Quique salò mergens sollemnia signa Nouember
Præcipitat cælo mox reditura suo.
Concludens numerum, genialia festa December
Finit, vt à bruma mox nouus annus eat.

Quoteni dies sint mensium singulorum.

Implent tricenas per singula menstrua luces
Iunius, Aprilisq;, & cum Septembre Nouember.
Vnum terdenis cumulatius adde diebus
Per septem menses, Iani Martisq. Calendis,

Et quas Maius agit. quas Iulius, Augustusq́;,
Et quas October, positusq. in fine December.
Vnus erit tantùm duodetriginta dierum:
Quem Numa præposito voluit succedere Iano.
Sic tercentenis decies accedere senos,
Quadrãtémq. & quinque dies sibi cõputat annus.

De tribus menstruis mensium

Bis senas anno reparat Lucina Calendas:
Et totidem medias dat currere Iupiter Idus.
Nonarúmq. diem faciunt infra octo secundi.
Hæc sunt Romano tantum tria nomina mensi.
Cætera per numeros sunt cognomenta dierum.

Quo mense quotæ Nonæ, vel Idus sint.

At Nonas modo quarta aperit, modo sexta refert
Sexta refert Maij, Octobris, Martisq. recursu (lux.
Et qui solstitio sua tempora Iulius infert.
Cætera per mensum quartis est prædita Nonis.
Omnes verò Idus octaua luce recurrunt.

Quotæ Calendæ sunt mensium.
singulorum.

Post Idus, quas quisque suas habet ordine mensis,
Diuersæ numero redeunt variante Calendæ:
*Dum rursúmq. iterúmq. * * vocantur.*
Vt tandem oblati procedant temporis ortu,
Tercenis, vnóq. die, genialia festa
5 *Porrigit, & Ianũ arcessat noua bruma morantem.*
Hoc numero mensisq. Numæ redit, autumnique
Princi-

Principium referens Bacchi September alumnus.
Iulius & Maius, positusq; in fine December,
Octoberq; die reuocatur tardius uno. 10
Inde dies redeunt minus vno quattuor vltra,
Quos numero adijciam. Sextilis, Iunius atque
Aprilis. post quos penultima meta Nouember
Ter quinis, vnoq; die Iunonie Mauors,
Vt redeas, referasq; exordia prima, cieris. 15
Hoc numero, ad plenũ vertẽs reparabitur annus.

In quo mense quod Signum sit ad cursum solis.

Principium Iani sensit tropicus Capricornus.
Mense Numæ in medio solidi stat sidus Aquari.
Procedunt duplices in Martia tempora Pisces,
Respicis Apriles Aries Phryxæe Calendas.
Maius Agenorei miratur cornua Tauri:
Iunius æquatos cælo videt ire Laconas.
Solstitio ardentis Cancri fert Iulius astrum.
Augustum mensem Leo feruidus igne perurit.
Sidere Virgo tuo Bacchum September opimat.
AEquat & October sementis tempore libram.
Scorpion hibernum præceps iubet ire Nouembrem.
Terminat Arcitenens medio sua signa Decẽbri.

Q. Ciceronis versus eò pertinent, vt quod signũ, quo tempore illustre sit, noscerimus. quod superius quoque nostris versibus expeditur.

Flumina verna cient obscuro lumine Pisces.
Curriculumq; Aries æquat, noctisq; dijq;.
Cornua quem condunt florum prænuncia Tauri,

Aridaq; æstatis Gemini primordia pandunt.
Longaq; iam minuit præclarus lumina Cancer.
Languificusq; Leo proflat ferus ore calores,
Post, modicum quatiens Virgo fugat orta vapo.ē.
Autumni referat portas æquatq; diurna
Tempora nocturnis dispenso sidere Libra.
Et fetos ramis dinudat flama Nepai.
Pigra Sagittipotens iaculatur frigora terris.
Bruma gelu glacians iubare spirat Capricorni.
Quā sequitur nebulas rorans liquor altus Aquari:
Tenta supra circaq; vigent vbi flumina mundi.
At dextra, læuaq; ciet rota fulgida Solis
Mobile curriculum, & Lunæ simulacra feruntur.
Squama sub æterno conspectu torta Draconis
Eminet. hunc inter fulgentem sidera septem
Magna quatit stellans. quam seruans serus in alta
Conditur Oceani ripa cum luce Bootis.

A Solstitio in æquinoctium ratio.

Sol profectus à teporo veris æquinoctio,
Post semidiem postq; totos nonaginta & quattuor,
Feruidis flagrans habenis, pulsum æstiuum conficit.
Inde Autumnus noctis horas librans æquo lumine,
Octo & octoginta Goeris, & super triborio.
* * * *

Inde floridum reflexis ver reuisit oreis
Additis ad hos priores Goeres geminis orbibus.

De Feriis Romanis.

Nunc & Apollineos Tiberina per ostia ludos,

Et

Et Megalesiacæ matris operta loquar.
Vulcaniq́ue dies autumni exordia primi:
Quinquatrísque Deæ Pallados expediam.
Et medias Idus Maij, Augustique recursu, 5
Quàs sibi Mercurius, quásque Diana dicat.
Matronæ quæ sacra colant pro laude virorum,
Mauortis primi quum redière dies.
Festa Caprotinis memorabo celebria nonis:
Quum stola matronis dempta teget famulas. 10
Quattuor illa etiam discretis partibus anni
Solstitia, & luces nocte, diésque pares.
Nec regifugium pulsis ex vrbe tyrannis,
Lætum Romanus fas reticere diem.
Visne ope sancte sacrũ, vel Saturnalia dicam, 15
Festáque seruorum, quum famulantur heri?
Et nunquam certis redeuntia festa diebus,
Compita per vicos quum sua quisque colit?
Aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt,
Et quem de Conso consiliísque vocant? 20
Festa hæc, nauigijs, aut quæ celebrata quadrigis,
Iungunt Romanos, finitimósque duces.
Adij iam cultus, peregrináque sacra deorum,
Natalem Herculeum, vel bouis Isiacæ:
Nec non lasciui floralia læta theatri, 25
Quæ spectare volunt, qui voluisse negant.
Nunc etiam veteres celebrantur Equiria ludi.
Prisca hæc Romanus nomina Circus habet.
Et Dionysiacos latio cognomine ludos 30
Roma colit: liber quæ sibi vota dicat.

Ædiléſque etiam plebeij: ædiléſque curules
Sacra, Sigillorum nomine dicta, colunt.
Et gladiatores funebria prælia notum
Decertaſſe foro: nunc ſibi harena ſuos
Vindicat: extremo qui iam ſub fine Decembris,
Falcigerum placant ſanguine cæligenam.

De luſtralibus agonibus.

Quattuor antiquos celebrauit Achaïa ludos,
Cælicolum duo ſunt, & duo feſta hominum.
Sacra Iouis, Phœbiq;, Palæmonis, Archemoriq;:
Serta quibus pinus, malus, oliua, apium.

De locis agonum.

Prima Ioui magno celebrantur Olympia Piſæ.
Parnaſſus Clario ſacrauit Pythia Phœbo.
Iſthmia Portuno bimaris dicat alta Corinthos.
Archemori Nemeæa colunt funebria Thebæ.

De auctoribus agonum.

Primus Olympiacæ ſacrauit feſta coronæ
Iupiter Argiuis ſtadia ad longiſſima Circi.
Proximus Alcides Nemeæ ſacrauit honorem.
Hæc quoq. tẽporibus quinquẽnia ſacra notandis,
Iſthmia Neptuno data ſunt, & Pythia Phœbo,
Ancipiti cultu diuorum hominumq; ſepultis.

Quod iidem, qui ſacri agones ſunt, & funebres ludi habeantur.

Tantalidæ Pelopi mæſtum dicat Elis honorem.
Archemori Nemeæa colunt quinquennia Thebæ.
Iſthmia defuncto celebrata Palæmone, notum.
Pythia placando Delphi ſtatuêre Draconi.

AVSO-

AVSONII BVRDIGALENSIS

EPISTOLARVM liber.

AVSONIVS AD PATREM de ſuſcepto filio. Epiſt. I.

CREDIDERAM nil poſſe meis affectibus addi.
Quo venerãde pater diligerére magis.
Acceſsit gratis ſup his medioq; nepoti.
Bima aeuit noſtris qui iuga nominibus.
Ipſe nepos te fecit auum.mihi filius idem, 5
Et tibi ego.hoc nato nos ſumus ambo patres.
Nec iam ſola mihi pietas mea ſuadet amorem,
Nomine te gemini iam genitoris amo.
Acceſsit titulus:tua quo reuerentia creſcat:
Quo doceam natum,quid ſit amare patrem. 10
Quippe tibi æquatus videor:quod paruulus iſte
Nomine honoratum me quoque nobilitat.
Atque ætas quia noſtra eadem.nam ſupparis æui
Sum tibi ego,& poſſum fratris habere vice.
Nec tantum noſtris ſpatium interponitur annis: 15
Quanta ſolent alios tempora diuidere.
Vidi ego natales fratrum diſtare tot annis,
Quot noſtros æuum nomina non onerant.
Pulchra iuuenta tibi,ſenium ſic iungit:vt æuum

20 Quod prius est, maneat: quod modò, vt incipias
Et placuisse reor geminis ætatibus, vt se
Non festinato tempore vtraque daret.
Leniter hæc flueret, hæc non properata veniret.
Maturam frugem flore manente ferens.
25 Annos me nescire tuos, pater optime, testor.
Tótque putare meos, quot reor esse tuos.
Nesciat hoc natus, numeret properantior hæres,
Testamenta magis, quàm pia vota fouens:
Exemploq; docens prauo iuuenescere natos,
30 Vt nolint patres se quoque habere senes.
Verum ego primæuo genitus genitore, fatebor
Supparis hæc æui tempora grata mihi.
Debeo, quod natus suadet pia cura nepotis,
Addendum patri quò veneremur auum.
35 Tu quoque mi genitor geminata vocabula gaude
Nati primæui nomine factus auus.
Exiguum quod auos faueant pia numina diuûm,
Déque nepote suo fiat auus proauus.
Largius & poterunt producere fata senectam:
40 Sed rata vota reor, quæ moderata magis.

Pater ad filium. Quum temporibus tyrannicis, ipse Treueris remansisset, & filius à patre profectus esset. Hoc incoatum neque impletum sic de liturariis scriptum. Epist. 11.

Debeo & hanc nostris, fili dulcissime curis
Historiam: quanquam titulo non digna se[rmo]
Anxia mæstarum fuerit querimonia rerum.
Iam super egelidæ stagnantia terga Mosellæ
Protule-

Protulerat te nate rates: mœstique parentis 5
Oscula & amplexus discreuerat inuidus amnis,
Solus ego: & quamuis cœtu celebratus amico,
Solus eram. profugæq; dabam pia vota carinæ.
Solus adhuc te nate videns: celerisq; remulci
Culpabam properos aduerso flumine cursus. 10
Qui fuit ille dies? non annus longior ille est,
Attica quem docti collegit cura Metonis.
Desertus vacuis, solisq; exerceor aris.
Nunc ego pubentes salicum deuerbero frondes.
Gramineos nunc frango toros, viridisque per vluas 15
Lubrica substratis vestigia libro lapillis.
Sic lux prima abiit: sic altera meta diei.
Sic geminas alterna rotat vertigo tenebras.
Sic alias totisque mihi sic annus abibit:
Restituat donec tua me tibi fata parentem. 20
Hæc ego conditione licet, vel morte paciscar:
Dum decores suprema patris, tu nate, superstes.

Ausonius Hesperio. Epist. III.

Qualis Picenæ populator turdus oliuæ,
Clunes opimat cereas:
Vel qui lucentes rapuit de vitibus vuas
Pendétque nexus retibus:
Quæ vespertinis fluitant nebulosa sub horis, 5
Vel mane tenta roscido.
Tales hibernis ad te de sepibus ipsos
Capi volentes, misimus,
Bis denos. tot enim crepero sub lucis Eoæ
Præceps volatus intulit. 10

Tum

Tum quas vicinæ ſuggeßit præda lacunæ,
Anates, maritas iunximus,
Remipedes, lato populantes cærula roſtro,
Et cruce rubras punico.
15 *Iricolor vario pinxit quas pluma colore,*
Collum columbis æmulas.
Defraudata meæ non ſunt hoc fercula menſæ.
Veſcente te, fruimur magis.
Vale bene, ut valeam.

Auſonius Theoni ſuo. S. Epiſt. IIII.

Auſonius cuius ferulam nunc ſceptra verentur,
Paganum Medulis iubeo ſaluère Theonem.
Quid geris extremis poſitus telluris in oris,
Cultor harenarum vates? cui littus arandum,
5 *Oceani finem iuxta, ſolémque cadentem.*
Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis:
Et tingit piceo lachrymoſa colonica fumo.
Quid rerum, muſæq; gerunt, & cantor Apollo?
Muſæ non Helicone ſatæ nec fonte caballi,
10 *Sed quæ fecundo de pectore Clementini,*
Inſpirant vacuos aliena mente poëtas.
Iure quidem, nam quis malit ſua carmina dici,
Qui ſe ſecuro poßit proſcindere riſu?
Hæc quoque ne noſtrum poßint vrgère pudorem,
15 *Tu recita: & vere poterunt tua dicta videri.*
Quam tamen exerces Medulorum in littore vitam?
Mercatus ne agitas: leviore nomiſmate captans.
Inſanis quod mox pretijs grauis auctio vendat?
Albentis

Albentis seui globulos, & pinguia ceræ
Pondera, Narytiámque picem, scissámque papyri, 20
Fumantésque olidum paganica lumina tædas?
An maiora gerens tota regione vagantes
Persequeris fures? qui te postrema timentes
In partem prædámque vocent. tu mitis, & osor
Sanguinis humani condonas crimina nummis: 25
Errorémque vocas: pretiúmque imponis abactis
Bobus & in partem scelerum de iudice transis.
An cum fratre vagos dumeta per auia ceruos
Circundas maculis & multa indagine pinnæ?
Aut spumantis apri cursum clamoribus vrges, 30
Subsidisque fero? Moneo tamen, vsque recuses
Stringere fulmineo venabula cominus hosti,
Exemplum de fratre time. qui veste reducta
Ostentat fœdas prope turpia membra lacunas:
Perfossisque nates vicino podice nudat. 35
Inde ostentator volitat. mirentur vt ipsum
Gedippa Vrsiniúsque suus, proléque Iouini,
Taurinúsque, ipsum priscis heroibus æquans.
Qualis in Olenio victor Calydonius apro,
Aut Erymanthéo pubes fuit Attica monstro. 40
Sed tu parce feris venatibus. & fuge nota
Crimina siluarum: ne sis Cinareia proles:
Accedásque iterum Veneri plorandus Adonis.
Sic certe crinem flauus, niueúsque lacertos,
Cæsariem rutilam per candida colla refundis. 45
Pectore sic tenero plana sic iunceus aluo,
Per teretes feminum gyros, surásque nitentes,

Descendis, talos à vertice pulcher ad imos.
Qualis floricoma quondam populator in AEtna,
50 Virgineas inter choreas Deoida raptam
Sustulit, emersus stygijs fornacibus Orcus.
An quia venatus ob tanta pericula vitas:
Piscandi traheris studio: nam tota supellex.
Dumnotini tales solita est ostendere gazas,
55 Nodosas vestes animantum nerinorum,
Et iacula, & fundas, & nomina villica lini;
Colúque & insutos terrenis vermibus hamos.
His opibus confise tumes? domus omnis abundat.
Littoreis diues spolijs referuntur ab vnda
60 Carroco, letalis trygon, mollesque platessæ,
Vrentes thynni, & male tecti spina elegati,
Nec duraturi post bina trihoria corui.
An te carminibus iuuat incestare canoras
Mnemosynes natas, aut tris, aut octo sorores?
65 Et quoniam huc ventum si vis agnoscere quid sit
Inter doctrinam, deridendásque camenas:
Accipe congestas mysteria friuola nugas:
Quas tamen explicitis nequeas deprendere chartis:
Scillite decies si cor purgeris aceto:
70 Anticipésque tuum samij Lucumonis acumen.
Aut adsit interpres tuus.
AEnigmatum qui cognitor
Fuit meorum: quum tibi
Cadmi nigellas filias,
75 Mellonis albam paginam,
Notásque furuæ sepiæ,

Cnidiósque

Cnidiósque nodos prodidit.
Nunc adsit: & certe modo
Præsul creatus litteris,
Enucleabit protinus 80
Quod militantes scribimus.

Notos fingo tibi poeta versus:
Quos scis hendecasyllabos vocari:
Sed nescis modulis tribus moueri,
Istos composuit Phalæcus olim, 85
Qui penthemimerin habent priorem:
Et post semipedem duos iambos.
Sunt quos hexametri creant reuulsi:
Vt penthemimeris prior locetur.
Tum quod bucolice tome relinquit. 90
Sunt & quos generat puella Sapho:
Quos primus regit Hippius secundus:
Vt claudat Choriambon Antibacchus.
Sed iam non potest, ô stolo, doceri:
Nec fas est mihi regio magistro 95
Plebeiam numeros docere pulpam.
Verum protinus ede, quod requiro.
Nil quæro, nisi quod libris tenetur:
Et quod non opicæ tegunt papyri.
Quas si solueris, ô Poeta, nugas, 100
Tostam trado tibi simul Vacunam.*
Nec iam post metues vbique dictum.
Hic est ille Theon poeta falsus
Bonorum mala carminum taberna.

Eidem Theoni. Epist. v.

Ausonius Salue caro mihi dico Theoni,
Versibus experiens quod volo quódue queror.
Tertia fissipedes renouauit Luna iuuencas:
Dum fugitas nostram dulcis amice domum.
5 *Nonaginta dies sine te charissime traxi:*
Huc adde æstiuos hoc mihi pæne duplum est.
Bis nouies denos dicam, deciésque nouenos
Ille dies anni portio quanta abijt.
Sexaginta horas super & duo millia centum
10 *Te sine consumpsi: quo sine & hora grauis.*
Millia bis nongenta iubet demensio legum
Adnumerata reos per tot obire dies.
Iam potui Romam pedes ire, pedésque reuerti,
Ex quo te dirimunt millia pauca mihi.
15 *Scirpea Domnotoni tanti est habitatio vati?*
Pauliacus tanti non mihi villa foret.
* *An quia per tabula*medico pugnan.*otatam,*
Debita summa mihi est: ne repetamus abes?
Bis septem rutilos regale nomisma Philippos,
20 *Nec tanti fuerint, perdere malo, Theon:*
Implicitum quàm te nostris interne medullis
Defore tam longi temporis in spatio.
Ergo aut prædictos iam nunc rescribe Darios:
Et redime, vt mora sit libera desidiæ:
25 *Aut alios à me totidem dabo: dum modo cari*
Conspicer ora viri pauperis vsque licet.
Puppe citus propera sinuosáque lintea veli
Pande. Medullini te feret ora noti.

Expositum

Expositum subter paradas, lectóque iacentem:
Corporis vt tanti non moueatur onus. 30
Vnus Domnotoni te à littore perferet æstus
Condatem ad portum: si modo deproperes.
Inq; vicem venti quotiens tua flamina cessant,
Remipedem iubeas protinus ire ratem.
Inuenies præsto subiuncta petorita mulis. 35
Villa Lucani mox potieris aco.
Rescisso disce componere nomine versum.
Lucilij vatis sic imitator eris.

Tmesis. pro, Lucaniaco.

Eidem Theoni. Epist. VI.

Ausonius Consul vatem resaluto Theonem.
Aurea mala Theon, sed plumbea carmina mittis.
Vnius massæ quis putet has species?
Vnum nomen vtrique: sed est discrimen vtrique:
Poma vt mala voces, carmina verò mala.
Vale beatus, nomen à diuis Theon.
Methodus sed ista sæpe currentē indicat.

Ausonius Theoni, quum ei triginta Ostrea, grãdia quidem, sed tam pauca misisset. Epist. VII.

EXPECTAVERAM, vt rescriberes ad ea, quæ dudum ilocaliter luseram de cessatione tua valde impia, & mea efflagitatione, cuius rei munus reciprocum, quoniam in me colendo fastidisti, inuenta inter tineas epistola veteri, quam de Ostreis & Musculis affectata obscuritate condideram: quæ adolescens temerè fuderam, iam senior retractaui. Sed in eundem modum instaurata est

ſatirica,& ridicula cõcinnatio: ſaltem vt nunc reſpondeas notiſſimæ cantilenæ: qui illam no uitiam ſilentio condemnaſti.

Oſtrea Baianis certantia,quæ Medulorum
Dulcibus in ſtagnis reflui maris æſtus opimat,
Accepi dilecte Theon,numerabile munus.
Verum quot fuerint, ſubiecta monoſticha ſignant.
5 *Quot ter luctatus cum pollice computat index.*
Geryones quot erant,decies ſi multiplicentur.
Ter quot erant Phrygij numerata decennia belli.
Aut ter vt Aeolidi menſis tenet ignicomus Sol.
Cornib. à primis quot habet vaga Cynthia noctes,
10 *Singula percurrit Titan quot ſigna diebus.*
Quotq; annis ſublimis agit ſua ſæcula Phænon.
Quot numero annorum Veſtalis virgo miniſtrat.
Dardaniusq; nepos regno quot protulit annos.
Priamidæ quot erant,ſi bis deni retrahantur.
15 *Bisq; viros numeres,qui fata Amphryſia ſeruant.*
Quot genuit fœtus Albana ſub ilicibus ſus.
Et quot ſunt aſſes,vbi nonaginta trientes.
Vel quot habet iunctos Vaſatica reda caballos.
Quod ſi figuras fabulis adumbratas,
20 *Numerúmq. doctis inuolutum ambagibus.*
Ignorat alto mens obeſa viſcere:
Numerare ſaltim more vulgi vt noueris,
In ſe retortas explicabo ſummulas.
Ter denas,puto,quinquiésq, ſenas.
25 *Vel bis quinque,dehinc decem,décemq.*
Vel ſenas quater,& bis adde ternas.

Septenis

Septenis quater adde vnum & vnum.
Duc binas decies, semélque denas.
Aut ter quattuor adde bis nouenis.
Octonis quater. hinc duæ recedant. 30
Binas ter decies, semel quaternas.
Et sex adde nouem, vel octo septem.
Aut septem geminis bis octo iunge.
Aut ne sim tibi pluribus molestus.
Triginta numero fuère cunctæ. 35
Iunctus limicolis musculus ostreis
Primo composuit fercula prandio,
Gratus delicijs nobilium cibus,
Et sumptu modicus pauperibus focis.
Non hic naufrago quæritur æquore, 40
Vt crescat pretium grande periculis:
Sed primore vado post refugum mare,
Algosa legitur littore concolor.
Nam testæ duplicis conditur in specu,
Quæ feruentis aquæ fota vaporibus, 45
Carnem lacteoli visceris indicat.
Sed damnosa nimis panditur area.
Fac campum replices Musa papyrium:
Nec iam fissipedis per calami vias
Grassetur Cnidiæ sulcus arundinis, 50
Pingens aridulæ subdita paginæ,
Cadmi filiolis atricoloribus.
Aut cunctis pariter versibus oblinat
Fuluam lacticolor spongia Sepiam.
Parcamus vitio Dunnotinæ domus. 55

Ne sit charta mihi carior ostreis.

Ausonius Axio Paulo Rhetori Sal.
Epist. VIII.

Tandem eluctati retinacula blanda morarum,
Burdigalæ molles liquimus illecebras.
Santonicámque vrbem, vicino accessimus agro.
Quod tibi si gratum est, optimè Paule proba.
Cornipedes rapiant imposta petorita mulæ:
Vel cisio triiugi si placet, insilias:
Vel celerem mannum, vel ruptum terga veredum
Conscendas, propere dummodo iam venias.
Instantis reuocant quia nos sollemnia Paschæ:
Libera nec nobis est mora desidiæ.
Perfer in excursu vel teriuga millia epodon,
Vel falsas lites, quas schola vestra serit.
Nobiscum inuenies nullas, quia liquimus istic,
Nugarum veteres cum sale relliquias.

Ausonius Paulo. Epist. IX.

Ostrea nobilium cenis sumptúque nepotum
Cognita diuersóque maris defossa profundo,
Aut refugis nudata vadis, aut scrupea subter
Antra, & muriceis scopulorum mersa lacunis,
Quæ viridis muscus quæ dedecor alga recondit,
Quæ testis concreta suis, ceu saxa cohærent.
Quæ mutata loco, pingui mox condita limo,
Nutrit secretus conclusæ vliginis humor,
Enumerare iubes, vetus ô mihi Paule sodalis,
Assuefacte meis ioculari carmine nugis.
Aggrediar: quamuis curam non ista senilem

Solli-

Sollicitent, frugique viro dignanda putentur,
*Nam mihi non saliare epulum, non*cena dapalis,*
Qualem Penelope nebulonum mensa procorum,
Alcinoique habuit nitidæ cutis uncta iuuentus. 15
Enumerabo tamen, famam testésque secutus.
Pro studijs hominum semper diuersa probantum.
Sed mihi præ cunctis ditissima: quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdigalensia nomen
Vsque ad Cæsareas tulit admiratio mensas, 20
Non laudata minus nostri quàm gloria vini.
Hæc inter cunctas palmam meruêre priorem,
Omnibus ex longo cedentibus. ista & opimi
Visceris, & niuei dulcíque tenerrima succo,
Miscent æquoreum tenui sale tincta saporem. 25
Proxima sint quæuis sed longè proxima multo
Ex interuallo, quæ Massiliensia portu:
Quæ Narbo ad Veneris nutrit: cultúque carentia,
Hellespontiaci quæ protegit æquor Abydi:
Vel quæ Baianis pendent fluitantia palis: 30
Santonico quæ tecta salo: quæ nota Genonis:
Aut Eborum mistus pelago quæ protegit amnis:
Vt multo iaceant algarum obducta recessu
Aspera quæ testis, & dulcia farris opimæ.
Sunt & Aremorici qui laudent ostrea ponti, 35
Et quæ Pictonici legit accola littoris: & quæ
Mira Caledonius nonnunquam detegit æstus.
Accedunt, quæ fama recens Byzantia subter
Littora, & insana generata Propontidis acta,
Promoti celebrata ducis de nomine, laudant. 40

Hæc tibi non vates, non historicus, neque toto
Orbe vagus conuiua loquor, sed tradita multis:
Vt solitum: quotiens dextræ inuitatio mensæ
Sollicitat lenem comi sermone Lyæum.
45 *Hæc non per vulgum mihi cognita, pérque popinas,*
Aut parasitorum collegia Plautinorum:
Sed festos quia sæpe dies partim ipse meorum
Excolui, inque vicem conuiua vocatus adiui.
Natalis siforte fuit sollemnis amico,
50 *Coniugióque dapes, aut sacra repotia patrum,*
Audiui: meminique bono laudare frequenter.

Ausonius Paulo. Epist. x.

Si qua fides falsis vnquam est adhibenda poëtis,
Nec plasma semper allinunt,
Paule, camenarum celeberrime Castaliarum
Alumne quondam, nunc pater,
5 *Aut auus, aut proauus antiquior, vt fuit olim*
Tartesiorum regulus:
Intemerata tibi maneant promissa memento.
Phœbus iubet verum loqui.
Et si Pierias patitur lirare sorores,
10 *Nunquam ipse torquet αὔλακα.*
Te quoque ne pigeat consponsi fœderis: & iam
Citus veni remo, aut rota.
Aequoris vndosi qua multiplicata recursu,
Garumna pontum prouocat.
15 *Aut iteratarum qua glarea trita viarum,*
Fert militarem ad Blauiam.
Nos etenim primis sanctum post Pascha diebus,

Auemus

Auemus agrum visere.
Nam populi cœtus, & compita sordida rixis
Fastidientes cernimus. 20
Angustas feruêre vias, & congrege vulgo
Nomen platéas perdere.
Turbida congestis referitur vocibus Echo,
Tene, feri duc, da caue.
Sus lutulenta fugit: rabidus canis impete sæuo: 25
Et impares plaustro boues.
Nec prodest penetrale domus, & operta subire.
Per tecta clamores meant.
Hæc & quæ possunt placidos offendere mores,
Cogunt relinqui mœnia: 30
Dulcia secreti repetantur ut ocia ruris
Nugis amœna serijs.
Tempora dispenas vbi tu tua: iúsque tuum sit,
Vt nil agas, vel quod voles.
At quæ sit properas tota cum merce tuarum 35
Veni camenarum citus.
Dactylicos elegos, choriambum carmen, epodos.
Socci & cothurni musicam,
Carpentis impone tuis. nam tota supellex
Vatum piorum, chartea est. 40
*Nobiscum inuenies *catenoplia: si libet vti,*
Non Pœna sed Græca fide.

Ausonius Paulo S. Epist. XI.

VERSVS meos vtili, & conscio sibi pudore celatos, carmine tuo & sermone præmissis,

dum putas elici, repressisti. Nam qui ipse facundus, & musicus, editioni alienæ prolectat audaciam: consilio, quo suadet, exterret. Tegat oportet, auditor doctrinam suam, qui volet ad dicendum sollicitare trepidantem. nec emerita aduersum tirunculos arma concutiat veterana calliditas. Sensit hoc Venus, de pulchritudinis palma diu ambiguo ampliata iudicio, pudenter enim, vt apud patrem, velata certauerat. neque deterrebat æmulas ornatus æqualis. at postquam in pastoris examen deducta est lis dearum: qualis emerserat mari, aut cum Marte conuenerat: & consternauit arbitrum. & contendentium certamen oppressit. Ergo nisi DELIRVS tuus in re tenui non tenuiter laboratus, opuscula mea quæ promi studueras, retardasset: iandudum ego, vt palmes audacior, in hibernas adhuc auras improbum germen egissem, periculum iudicij grauis, inconsulta festinatione, subiturus. Denique dissonum, quem Colonomon existimo propriè à philologis appellatum, adcreui. Vt iubebas recenti versuum tuorum lectione, non ausus, ea, quæ tibi iam cursim fuerant recitata, transmitto. Etenim hoc poposci, atque id ego malui: tu vt tua culpa ad eundem lapidem bis offenderes. ego autem, quæcunque fortuna esset, semel erubescerem. Vide, mi Paule, q[illegible]
inept[illegible]

ineptum lacesseris, in verbis, rudem: in eloquendo, hiulcum: à propositis, discrepantem: in versibus, concinnationis expertem: in cauillando, natura inuenustum, nec arte conditum: diluti salis & fellis ignaui: nec de mimo planipedem, nec de comœdis histrionem. ac nisi hæc à nobis missa ipse lecturus esses, etiam de pronunciatione rideres. Nunc commodiore fato sunt: quod licet apud nos genuina, apud te erunt adoptiua.

Vinum quum biiugo parabo plaustro
Primo tempore Santonos vehendum:
Ouum tu quoque passeris marini:
Quod nunc promus ait procul relictum
In fundo patriæ Begeritanæ.

Αὐσόνιος Παύλῳ. Epist. XII.

Ἑλλαδικῆς μετέχων μούσης, *Latiæq; camenæ,*
Ἄξια Αὐσόνιος *sermone alludo bilingui.*
Musæ quid facimus? τί κενῇσιν ἐπ' ἐλπίσιν αὔτως
Ludimus ἀφραδίῃσιν ἐν ἤματι γηράσκοντες.
Σαντονικοῖς κάμποισιν ὅποι κρύος . . . . ἐστιν,
Erramus gelido ῳ τρομεροὶ, *rigidíque poëtæ* 5
Πιερίδων τερενοπλοκάμων θεράποντες *inertes.*
Πάντα δ' ἔχει παγετός τε *pedum,* καὶ κρυμὸς ὀδόν-
των,
Θαλπωρὴ *quia nulla* πέλει χιονώδει χώρῃ.
Et duplicant frigus ψυχρὰ *carmina* μητιόωντες. 10
Ἀρχόμενος δ' ἄρα μῆνιν ἑῶα. . . . . .
Primitias Παύλῳ *nostro* πέμψω μελιηδεῖς.

Μνημοσυνης κρηδεμνοκόμου πολυ inclita τέκνα
Ἔννεα verbosæ κεραοστέφανοί τε puellæ.
15 Ἔνθ' ἄγε μοί πολυ . . . ἔπη κουράλια μολπῆς
Frontibus ὑμετέραις πλέξαντες præferte libellum
Τμῆμάτα . . στίχον . . . . .
Παύλῳ ἐφαρμόζητε μεμιγμένον . . . ᾠδήν.
Οὐ γάρ μοι θέμις ἐστιν in hac regione μένοντι
20 Ἄξιον ab nostris ἐπιδευέα esse καμήναις.
Κεῖνος ἐμοὶ πάντων μέτοχος. qui seria nostra,
Qui ioca παντοδαπῇ nouit tractare παλαίστρῃ.
Καὶ νῦν sepositus μονάχῳ ἐνὶ rure Κρεβέννῳ,
Ἀσταφύλῳ ἐνὶ χώρῳ habet θυμαλγέα λέσχην.
25 Οὔτε φίλοις ἑτάροις nec mensæ accommodus ulli.
Ὅττι ἀθελξινόοις . . . . ὧν φαῖτο μούσαις.
Iam satis ὦ φίλε Παῦλε πόνων ἀπεπειρήθημεν.
Ἔν τε φόρῳ causais τε καὶ ingrataισι καθέδραις,
Ῥητορικοῖς λουδοισι. καὶ ἔπλετο οὐδὲν ὄνειαρ.
30 Ἀλλ' ἤδη κεῖνος μὲν ἅπας iuuenalιος ἱδρώς
Ἐκκέχυται μελέων. τρομερὴ λάβε βλημμα senectus.
Καὶ minus in sumptū δαπάνας leuis arca ministrat.
Οὐ γὰρ ἔχει ἀπάλαμνος ἀνήρ. . . . . . .
Κλεπτικὸς οὐδ' ὁ γέρων. . . . . . .
35 Æquanimus si qua fueris. ἐς πάντα μάλ' εὔδειν
Malueris, λήθη δὲ πόνου ἔστ', ἠδὲ πάτ inc.
Κεῖνο δὲ παγκάλλιστον ut omnibus undique mensis
Σὺν φιάλῃ ἣ καὶ δέπαι σιωπῶσιν μουσέων
Θυμοῦ ἀκηχεμένου solatia blanda requiras.
40 Hic erit & fructus ὁ ἡμέτερος ἀγλαοκάρπου,
Ἔνθα σοὶ νέκταρ ἔοι. πολυχανδέα pocula, θέντι.

Κιρνᾶν

Κιρνᾷν, ἅμε θέλῃς, νέκταρ οὐίνοιο βόνοιο
Ambo igitur nostræ παραλέξομεν *otia vitæ,*
Dum res & ætas, & sororum
Νήματα πορφύρεα πλέκονται. 40

Αὐσόνιος Παύλῳ. Epist. XIII.

Ῥωμαίων ὕπατος, ἀρεταλόγῳ ἠδὲ ποιητῇ
Αὐσόνιος Παύλῳ, σπεῦδε φίλους ἰδέειν.

Ad eundem Paulum. Epist. XIIII.

AEquoream liqui te propter, amice, Garumnam:
Te propter campos incolo Santonicos.
Congressus igitur nostros pete si tibi cura,
Quæ mihi: conspectu iam potière meo.
Sed tantũ appropera, quantũ pote, corpore, & æuo, 5
Vt saluum videam sat cito te video.
Si post infaustas vigor integratus habenas:
Et rediit membris iam sua mobilitas.
Si riguam lætis recolis Pimpleïda Musis,
Iam vates, & non flagrifer Automedon: 10
Pelle soporiferi senium nubémque veterni:
Atque alacri mediam carpe vigore viam.
Sed cisium, aut pigrum cautus conscende veredum.
Non tibi sit redæ, non amor acris equi.
Canteri moneo male nota petorita vites. 15
Nec celeres mulas ipse Metiscus agas.
Sic tibi sint musæ faciles meditatio prompta,
Et memor: & liquidi mel fluat eloquij.
Sic qui venalis tam longa ætate crebennus
Non habet emptorem, sit tibi pro pretio. 20
Attamen vt citius venias, leuiúsque vehâre:

Historiam mimos, carmina, linque domi.
Grande onus in musis. tot sæcula condita chartis,
Quæ sua vix tolerant tempora, nostra grauant.
25 *Nobiscum inuenies* ἐπέων πολυμορφέα πληθὺν,
Γραμματικῶν τε πλοκὰς, καὶ λογοδαιδαλίην,
Δάκτυλον ἡρώων, καὶ ἀοιδοπόλον χορίαμβον,
Σιωὺ θαλίης τε χορῷ, σύρματα τερψιχόρης.
Σωταδικόν τε κίναιδον, ἰωνικὸν ἀμφοτέρωθεν.
30 Ῥυθμῶν πινδαρικῶν ἔννομον εὐεπίην.
Εἰλιπόδην σκάζοντα, καὶ οὐ σκάζοντα τρίμετρον.
Ὀκτὼ Θουκυδίδου, ἐννέα Ἡροδότου.
Ῥητορικῶν θαυμαστὰ σοφῶν ἐρικυδέα φῦλα.
Πάντα μάλ' ὅσσα θέλεις, καὶ πλέον, ἢν κε θέλεις
35 *Hoc tibi de nostris* ἀσπαστικὸν *offero libris.*
Vale. valere si voles me: iam veni.

Ausonius Tetradio Salutem. Epist. XV.

O qui venustos vberi facundia
Sales opimas, Tetradi:
Cauésque ne sit tristis, & dulci carens
Amara concinnatio:
5 *Qui felle carmen, atque melle temperans,*
Torpere musas non sinis:
Pariterque fucas. queq; gustu ignaua sunt,
Et quæ sapore tristia:
Rudes camenas qui Suessæ præuenis:
10 *AEnóque cedis non stilo:*
Cur me propinquum Santonorum mœnibus
Declinas, vt Lucas boues

Olim

Olim resumpto præferoces prœlio
Fugit iuuentus Romula?
Non vt tigris te, non leonis impetu, 15
Amore sed caro expeto.
Videre alumni gestio vultus mei,
Et indole optata frui.
Inuitus olim deuoraui absentiæ
Necessitatem pristinæ: 20
Quondam docendi munere astrictum graui
Iculisma quum te absconderet.
Et inuidebam deuio ac solo loco.
Opus camenarum tegi.
At nunc frequentes, atq; claros nec procul, 25
Quum floreas inter viros:
Tibique nostras ventus auras deferat:
Auresque sermo verberet:
Cur me supino pectoris fastu tumens,
Spernis poëtam consulem? 30
Tuique amantem téque mirantem, ac tua
Desiderantem carmina,
Oblitus alio negligis fastigio?
Plectendus exemplo tuo:
Ni stabilis æuo pectoris nostri fides 35
Quanquam recusantes amet.
Vale: valere si voles me: pernola
Cum scrinio & musis tuis.

Ausonius Probo Præfecto prætorio S.
Epist. XVI.

OBLATA per antiquarios mora, scio

promiſſi mei gratiam, expectatione conſumptam, Probe vir optime. In ſecundis tamen habeo non fefelliſſe. Apologos Titiani, & Nepotis chronica, quaſi alios apologos (nam & ipſa inſtar ſunt fabularum) ad nobilitatem tuam miſi, gaudens, atque etiam glorians fore aliquod: quod ad inſtitutionem tuorum, ſedulitatis meæ ſtudio, conferatur. Libello tamen apologorum anteculi paucos epodos, ſtudio in te obſeruantiæ meæ impudentiſſimos. paucos quidem, vt ego loquax iudico: verum tu, quum legeris, etiam nimium multos putabis. Adiuro beneuolentiam tuam, verecundiæ meæ teſtem, eos mihi ſubita perſuaſione fluxiſſe. Nam quis hoc diu cogitaret? Quod ſane ipſi per ſe probabunt. Fors fuat, vt ſi mihi vita ſuppetat, aliquid rerum tuarum, quamuis incultus, expoliam. quod tu & ſi lectum non probes: ſcriptum boni conſules. Quúmque ego, imitatus ſim veſaniam Chœrili: tu, ignoſcas, magnanimitate Alexandri. Hi igitur, vt Plautus ait, interim erunt antilogium fabularum, garruli, & deceptores. Qui compoſiti ad honorificentiæ obſequium, ad aurium conuicium concurrerunt. Vale & me dilige.

Ad librum: vt eat ad Probum.

Perge ô Libelle Sirmium,
Et dic hero meo: ac tuo

Aue,

Aue, atque salue plurimum.
Quis iste sit nobis herus,
Nescis libelle? an, quum scias, 5
Libenter audis, quod iuuat?
Possem absolute dicere:
Sed dulcius circumloquar:
Diuque fando perfruar.
Hunc dico, qui lingua potens, 10
Minorem Atridam praeterit,
Orando pauca & musica.
Qui grandines Vlixei,
Mellifluentem Nestora,
Concinnatorem & Tullium. 15
Qui solus, exceptis tribus
Heris, herorum primus est,
Praetorióque maximus.
Dico hunc Senatus praesulem.
Praefectum eundem, & consulem. 20
(Nam consul aeternum cluet.)
Collegam Augusti consulis,
Columen curulis Romulae,
Primum in secundis fascibus.
Nam primus è cunctis erit 25
Consul secundus principi.
Generi hic superstes aureo,
Satórque prolis aureae:
Conuici Ascraeum senem.
Qui saeculum omne ferreum. 30
Qui vincit aeui iniuriam,

Stirpis nouator Ammiæ:
Paribúsque comit infulis,
35 Aniciorum stemmata.
Probum loquor, scis optime.
Quem nemo fando dixerit,
Qui non prius laudauerit,
Perge ô Libelle: & vtere
40 Felicitate intermina.
Quin & require, si sinet
Tenore fari obnoxio.
Age vera proles Romuli,
Effare causam nominis.
45 Vtrúmne mores hoc tui
Nomen dedêre: an nomen hoc
Secuta morum regula?
An ille venturi sciens
Mundi supremus arbiter,
50 Qualem creauit moribus
Iussit vocari nomine?
Nomen datum præconijs,
Vitæq; testimonio.
Libelle felix: quem sinu
55 Vir tantus euoluet suo.
Nec occupari tempora
Grato queretur otio.
Quem mille cum vocis modis,
Leni aut susurro impertiet.
60 Cuique vigiles luminum
Vacare dignabunt coræ.

Quem

Quem mente, & aure consciis,
Quibusdam omißis pelleget.
Quæcunque fortuna est tibi.
Perge ô Libelle: vtere:
Felicitate intermina.
Dic me valere & viuere. 65
Dic viuere ex voto pio,
Sanctis precantem vocibus,
Vt quem Curulis proxima
Collegio nati dedit:
Hunc rursus Augustus prior 70
Suis peremnet fascibus.
Subnecte & illud leniter.
Apologos en misit tibi
Ab vsque Reni limite,
Ausonius nomen Italum, 75
Præceptor Augusti tui.
AEsopiam trimetriam,
Quam vertit, exili stilo
Pedestre concinnans opus,
Fandi Titianus artifex. 80
Vt hic aui ac patris decus.
Mixto refulgens sanguine
Probianóque, ac Anicio:
Vt quondam in Albæ mœnibus
Supremus AEnea satus, 85
Siluio Iulis miscuit:
Sic iste qui natus tuus,
Flos flosculorum Romuli.

90 *Nutricis inter lemmata.*
Lalliq. somniferos modos,
Suescat peritis fabulis,
Simul iocari,& discere.
Et adde votum. quod pio
95 *Concepimus rei Deo.*
Vt genitor Augustus dedit
Collegio nati Probum:
Sic Gratianus hunc nouum
Stirpi futuræ copulet.
100 *Rata sunt futura,quæ loquor.*
Sic merita,sic fatum iubet.
Sed iam vt loquatur Iulius,
Fandi modum inuita,accipe
Volucripes dimetria.
105 *Auéq.dicto,dic,Vale.*

Ausonius Symmacho. Epist. XVII.

MODO intelligo,quàm mellea res sit oratio:quàm delenifica, & quàm suada facundia. Persuasisti mihi, quod epistòlæ meæ apud Capuam tibi redditæ concinnatio inhumana non esset:sed hoc non diutiùs, quàm dum epistolam tuam legi:quæ me blanditiis inhiantem tuis, velut succo nectaris delibuta, ducit. Vbi enim chartulam pono & me ipsum interrogo:tum absinthium meum resipit:& circunlita melle tuo pocula deprehendo.Si verò,id quod sæpe facio ad epistolam

Iam tuam redii: rursus inlicior: & rursum ille suauissimus, ille floridissimus tui sermonis adflatus, deposita lectione vanescit: & testimonii pondus prohibet inesse dulcedini. Hoc me velut aërius bracteæ fucus, aut picta nebula, non longius, quàm dum videtur oblectat, Chamæleontis bestiolæ vice: quæ de subiectis sumit colorem. Aliud sentio ex epistola tua, aliud ex conscientia mea: & tu me audes facundissimorum hominum laude dignari: tu inquam, mihi ista: qui te vltra emendationem hominum protulisti. Quisquam ne ita nitet: vt comparatus tibi non sordeat? Quis ita ad Æsopi venustatem, quis ad sophisticas Isocratis conclusiones, quis ad enthymemata Demosthenis, aut opulentiam Tullianam, aut proprietatem nostri Maronis accedat? Quis ita affectet singula: vt tu imples omnia? Quid enim aliud es, quàm ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio? Hæc, domine mi, fili Symmache, non vereor, ne in te blandius dicta videantur esse quàm verius: & expertus es fidem meam, mentis, atque dictorum: dum in comitatu degimus ambo, æuo dispari. vbi tu veteris militiæ præmia tiro meruisti: ego tirocinium iam veteranus exercui. In comitatu tibi verus fui: nedum me peregrem existimes composita fabulari. in comitatu, in-

* * * * *

Vrsule collega nobilis Harmonio.
Harmonio: quẽ Claranus, quẽ Scaurus: & Asper:
Quem sibi conferret Varro, priorq; Crates.
Quiq; sacri lacerum collegit corpus Homeri:
30 *Quiq; notas spuriis versibus apposuit.*
Cecropiæ commune decus, Latiæq; camenæ,
Solus qui Chium misceat, & Ammineum.

Ausonius Pontio Paulino filio. Epist. XIX.

Condiderat iam solis equos Tartesia Calpe:
Stridebatq; freto Titan insignis Ibero.
Iam succedentes quatiebat Luna iuuencas:
Vinceret vt tenebras radijs, velut æmula fratris.
35 *Iam volucres, hominumq; genus superabile curis,*
Mulcebant placidi tranquilla obliuia somni.
Transierant Idus. medius suprema December
Tempora venturo properabat iungere Iano.
Et nonas decimas ab se nox longa calendas
Iugiter acciri celebranda ad festa iubebat.

Nescis, puto, quid velim tot versibus dicere. medius fidius, neque ipse bene intelligo, tamen suspicor. Iam prima nox erat ante dié nonũ decimũ calendarum Ianuarium: quum redditæ sunt mihi litteræ tuæ oppido quàm literatæ. His longè iucundissimũ poema subdideras, quod de tribus Suetoni libris, quos ille de regibus dedit, in epitomẽ coeg,sti, tanta elegantia, solus vt mihi videâre assecutus, quod cõtra rerũ naturã est: breuitas vt obscura non

ra non esset. In his versibus ego ista cognoui.
Europámque, Asiamq;, duo vel maxima terræ
Membra. quibus Libyam dubie Sallustius addit,
Europæ adiunctam: poßit quum tertia dici.
Regnatas multis: quos fama oblitterat: & quos
Barbara Romanæ non tradunt nomina linguæ,
Illibanũ, Numidamq; Auelim, Parthũq; Vononẽ,
Et Caranum: Pellæa dedit qui nomina regum.
Quique magos docuit mysteria vana Nechepsi:
Et qui regnauit sine nomine mox Sesoostris.

Hæc tu quam peritè, & concinnè, quàm modulatè, & dulciter, ita iuxta naturam Romanorum accentuum enuntiasti, vt tamen veris, ac primigeniis vocibus sua fastigia non perirent. Iam quid de eloquentia dicam? liquido adiurare possum, nullum tibi ad poeticam facundiam Romanæ iuuentutis æquari. Certè ita mihi videris. si erro, pater sum. fer me: & noli exigere iudicium, obstante pietate. Verum quum piè diligam, sincerè ac seuerè iudico. Afiice me, oro, tali munere frequenter: quo & oblector, & honoror. Accessit tibi ad artem poeticam mellea modulatio. Quid enim aliud agunt,

Audax Icario qui fecit nomina ponto,
Et qui Chalcidicas moderate enauit ad arces.

nisi vt & vegetam, & sublimem alacritatem tuam, temeritatem voces: me verò & consultum, & quem filius debeat imitari, salutari

prudentia præditum dicas? Quod equidē contra est. Nam tu summa sic appetis, vt non decidas. senectus mea satis habet, si cōsistat. Hæc ad te breuiter, & ilicò, vesperis illius secuto mane, dictaui. Ita enim tabellarius tuus, vt epistolam referret, instabat. Nam si mihi otium fuerit oblectabile: negotium erit ad te prolixius delirare: te vt eliciam: mihi vt satisfaciam. Vale.

Ausonius Paulino S. P. D. Epist. XX.

Paulino Ausonius, Metrum sic suasit: vt esses
Tu prior: & nomen prægrederère meum.
Quanquam & fastorū titulo prior, & tua Roma
Præcessit nostrum sella curulis ebur.
Et quæ iamdudum tibi palma poetica pollet,
5 *Lemnisco ornata est: quo mea palma caret.*
Longæuæ tantum superamus honore senectæ,
Quid refert? cornix non ideo ante cycnum.
Nec quia mille annos viuit Gangeticus ales,
Vincit centum oculos regie pauo tuos.
10 *Cedimus ingenio, quantum præcedimus æuo.*
Assurgit musæ nostra camena tuæ.
Viue, vale, & totidem venturos congere Ianos:
Quot tuus, aut noster conseruère patres.

Ausonius Paulino suo salutem dicit. Epist. XXI.

QVANTO me affecit beneficio, non delata quidem, sed suscepta querimonia mea, Pauline fili? veritus displicuisse oleum quod miseras, munus iterasti. addito etiam Barcinonensis

nonensis Muriæ cōdimento, cumulatius præstitisti. Scis autem me id nomen MVRÆAE, quod in vsu vulgi est, nec solere, nec posse dicere: quum scientissimi veterum, & Græca vocabula fastidientes, Latinum in GARI appellatione non habeant. Sed quocunque nomine loquar, liquor iste SOCIORVM vocatur. Vale..

Iam patinas implebo meas. vt parcior ille
Maiorum mensis apalaria succus inundet.

Quid autem tam amabile támque hospitale: quàm quod tu vt me participes delicias tuas, in ipsa primitiarum nouitate defraudas? ô melle dulcior, ô gratiæ venustate festiuior, ô ab omnibus patrio stringende complexu! Sed hæc atque alia huiusmodi documenta liberalis animi aliquis fortasse, & aliquando: quanuis rarius illud de epistolarum tuarum eruditione, de poëmatis iucunditate, de inuentione, & continuatione, iuro omnia, nulli vnquam imitabile futurum: etsi fateatur, imitandum. De quo opusculo, vt iubes, faciam. Exquisitius vniuersa limabo: & quamuis per te manus summa contigerit: cælum superfluæ expolitionis adhibebo: magis vt tibi paream quàm vt perfectius aliquid adiiciam. Interea tamen ne sine corollario poëtico tabellarius tuus rediret, paucis iambicis præludendum putaui: dum illud, quod à me he-

roico metro desideras, inchoatur. Isti tamen, ita te & Hesperium saluos habeam quod spatio lucubratiunculæ vnius effusi, quanquam hoc ipsi de se probabunt, tamen nihil diligentiæ viterioris habuerunt. Vale.

Iambe Parthis, & Cydonum spiculis,
Iambe pinnis alitum velocior,
Padi ruentis impetu torrentior,
Magna sonoræ grandinis vt densior,
5 *Flammis corusci fulminis vibratior,*
Iam nunc per auras Persei talaribus,
Petasóque ditis Arcados vectus, vola.
Si vera fama est Hippocrene: quam pedis
Pulsu citatam cornipes fudit fremens:
10 *Tu fonte in ipso procreatus Pegasi,*
Primus nouoram metra iunxisti pedum:
Illícque musis concinentibus nouem.
Cædem in draconis concitasti Delium.
Per hanc salutem præpes & volucripes
15 *Paulini ad vsque mœnia, Hebromagum loquor.*
Et protinus iam si resumptis viribus
Alacri refecti corporis motu viget,
Saluere iussum mox reposce mutuum.
Nihil moreris, iámque dum loquor redi:
20 *Imitatus illum stirpis auctorem tuæ:*
Triplici furentem qui Chimæram incendio
Superuolauit, tutus igne proximo.
Dic & Valere, dic, Auere te iubet
Amicus, & vicinus, & fautor tuus,

Honoris

Honoris auctor, altor ingenij tui. 25
Dic & magister, dic parens, dic omnia
Blanda atque sancta caritatis nomina.
Aueq; dicto, dic vale, & aclutum redi.
Quòd si rogabit, quid super scriptis nouis
Maturus æui, nec rudis dijudicem: 30
Nescire dices. sed paratum iam fore
Heroicorum versuum plenum essedum.
Cui subiugabo de molarum ambagibus,
Qui machinali saxa voluunt pondere,
Tripedes caballos, terga ruptos verbere: 35
His vt vehantur tres sodales nuntij.
Fors & rogabit, quos sodales dixeris
Simul venire: dic, Trinodem dactylum
Vidi paratum crucianti canterio.
Spondeus illi lentipes ibat comes: 40
Paribus moratur qui locis cursum meum:
Mihiq; similis. semper aduersus tamen,
Nec par, nec impar, qui Trochæus dicitur.
Hæc fare cursim, nec moratus peruola,
Aliquid reportans interim munusculi 45
De largitate musici promptarij.

Ausonius Paulino suo. Epist. XXII.

MVLTAS, & frequentes mihi gratiæ tuæ causas, & occasio subinde nata, concinnat, & naturæ tuæ facilitas benigna conciliat, Pauline fili. Nam quia nihil poscente me, abnuis, magis acuis procaciam, quàm retundis: vt

nunc quoque in causa Philonis procuratoris quondam mei experiere. Qui apud Hebromagum conditis mercibus, quas per agros diuersos coemit, concesso ab hominibus tuis vsus hospitio, immaturè periclitatur expelli. Quod nisi indulseris, rogante me: vt & mora habitandi ad commodum suum vtatur: & nauso, aliáve quauis naui vsque ad oppidum præbita, frugis aliquantulum nostræ aduehi possit, Lucaniacus vt inopia liberetur maturè: tota illa familia hominis literati non ad Tullij frumentariam, sed ad Curculionem Plauti pertinebit. Hoc quo facilius impetrarem: aut quo maiorem vereceris molestiam, si negares. concinnatam iambis, signatámque ad te epistolam misi: ne subornatum diceres tabellarium, si ad te sine signi fide veniret. Signaui autem, non vt Plautus ait per ceram, & linum, literásque interpretes: sed per poeticum characterem magis notauimus, tanquam signum impressum iudicares.

Philon, meus qui villicatus prædijs,
Vt ipse vult epitropos.
Nam gloriosum Græculus nomen putat,
Quod sermo fucat Doricus.
5 *Suis querelis asserit nostras preces:*
Quas ipse lentus prosequor.
Videbis istum, qualis astet comminus.

Imago

Imago fortunæ ſuæ,
Canus comoſus hiſpidus, trux, attubus,
Terentianus Phormio, 10
Horrens capillis vt marinus aſperis
Echinus, aut verſus mei.
Hic ſæpe falſus meſsibus vegrandibus,
Nomen peroſus villici,
Semente ſera, ſiue multum præcoqua,
Et ſiderali inſcitia,
Cælum laceſſens, ſéque culpæ ſubtrahens,
Reos peregit cælites.
Non cultor inſtans non arator gnaruris:
Promúſque, quam condus magis. 20
Terram infidelem, nec feracem criminans,
Negotiari maluit.
*Mercatur * quoquo foro venalium.*
Mutuatur ad Græcam fidem.
Sapiensq; ſupra Græciæ ſeptem viros, 25
Octauus acceſsit ſophos.
*Et nunc parauit caſeo *triticum & ſale,*
Nouúſque pollet emporus.
Addit inquilinos, rura, vicos, oppida,
Soli, & ſali commercio. 30
Acatis, phaſelis, lintribus, ſtlatis, rate,
Tarnim & Garumnam permeat.
Ac lucra damnis, damna mutans fraudibus,
Se ditat, & me pauperat.
Is nunc ad vſque vectus Hebromagum tuam, 35
Sedem locauit mercibus.

* * * * * *

Vt inde unuſo deuehat

* * * *

40 *Noſtros in vſus, vt refert.*
Hunc ergo paucis ne graueris hoſpitem.

* * * *

Adiutus vt mox nauis auxilio tuæ,
Ad vſque portus oppidi,
45 *Iam iam Peruſina & Saguntina fame,*
Lucaniacum liberat.
Hoc ſi impetratum munus abs te accepero,
Prior colêre, quàm Ceres.
Triptolemon olim ſiue Medem, quem vocant:
50 *Aut Tullianum Buzygen,*
Tuo locabo poſtferendos nomini.
Nam munus hoc fiet tuum.

Auſonius Paulino. Epiſt. XXIII.

Proxima, quæ noſtræ fuerat querimonia chartæ,
Credideram, quòd te Pauline inflectere poſſet,
Eliceretque tuam blanda obiurgatio vocem:
Sed tu iuratis velut alta ſilentia ſacris
5 *Deuotus teneas, perſtas in lege tacendi.*
Non licet, an ne pudet, ſi quis tibi iure paterno
Viuat amicus adhuc, maneaſque obnoxius hæres?
Ignauos agitet talis timor: at tibi nullus
Sit metus: & morem miſſæ acceptæq; ſalutis
10 *Audacter retine, vel ſi tibi proditor inſtat,*
Aut quæſitoris grauior cenſura timetur

Occurre-

Occurre ingenio, quo sæpe occulta teguntur.
Threïcij quondam quam sæua licentia regis
Fecerat elinguem, per licia texta querelas
Edidit: & tacitis mandauit crimina telis. 15
Et pudibunda suos malo commisit amores
Virgo, nec erubuit tacituro conscia pomo.
Depreßis scrobibus vitium regale minister
Credidit: idq; diu texit fidissima tellus.
Inspirata dehinc vento cantauit arundo. 20
Lacte incide notas: arescens charta tenebit,
Semper in aspicuis prodentur scripta fauillis.
Vel Lacedæmoniam Scytalen imitare, libelli
Segmina Pergamei tereti circundata ligno
Perpetuo inscribens versu: qui deinde solutus 25
Non respondentes sparso dedit ordine formas:
Donec consimilis ligni replicetur in orbem.
Innumeras possum celandi ostendere formas,
Et clandestinas veterum reserare loquelas.
Si prodi Pauline times, nostræq; vereris 30
Crimen amicitiæ, Tanaquil tua nesciat istud.
Tu contemne alios, nec dedignare parentem
Adfari verbis. Ego sum tuus altor: & ille
Præceptor primus veterum largitor honorum,
Primus in Aonidum qui te collegia duxi. 35

Ausonius Paulino S. Epist. XXIIII.

Discutimus Pauline iugum, quod certa fouebat
Temperies: leue quod positum & tolerabile iunctis
Tractabat paribus concordia mitis habenis.

Quod per tam longam ſeriem voluentibus annis
5 Fabula non vnquam, nunquam querimonia mouit.
Nulla querela loco pepulit, non ira nec error,
Nec quæ compoſitis male ſuadæ credula cauſis,
Concinnat veriſimilis ſuſpectio culpas.
Tam placidũ, tam mite iugum: quod vterq; parẽtes
10 Ad ſenium noſtrum traxere ab origine vitæ:
Impoſitúmque pijs hæredibus vſque manere
Optarunt, dum longa dies diſſolueret æuum:
Et manſit, dum læta fides nec cura laborat
Officij ſeruare vices. ſed ſponte feruntur
15 Incuſtoditum ſibi continuantia curſum.
Hoc tam mite iugum docili ceruice ſubirent
Martis equi, ſtabulóque feri Diomedis abacti:
Et qui mutatis ignoti Solis habenis,
Fulmineum Phaethonta Pado merſere iugales.
20 Diſcutitur Pauline tamen: nec culpa duorum
Iſtæ, ſed vnius tantùm tua nanque ego ſemper
Contenta ceruice feram. conſorte laborum
Deſtituor. nec tam promptum geſtata duobus
Vnum deficiente pari perferre ſodalem.
25 Non animus, viréſque labant: ſed iniqua ferendo
Conditio eſt oneri, quum pondus vtrunque relicto
Ingruit: accedúntque aliena pondera libra.
Sic pars ægra hominis trahit ad contagia ſanum
Corpus: & exigui quamuis diſcrimine membri,
30 Tota per innumeros artus compago vacillat.
Obruar vſque, tamen veteris ne deſit amici
Me durante fides: memoríque vt fixa ſub æuo

Reſti-

Restituant profugum solatia cassa sodalem.
Inpie, Pirithoo disiungere Thesea possis,
Euryalúmque suo socium secernere Niso? 35
Te suadente fugam, Pylades liquisset Orestem,
Nec custodisset Siculus vadimonia Damon?
Quantum oblectamen populi, quæ vota bonorum
Sperato fraudata bono? gratantia cuncti
Verba loquebantur iam nomina nostra parabant 40
Inserere antiquis æui melioris amicis.
Cedebat Pylades: Phrygij quoque gloria Nisi
Iam minor, & promissa obiens vadimonia Damon.
Nos documenta magis felicia qualia magnus
Scipio longæuique dedit sapientia Læli. 45
Nos studijs animisque ijsdem, miracula cunctis
Hoc maiora, pares fuimus quòd dispare in æuo.
Ocyus illa iugi fatalis soluere lora
Pellæum potuisse ducem reor, abdita opertis
Principijs, & vtroque caput celantia nodo. 50
Grande aliquod verbum nimirum diximus, vt se
Inferret nimijs vindex Rhamnusia votis.
Arsacidæ vt quondam regis non læta triumphis
Grandia verba premens vltrix dea Medica belli:
Sistere Cecropidum in terris monumenta paranti 55
Obstitit: & Graio iamiam fingenda tropheo,
Vltro etiam victis Nemesis stetit Attica Persis.
Quæ tibi Romulidas proceres vexare libido est?
In Medos, Arabásque tuos per nubila & atrum
Perge chaos. Romana procul tibi nomina sunto. 60
Illic quære alios oppugnatura sodales:

Liuor vbi iste tuus, ferrugineúmque venenum
Opportuna tuis inmicat pectora fucis.
Paulinum, Ausoniúmque viros, quos sacra Quirini
65 *Purpura, & auratus trabeæ velauit amictus,*
Non decet insidiis peregrinæ cedere diuæ.
Quid queror, Eoique insector crimina monstri?
Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit
Barcino, me bimaris iura ninguida Pyrenæi.
70 *Mœnibus e patrijs forsan quoque vestis & oris,*
Quémque suo longo dirimat prouincia tractu
Trans montes solémq; aliũ, trans flumina & vrbes,
Et quod terrarum, cælique extenditur inter
Emeritæq; amnes, latæq; fluenta Garumnæ.
75 *Quòd si interuallis spatium tolerabile limes*
Poneret exiguus: quamuis longa omnia credant
Qui simul esse volunt: faceret tamen ipsa propinquos
Cura locos, medijs iungens distantia verbis.
Sanctonus vt sibi Burdigalam: mox iungit Aginũ
80 *Illa sibi, & populos Aquitanica rura colentes:*
Vtq; duplex Arelas Alpinæ tecta Viennæ,
Narbonémque pari spatio sibi conserit: & mox
Quincuplicem socias tibi Martie Narbo Tolosam.
Hoc mihi si spatium vicinis mœnibus esset,
85 *Tunc ego te vt nostris aptum complecterer vlnis:*
Adflarétque tuas aures nostræ aura loquelæ.
Nunc tibi trans Alpes & Marmoream Pyrenen
Cæsarea Augustæq; domus Tyrrhenica prꝫpter
Tarraco, & ostrifero superaddita Barcino ponto:
90 *Me iuga Burdigalæ, trino me flumina cœtu*

Secernunt

Secernunt turbis popularibus: otiaq; inter
Vitiferi exercent colles, lætúmque colonis
Vber agri, tum prata virentia, tum nemus vmbris
Mobilibus, celebríque frequens ecclesia vico:
Tótque mea in Nouero sibi proxima prædia pago, 95
Dispositis totum vicibus variata per annum,
Egelidæ vt tepeant hiemes, rabidósque per æstus
Adspirent tenues frigus subtile aquilones.
Te sine sed nullus grata vice prouenit annus.
Ver pluuium sine flore fugit. canis æstifer ardet. 100
Nulla autumnales variat Pomona sapores.
Effusáque hyemem contristat Aquarius vnda.
Agnocésne tuam Ponti dulcissime culpam?
Nam mihi certa fides, nec commutabilis vnquam
Paulini illius veteris reuerentia durat: 105
Quæq; meo, atque tuo fuerat concordia patri.
Si tendi facilis cuiquam fuit arcus Vlixi.
Aut præter dominum vibrabilis ornus Achilli,
Nos quoque tam longo Rhamnusia fœdere soluet.
Sed cur tam mæsto sero tristia carmina versu? 110
Et non in meliora animus se vota propinquat?
Sit procul iste metus. certa est fiducia nobis:
Si genitor natúsque Dei pia verba volentum
Accipiat, nostro reddi te posse precatu:
Ne sparsam raptámque domum, lacerataq; centum 115
Per dominos, veteris Paulini regna fleamus.
Téque va_um toto quàm longa Hispania tractu
Immemorem veterum peregrinis fidere amicis.
Accurre ô nostrum decus, ô mea maxima cura.

120 *Votis, omnibúsque bonis, precibúsque vocatus.*
Adpropera: dum tu iuuenis, dum nostra senectus
Seruat inexhaustum tibi gratificata vigorem.
Et quando iste meas impellet nuntius aures?
Ecce tuus Paulinus adest. iam ninguida linquis
125 *Oppida Iberorum, Tarbellica iam tenet arua.*
Hebromagi iam tecta subit: iam prædia fratris
Vicina ingreditur: iam labitur amne secundo:
Iámque in conspectu est: iã prora obuertitur amni:
Ingressúsque sui celebrata per ostia portus
130 *Totum occursantis populi præuertitur agmen:*
Et sua præteriens, iamiam tua limina pulsat.
Credimus, an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

Ausonius Paulino suo S. Epist. XXV.

Quarta tibi hæc notos detexit epistola questus
Pauline: & blando residem sermone lacessit:
Officium sed nulla pium mihi pagina reddit,
Fausta salutigeris adscribens orsa libellis.
5 *Vnde istam meruit non felix charta repulsam,*
Spernit tam longo cessatio quam tua fastu?
Hostis ab hoste tamen per barbara verba salutem
Accipit: & salue medijs interuenit armis.
Respondent & saxa homini percussus ab antris
10 *Sermo redit. redit & nemorum vocalis imago,*
Littorei clamant scopuli, dant murmura riui,
Hybleis apibus sepes depasta susurrat.
Est & arundineis modulatio musica ripis:
15 *Cúmque suis loquitur tremulũ coma pinea ventis.*
Incubuit folijs quotiens leuis Eurus acutis,

Dindyma

Dindyma Gargarico respondent cantica luco.
Nil mutum natura dedit non aëris ales,
Quadrupedésve silent. habet & sua sibila serpens.
Et pecus æquoreum tenui vice vocis anhelat.
Cymbala dant flictu sonitum, dant pulpita saltu 20
Icta pedum, tentis reboant caua tympana tergis.
Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus,
Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
In numerum quoties radijs ferientibus ictæ
Respondent dociles moderato verbere pelues. 25
Tu velut Oebalijs habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet,
Obnixum Pauline taces. agnosco pudorem:
Quod vitium fouet ipsa suum cessatio iugis.
Dúmque pudet tacuisse diu, placet officiorum 30
Non seruare vices & amant longa otia culpam.
Quis prohibet Salue atque Vale breuitate parata
Scribere? felicésque notas mandare libellis?
Non ego longinquos vt texat pagina versus
Postulo: multiplicique oneres sermone tabellas. 35
Vna fuit tantùm qua respondere Lacones,
Littera: & irato regi placuêre negantes.
Est etenim comis breuitas. sic fama renatum:
Pythagoram docuisse refert quum multa loquaces
Ambiguis sererent verbis contra omnia solum 40
Est respondebat, vel Non. O certa loquendi
Regula! nam breuius nihil est. nec plenius istis:
Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt.
Nemo silens placuit: multi breuitate loquendi.

45 *Verum ego quò stulte dudum spatiosa locutus*
Prouehor? vt diuersa sibi vicináque culpa est,
Multa loquẽs. & cuncta silens, non ambo placemus:
Nec possum reticere, iugum quòd libera nunquam
Fert pietas. nec amat blandus postponere verum.
50 *Vertisti Pauline tuos dulcissime mores?*
Vasconis hoc saltus, & ninguida Pyrenæi
Hospitia, & nostri facit hoc obliuio cæli.
Imprecer ex merito quid non tibi Iberica tellus?
Te populent Pœni: te perfidus Annibal vrat:
55 *Te belli sedem repetat Sertorius exul.*
Ergo meum patriæq; decus, columenq; Senati,
Bilbilis aut hærens scopulis Calagorris habebit?
Aut quæ deiectis iuga per scruposa ruinis
Arida torrentem Sicorim despectat Hilerda:
60 *Hic trabeam Pauline tuam, Latiámque curulem*
Constituis? patriósque istic sepelibis honores?
Quis tamen ista tibi tam longa silentia suasit,
Impius, vt nullos hic vocem vertat in vsus?
Gaudia non illum vegetent: non dulcia vatum
65 *Carmina, non blandæ modulatio flexa querelæ.*
Non fera, non illum pecudes, non mulceat ales,
Non quæ pastorum nemoralibus abdita lucis
Solatur nostras Echo resecuta loquelas.
Tristis, egens, deserta colat: tacitúsque pererret
70 *Alpinis connexa iugis: ceu dicitur olim*
Mentis inops cœtus hominum. & vestigia vitans
Auia perlustrasse vagus loca Bellerophontes.
Hæc precor, hanc vocem Bœotia numina Musæ

Acci-

Accipite: & Latijs vatem reuocate camenis.

Ausonius Paulino suo S. Epist. XXVI.

Quarta redit duris hæc iam messoribus æstas:
Et totiens cano bruma gelu riguit:
Ex quo nulla tuo mihi littera venit ab ore:
Nulla tua vidi scripta notata manu:
Ante salutifero felix quum charta libello 5
Dona negata diu multiplicata daret.
Trina etenim vario florebat epistola textu,
Sed numerosa triplex pagina carmen erat.
Dulcia multimodis quædam subamara querelis
Anxia censuræ miscuerat pietas. 10
Sed mihi mite patris plusquam censoris acerbum
Sedit & è blandis aspera penso animo.
Ista suo retegenda loco tamen: & grauiore
Vindicis heroi sunt agitanda sono.
Interea leuior paucis præcurrit iambus, 15
Discreto referens mutua verba pede.
Nunc elegi saluere iubent, dictáque salute,
Vt fecêre alias orsa, gradúmque silent.

AVSONII AD GRATIANVM IMPERATOREM DISCIPVLVM.

Gratiarum actio pro consulatu.

1 AGO tibi gratias Imperator Auguste: si possem, etiam referrem. Sed nec tua fortuna desiderat remunerandi vicem: nec nostra suggerit restituendi facultatem. Priuatorum ista copia est inter se esse munificos, tua beneficia vt maiestate præcellunt, ita mutuum non reposcunt. Quod solum igitur nostræ opis est, gatias ago: verum ita, vt apud Deum fieri amat, sentiendo copiosius, quàm loquendo: atque non in sacrario modo imperialis oraculi, qui locus horrore tranquillo & pauore venerabili raro eundem animum præstat & vultum: sed vsquequaque gratias ago, tum tacens, tum loquens, tum in cœtu hominum, tum ipse mecum, & cum voce patui, & cum meditatione secessi, omni loco, actu, habitu, & tempore. Nec mirum: si ego terminum non statuo tam grata profitendi, quum 2 tu finem facere nescias honorandi. Quis enim locus

locus est, aut dies, qui non me huius, aut similis gratulationis admoneat? admoneat autem? ô inertiam significationis ignauæ! quis inquam locus est, qui non beneficiis tuis agitet, inflammet? Nullus inquam, Imperator Auguste, quin admirandam speciem tuæ venerationis incutiat: non palatium, quod tu quum terribile acceperis, amabile præstitisti. non forum, & basilica olim negotiis plena, nunc votis, votísque pro tua salute susceptis. Nam de sua, cui non te imperante securitas? non curia honorificis modo læta decretis, olim sollicitis mœsta querimoniis. non publicum, in quo occursus gaudentium plurimorum neminem patitur solum gratulari. non domus commune secretum. Lectus ipse ad quietem datus, beneficiorum tuorum reputatione tranquillior. Somnus abolitor omnium, imagines tuas affert. Ipsa autem sedes honoris, Sella curulis, gloriosa pompis imperialis officij, in cuius me fastigio ex qua mediocritate posuisti? quoties à me cogitatur, vincor magnitudine, & redigor ad silentium, non ingratus beneficiis, sed oppressus. Ades enim locis omnibus. Nec iam miramur licentiam poëtarum: qui omnia Deo plena dixerunt. Spem superas, cupienda præuenis, vota præcurris: quæq; animi nostri celeritas Diuûm instar affectat, beneficiis præeunti-

bus anteceditur. Præstare tibi est, quàm nobis optare velocius. Ago igitur gratias optime Imperator. Ac si quis hunc sermonẽ meũ iisdem verbis tam sæpe repetitum inopiæ loquentis assignat, experiatur hoc idẽ prosequi: sed nihil poterit proferre facundius. Aguntur enim gratiæ nõ propter maiestatis ambitum, nec sine argumentis, Imperatori fortissimo. testis est vno pacatus anno, & Danubii limes, & Reni. Liberalissimo ostẽtat hoc diues exercitus. Indulgentissimo. docet securitas erroris humani. Consultissimo. probat hoc tali Principe oriens ordinatus. Piissimo. huius verò laudis locupletissimum testimoniũ est, pater diuinis honoribus consecratus: instar filii, ad imperium frater ascitus: à contumelia belli, patruus vindicatus: ad præfecturæ collegium, filius cum patre coniunctus: ad con-

4 sulatum, præceptor electus. Possum ire per omnes appellationes tuas, quas olim virtus dedit: quas proximè fortuna concessit: quas adhuc indulgentia diuina meditatur. Voca Germanicum, deditione gentilium: Alemanicum, traductione captoru: vincendo & ignoscendo, Sarmaticum. Connectere omnia merita virtutis, & cognomina felicitatis: sed alia est ista materia, & suo parata secreto: quum placuerit signanter, & breuiter omnia, quæ nouimus indicare, nec persequi: vt qui terra-

rum

rum orbem vnius tabulæ ambitu circunſcribunt aliquãto detrimento magnitudinis,nullo diſpendio veritatis.Nunc autem,quod diei huius proprium, de Conſulatu gratias agam. ſed procurrunt & aliæ dignitates,atque in vocem gratulationis erũpunt,ac ſe prius debere profitentur.Tot gradus nomine comitis propter tua incrementa congeſti ex tuo merito: te ac patre principibus, quæſtura communis, & tui tãtum præfectura beneficij: quæ & ipſa non vult vice ſimplici gratulari,liberalius diuiſa quàm iuncta: quum teneamus duo integrum,neuter deſiderat ſeparatum. Sed illa,vt paulò ante promiſi , habebunt ſui muneris peculiare ſecretũ. Conſulatus hic meus orat, atque obſecrat : vt obnoxiam tibi vni ſinas fieri eius dignitatem , quem omnibus prætuliſti. Quod quidem & ipſe ſibi inuenit gradus, cum clariſſimo viro collega meo honore coniunctus, nuncupatione prælatus. Conſul ego,Imperator Auguſte,munere tuo,non paſſus ſepta , neque campum , non ſuffragia, non puncta , non loculos : qui non prenſauerim manus , nec cum ſalutantiũ confuſus occurſu , aut ſua amicis nomina nõ reddiderim, aut aliena impoſuerim : qui tribus non circumiui, centurias non adulaui, vocatis claſſibus non intremui , nihil cum ſequeſtre depoſui , cum diribitore nil pepigi. Romanus

5

populus, Martius campus, equester ordo, rostra, ouilia, Senatus, curia, vnus mihi omnia Gratianus. Iure meo, Auguste Maxime affirmare possum, incolumi omnium gratia, qui ad hunc honorem diuersa vnquam virtute venerunt, venturíque sunt. suus enim cuique animus, suum meritum, sibíque mens conscia est: iure, inquam, meo affirmare possum, me mihi videri à cęteris esse secretum Sunt quos votorum cruciat inanitas: non optaui. quos exercet ambitus: non petiui. qui assiduitate exprimunt: non coegi. Qui offeruntur occasione: non affui. quos iuuat opulentia: obstat temporum disciplina: non emi. nec possum continentiam iactare: non habui, vnum præstare tentaui, & hoc ipsum quasi meum vendicare non possum. in tua enim positum est opinione, si merui. 6 Fecisti autem, & facies alios quoque consules, piissime Gratiane, sed non & causa pari. Viros gloriæ militaris. habent enim tecum, vt semper laboris, ita dignitatis plerunque consortium, virtutis quàm honoris antiquiore collegio. Viros nobilitatis antiquæ. dantur enim multa nominibus: & est Roma pro merito. Viros fide inclytos, & officiis probatos: quorum me etsi non secerno numero: tamen, quod ad honoris viam pertinet, ratione dispertio. Quartum hunc gradum noui beneficij, tu, Auguste, constituis

tuis deferre tibiipsi, quo alter ornetur! bona animi tui ad alienam referre præstantiam, eruditionémq; e naturę, quam Deo & patri & tibi debes, ad alterius gratiam rectius retorquere, quàm verius. Tua hæc verba sunt à te mihi scripta: SOLVERE TE, QVOD DEBEBAS: ET ADHVC DEBERE, QVOD SOLVERIS. O mentis aureæ dictum bracteatum! ô de pectore candidissimo lactei sermonis alimoniam! Quisquám ne tam parcus est in ostentatione beneficij? quisquam pondus gratiæ suæ vim meriti profitetur alieni? quisquam denique quod indulget, quasi ab obnoxio deferatur, pretium mauult vocare quàm donum? Certent huic sententiæ veteres illi, & Homerici oratores, subtilis deducta oratione Menelaus, & instar profundæ grandinis ductor Ithacesius, & melleo delibutus eloquio iam tertiæ Nestor ætatis: sed neque ille concinnius eloquetur, qui se Laconica breuitate collegit: neque ille cõtortius, qui cum sensibus verba glomerauit: nec dulcius, cuius lenis oratio mulcendo potius quàm extorquendo persuasit. Soluere te dicis, quod debebas: & debiturum esse, quum solueris. Auguste iuuenis, Cæli, tibi & humani generis rector hoc tribuat, vt prælatus antiquis, quos etiam elegantia sentẽtiæ istius antecessisti, vincas propria singulorum: in

Menelao regiam dignationem, in Vlixe prudentiam, in Nestore senectutem. Subiiciet aliquis: Ista quidem adeptus es: sed effare, quo merito? Quid me oneras sciscitator? RATIONEM FELICITATIS NEMO REDDIT. Deus & qui Deo proximus, tacito munera dispertit arbitrio: & beneficiorum suorum indignatus per homines stare iudicium, mauult de subditis dedisse miraculum. Quo inquis merito? ego nullu scio, nisi quod tu, piissime Imperator, debere te dicis: & hoc debere latissimè pertinet: siue hoc eruditionis tuæ fœnus existimas: siue sine fœnore gloriam liberalitatis affectas: siue te pondere cōceptæ sponsionis exoneras: seu fideicommissum patris exoluis, seu magnanimitate, cælesti ostētatione suppressa, Dei munus imitaris.

8 Debere te dicis. Cui? quando? quo nomine? lege syngrapham. nomina, creditorem, accepti, & expensi tabulæ conferantur. Videbis alio summæ istius transire rationem. Tibi cœpit Deus debere pro nobis. Quid autē mihi debes, gratissime Imperator? Patitur enim humanitas tua, vt præter regias virtutes, priuata appellatione lauderis. Quid tu mihi debes? & contra, quid non ego tibi debeo? An ne quòd docui? hoc ego possum verius retorquere, dignum me habitum, qui docerem: tót facundia, doctrináque præstantes, inclinata

in

in me dignatione præteritos: vt esset, quem tu matura iam ætate subcinctum per omnes honorum gradus festinata bonitate proueheres: timere vt videreris, ne in me vita deficeret, dum tibi adhuc aliquid, quod deberes præstare, superesset. Negat Cicero consularis vltra se habere, quod cupiat. Ego autem iam consul, & senex, adhuc auiditatem meam iam fatebor. Te videre sæpius in hoc magistratu, Gratiane, desidero: vt & sex Valerij Coruini, & septem Caij Marii, & cognominis tui Augusti tredecim consulatus, vnus æquipares. Tibi plures potest ætas, & fortuna tua præstare: verum ego in numero parcior, quia tu in munere liberalior. ipsum enim te sæpius hoc honore defraudas, vt & aliis largiaris. Scis enim, Imperator doctissime. rursum enim vtar laude priuata. scis, inquam, septem ac decem Domitiani consulatus, quos ille, inuidia alteros prouehendi, continuando conseruit, ita in eius auiditate derisos: vt hoc eum pagina Fastorum suorum, immò fastidiorum fecerit insolentem, nec potuerit præstare felicem. Quòd si principi, honoris istius temperata, & quæ vocatur aurea, debet esse mediocritas, quid priuatis status hominibus? quid æquanimis? quid iam senibus erga se oportet esse moderaminis? Ego quidē, quòd ad honores meos perti-

9

net, & vota saturaui: tu tamen, Imperator optime, tu piissime, tu, quem non fatigat liberalitas, nisi quando cessauit: tu, inquam, indulgentissime Gratiane, vt ad benefaciendum subito es, nec opinus ingenio, adhuc aliquid quod hoc nomine mihi præstetur, inuenies. Sic intellexêre omnes, sic nobis ordinem ipse fecisti, sic amicus Deo es, vt à te iam impetratum sit, quod optatur ab aliquo: & quod nundum optamus, adipiscimur: & rursum aliquis adiiciet, aut sermone libere, aut cogitatione liberius. Nónne olim, & apud veteres multi eiusmodi doctores fuerunt; an tu solus præceptor Augusti? immo ego cum multis coniunctus officio, sed cum paucissi-
10 mis secretus exemplo. Nolo Constantini temporum, taxare collegas. Cæsares docebantur. superiora contingam. Diues Seneca, nec tamen consul, arguetur rectius, quàm prædicabitur, non erudiisse indolem Neronis, sed armasse sæuitiam. Quintilianus consularia per Clementem ornamenta sortitus, honestamenta nominis potius videtur, quàm insignia potestatis habuisse. Quomodo Titianus magister? sed gloriosius ille, municipalem scholam apud Visontionem Lugdunúmque variando, non ætate quidẽ, sed vtilitate consenuit. Vnica mihi amplectenda est Frontonis imitatio: quem tamẽ Augusti magistrum

gistrum sic consulatus ornauit, vt præfectura non cingeret. Sed consulatus ille cuiusmodi? ordinario suffectus, bimestri spatio interpositus, in sexta anni parte consumptus: quærendum vt reliquerit tantus orator, quibus consulibus gesserit consulatum. Ecce aliud quod aliquis opponat. in tanti ergo oratoris fastigium te gloriosus attollis? cui talia requirenti respondebo breuiter. Non ego me contendo Frontoni, sed Antonio præfero Gratianum. Celebrant quidem sollemnes istos dies omnes vbique vrbes, quæ sub legibus agunt, & Roma de more, & Constantinopolis de imitatione, Antiochia pro luxu, & Carthago discincta. & domus fulminis Alexandria: sed Treuiri principis beneficio: & mox cum ipso auctore beneficii loca inter se distant, vota consentiunt. Vnus in ore omnium Gratianus, potestate Imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgentia pater, ætate filius, pietate vtrunque superat. Non possum fidei causa ostendere imagines maiorum meorum, vt ait apud Salustium Marius: nec deductum ab Heroibus genus ad deorum stemma replicare: nec ignotas opes & patrimonia sparsa sub regnis: sed ea quæ nota sunt, dicere potius quàm prædicare, patriam non obscuram, familiam non pœnitendam, domum

11

innocentem, innocentiam non coactam angustas opes: veruntamen libris & liberis dilatatas: frugalitatem sine sordibus, ingenium liberale, animum non illiberalem, victum, vestitum, supellectilem, munda, non splendida. Veteribus vt illis consulibus excepta, quæ tum erat bellicarum collatione virtutum, si quis me conferre dignetur, seponat opulentiam non derogaturus industriam. Verum quoniam, gratiis agendis, iamdudum succumbo materiæ: tu orationi meæ, Gratiane, succede. Tu Gratiane, qui hoc nomen sic per fortunam adeptus es, vt nemo verius ambitione quæsierit. Neque enim iustius Metellus cognomento Pius patre reuocato, qui esset impius exulante: aut verius Silla Felix, qui felicior ante quàm vocaretur: quàm tu Gratiane: cui & hoc nomen est, & illa Metelli Sillæque cognomina. Tu inquam, Gratiane, qui hoc non singulis factis: sed perpetua grate agendi benignitate meruisti, cui nisi ab auo deductum esset, ab omnibus adderetur. Tu ipse tibi, inquam pro me gratiam refer: tu tuæque virtutes, bonitas, qua in omnes prolixus es, perpetuus in me: pietas, qua orbem tuum temperas, quáque in vlciscendo patruo probas, tuendo in fratre cumulas, ornando in præceptore multiplicas. Agat gratias clementia, quam

humano

humano generi impertis: liberalitas,qua ditas omnes: fortitudo, qua vincis: & mens ista aurea, quam de communi Deo plus quàm vllus,hausisti. Agant & pro me gratias voces omnium Galliarum: quarum præfecto hanc honorificentiam detulisti. Vltra progredior:& hoc quia debere te dicis,agat quæ optime agere potest, vox ista, quam docui. Iamdudum autem quàm grati animi,tam sermonis exigui, vt supra dictum est, succumbo materiæ:neque adhuc illa perstrinxit,quæ ne infantissimus quidem,nisi idem impiissimus,eminentia per famam,& omnium gaudiis testata supprimeret: quæ supra vires dicendi meas posita, cunctor attingere, aut ingrati crimine arguendus,aut temerarii professione culpandus: tamen alterum quum subeundum sit audaciam, quàm maliuolentiam malo reprehendi. Tu Auguste venerabilis, districtus maximo bello, assultantibus tot millibus barbarorum, quibus Danubij ora prætexitur, comitia consulatus mei armatus exerces. Tributa ista quod in vrbe Sirmio geruntur,an vt quòd in procinctu, centuriata dicentur: an vt quondam, pontificalia vocabuntur, sine arbitrio multudinis,sacerdotum tractata collegio? Sic potius, sic vocentur, quæ tu pontifex maximus,Deo participatus habuisti. Non est ingenii mei,

piiſsime Imperator talia comminiſci. verba ſunt literarum tuarum: quibus apud me auctoritatem ſummi numinis, & vt tuæ voluntatis amplificas. ſic enim loqueris. CVM DE CONSVLIBVS IN ANNVM CREANDIS SOLVS MECVM VOLVTAREM, VT ME NOSTI, ATQVE VT FACERE DEBVI, VT VELLE TE SCIVI, CONSILIVM MEVM AD DEVM RETVLI. EIVS AVCTORITATI OBSECVTVS, TE CONSVLEM DESIGNAVI, ET DECLARAVI, ET PRIOREM NVNCVPAVI. Cuius orationis ordo lucidior? quæ doctrina tam diligens propriis comitiorum verbis loqui, nec vocabulis moris antiqui nomina peregrina miſcere? Valete modo claſſes populi, & vrbanarum tribuum prærogatiuæ, & centuriæ iure vocatæ. Quæ comitia pleniora vnquam fuerunt, quàm quibus præſtitit Deus conſilium, imperator obſequium? Et nunc ego, piiſsime Imperator, ne faſtigium auditorii ſacri dictorum tuorum timidus interpres offendam, diuinitatis tuæ prope cum piaculo verba tràſcurro. QVVM DE CONSVLIBVS inquis, IN ANNVM CREANDIS? Erudita vox. Et quum SOLVS MECVM VOLVTAREM: O profundi altitudo ſecreti: habes ergo conſiliatorem,

14

& non

& non metuis proditorem. VT ME NOSTI, VT FACERE DEBVI, VT VELLE TE SCIVI. Quid familiarius? quid constantius? quid dici blandius potest? CONSILIVM MEVM AD DEVM RETVLI. & quemadmodum SOLVS: cui pręsto est tam grande consilium? an plenius, cum senatu, cum equestri ordine, cum plebe Romana, cum exercitu tuo, & prouinciis omnibus deliberasses? CONSILIVM MEVM AD DEVM RETVLI. Non vt credo: nouum sumeres, sed vt sanctius fieret, quod volebas, eius auctoritati obsecutus scilicet: vt in consecrando patre, in vlciscendo patruo in cooptando fratre fecisti, TE CONSVLEM DESIGNAVI, ET DECLARAVI, ET PRIOREM NVNCVPAVI. Quis hæc verba te docuit? ego tam propria & tam Latina nesciui. DESIGNAVI ET DECLARAVI, ET NVNCVPAVI. Non fit hoc temerè. habet moras suas dispertitis gradibus tam matura cunctatio. Has ego literas tuas, si in omnibus pilis, atque porticibus, vnde de plano legi possint, instar edicti pendêre mandauero: nónne tot statuis honorabor, quot fuerint paginę libellorum? Sed ad blandiora festino. Ab hac enim literarum ad me datarum parte digressus, eo quoque descendisti: vt quęreres, 15

qualis ad me trabea mitteretur. Omne largitionum tuarum ministerium sollicitudine fatigasti. Non ergo supra consulatum mihi est adhibita per te cura tam diligens, pro me cura tam felix. In Illyrico arma quatiuntur. Tu mea causa per Gallias ciuilium decorum indumenta dispensas. Loricatus de toga mea tractas. In procinctu, & maxime dimicaturus, palmatæ vestis meæ ornamenta disponis, feliciter & bono omine. Nanque iste habitus, vt in pace consulis est, sic in victoria, triumphantis. Parum est, si qualis ad me trabea mittatur, interroges, te coram promi iubes. Nec satis habes, vt largitionum ministri ex more fungantur: eligis ipse de multis: & quum elegeris, munera tua verborũ honore prosequeris. PALMATAM, inquis, TIBI MISI: IN QVA DIVVS CONSTANTIVS PARENS NOSTER INTEXTVS EST. Me beatum, cuius insignibus talis cura præstetur. Hæc plane, hæc est picta, vt dicitur, vestis, non magis auro suo: quàm tuis verbis. Sed multò plura sunt in eius ornatu, quæ per te instructus intelligo. Geminum quippe in vno habitu, radiat nomen Augusti. Constantius in argumento vestis intexitur: Gratianus in mune-
16 ris honore sentitur. Accessit tam impenso beneficio tuo pondus, quorundam sciscitatione

ne cumulatum. Interrogatus, quem priorem decerneres consulem, nec dubitandum esse dixisti tu: & qui tecum boni sunt, dubitare non poterant. Sed tamen ad hoc dictum erexerant animos, qui libenter clarissimum virum collegam meum, quem præsentem habebat occasio, prælatum credidissent. Fatigantes tamen, quod intellexerant, requirebant. Hic tu sicut mihi renunciatum est, noto illo pudore tuo paulisper hæsisti: non rationis ambiguus, sed eorum dubitationem vultu, & rubore condemnans, qui studium tuum interpretationis errore palpabant. Deinde illico subdidisti. QVID DE DVOBVS CONSVLIBVS DESIGNATIS QVAERITIS, QVIS ORDO SIT NVNCVPATIONIS? ANNE ALIVM QVAM QVEM PRAEFECTVRA CONSTITVIT? O felicem verecundiam tuam, cui ista popularis ratio tam prudenter occurrit. Scisti aliud Gratiane quàm diceres: sed propter quorundam verecundiam dicere noluisti. Scrupulosus hic mihi locus est: & propter eam, quam nunquam appetiui, gloriam recusandus. cum prior renunciatus sim, satis est tuum tenere iudicium. Interpretes valete meritorum. Neque autem ego, sacratissime Imperator, in tenui beneficio gradum nuncupationis amplector. Num est

hæc gloria ignota Ciceroni? Prætorem me inquit, populus Romanus primum fecit consulem priorem. Ex ipsa eius sententia intelligitur commendabilius ei videri vni, quàm pluribus esse præpositum. Nulla enim est quidem contumelia secundi: sed ex duobus gloria magna prælati. Alexandri Macedonis hoc fertur, quum legisset illos Homericos versus, quibus Hectore prouocante è nouem ducibus, qui omnes pugnare cupiebant, vnum deligi placeret sortis euentu, trepida vbi conceptione votorum Iouem Optimum Maximum totus precatur exercitus: vt Aiacem, vel Tydei filium, aut ipsum regem ditium Mycenarum sortiri patiatur Agamemnonem, Occiderem, inquit, illum qui me tertium nominasset. O magnanimitatem fortissimi viri, nominari inter nouem tertius recusabat, vbi certè pluribus antecelleret, quàm subesset. Quanta hic verecundia grauaretur posterior de duobus? Est enim in hoc numero arduæ plena dignationis electio. Quum vniuersis mortalibus duo qui fiant consules præferuntur, qui alteri præponitur, non vni, sed omnibus antefertur. Expectare nunc aures præsentium scio, & eminere in omnium vultu intelligo: quod desiderio concipiatur animorum. Existimant enim quum ea, quæ ad grates agendas pertinebant,

tinebant, summatim tenuiore filo, vt dicitur, deducta libauerim, aliqua me etiam de maiestatis tuæ laudibus debere perstringere. Quanquam me istam dixerim seposuisse materiam, & in tempus aliud reseruare: nihilominus tamen vt nunc aliqua contingam, nutu & prope murmure cohortantur. Itaque faciam: quando cogunt volentem, sed maioribus separatis, tenuiora memorabo nulla spe ad plenum exequendi: sed vniuersi vt intelligant, eorum, quæ intus prædicanda sunt, à me poscendam esse notitiam, ab aliis dignitatem. Nec excellentia, sed quotidiana tractabo. Nullum te vnquam diem ab adolescentia tua, nisi adorato Dei numine, & reus voti, & illico absolutus, egisti lautis manibus, mente pura: immaculabili conscientia, & quod in paucis est, cogitatione sincera. Cuius autem vnquam egressus auspicacior fuit, aut incessus modestior, aut habitudo cohibitior, aut familiaris habitus condecentior, aut militaris accinctior? in exercendo corpore, quis cursum tam perniciter incitauit? quis palæstram tam lubricus expediuit? quis saltum in tam sublime collegit? Nemo abductius iacula contorsit. nemo spicula crebrius iecit: aut certius destinata percussit. Mirabamur poeticã, qui infrenos dixerat Numidas: & alterum, qui ita collegerat, vt di- 18

ceret in equitando verbera, & præcepta esse fugæ, & præcepta sistendi. Obscurum hoc nobis legentibus erat. intelleximus te videntes, quum idem arcum intenderes, & habenas remitteres: aut equum segnius euntem verbere concitares, vel eodem verbere intemperantiam coerceres. Qui te visi sunt hoc docuisse, non faciunt: immò qui visi sunt docuisse, nunc discunt. In cibis autem, cuius sacerdotis abstinentior cerimonia? in vino, cuius senis mensa frugalior? Operto conclauis tui, non sanctior ara vestalis, non Pontificis cubile castius: nec puluinar flaminis tam pudicum. In officiis amicorum non dico paria reddi: antéuenis. & quoties in obsequendo præcedimus, erubescis pudore tam obnoxio, quàm in nobis esse de-
19 beret ab Imperatore præuentis. In illa verò sede, vt ex more loquimur, consistorii, vt ego sentio, sacrarij tui, nullus vnquam superiorum aut dicenda pensius cogitauit, aut consultius cogitata disposuit, aut disposita maturius expediuit. Et aliqua de oratoriis virtutibus tuis dicerem, nisi vererer mihi gratificari. Non enim Sulpitius acrior in concionibus, nec maioris Gracchi commendabilior modestia fuit, nec patris grauior auctoritas. Qui tenor vocis, quum incitata pronuncias? quæ inflexio quum remissa? quæ

tempe-

temperatio, quum vtraque dispensas? Quis oratorum læta iucundius, facunda cultius, pugnantia densius, densata glomeratius, aut dixit, aut, quod est liberum, cogitauit? Vellem, si rerum natura pateretur, Xenophon Attice, in æuum nostrum venires, tu qui ad Cyri virtutes exequendas votum potius quã historiam commodasti: quum diceres, non qualis esset, sed qualis esse deberet. Si nunc in tempora ista procederes, in nostro Gratiano cerneres, quod in Cyro tuo non videras, sed optabas. Atque ista omnia quasi punctis quibusdam acuminata signaui. si facundia pro voluntate suppeteret, quanquam non copiosus, exequerer, vbertatem stilo rerum magnitudine suggerente. Sed nec huius diei, nec huius ista materiæ. Qui dicturi 20 estis laudes principis nostri, habetis velut seminarium vnde orationum vestrarum iugera compleatis. Ego ista perstrinxi: atque, vt sciunt omnes, possum videri familiaris notitiæ secretus interpres, domestica isthæc, non tam prædicare, quàm prodere. Atque vt ista dixi de cognitis mihi, atque intra aulam familiarib. possem & foris celebrata memorare: nisi omnia omnes, & separatim sibi quisq. nouisset. Possem pari breuitate dicere superiora. EMENDATISSIMI VIRI EST POENITENDA NON FACERE. at tu nũquã

pœnitenda fecisti: & semper veniam pœnitentibus obtulisti. PVLCHRVM EST INDVLGERE TIMENTIBVS. sed tu perpetuæ bonitatis edicti occurristi omnibus, ne timerent. MAGNIFICVM LARGIRI HONORES. tu honoratos & liberalitate ditasti. LAVDABILE EST IMPERATOREM FACILES INTERPELLANTIBVS PRAEBERE ADITVS, NEC DE OCCVPATIONE CAVSARI. tu confirmas, adire cunctantes, etiam querimoniis explicatis, ne quid adhuc sileatur, interrogas. Celebre fuit Titi Cæsaris dictum, PERDIDISSE SE DIEM, QVO NIHIL BONI FECERAT. sed celebre fuit: quia Vespasiani successor dixerat: cuius nimia parsimonia, & austeritas vix ferē-
21 da, miram fecerat filij lenitatem. Tu Valentiniano genitus, cuius alta bonitas, præsens comitas, temperata seueritas fuit, parto & condito optimè reipublicæ statu intelligis posse te esse lenissimum sine dispendio disciplinæ. Neque verò vnum aliquod bonum vno die præstas: sed indulgentias sæculare, per singula horarum momenta multiplicas. Vel illud vnum cuiusmodi est, de condonatis residuis tributorum? quod tu quam cumulata bonitate fecisti? Quis vnquam imperatorum hoc prouinciis suis aut vberiore te indul-

gentia

gentia dedit, aut certiore ſecuritate proſpexit, aut prudentia conſultiore muniuit? Fecerat & Traianus olim: ſed partibus retentis, non habebat tantam oblectationem conceſſi debiti portio, quanta ſuberat amaritudo ſeruati. Et Antoninus indulſerat: ſed imperij, non beneficij ſucceſſor inuidit, qui ex documentis tabuliſque populi condonata repetiuit. Tu argumenta omnia flagitandi, publicitus ardere iuſſiſti. Videre in ſuis quæque foris omnes ciuitates conflagrationem ſalubris incendij. Ardebant ſtirpes fraudum veterum: ardebant ſeminaria futurarum. Iam ſe cum puluere fauilla miſcuerat: iam nubibus fumus inuoluerat, & adhuc obnoxij in paginis concrematis ductus apicum, & ſeſtertiorum notas cum iuuantia de ratione cernebant: quod meminerant ** legi poſſe, & veteres. Quid te Imperator Auguſte, indulgentius? quid poteſt eſſe conſultius? Quæ 22 bona præſtas, efficis ne caduca ſint: quæ mala adimis, proſpicis, ne poſſint eſſe recidiua. Hæc prouincialibus indulgentiæ bona. Quid illa noſtro ordini? quid illa militibus Antoninorum comitas fuit? & iam inde Germanicorum cohorti amicorum, & legionibus familiaris humanitas? Sed ego nolo beneuolentiam tuam aliorum collatione præcellere. Abundant in te ea bonitatis & virtu-

ris exempla, quæ sequi cupiat ventura posteritas: & si rerum natura pateretur, adscribi sibi voluisset antiquitas. Necesse est tamen aliquid comparari, vt possit intelligi, bona nostra quo præstent. AEgrotantes amicos Traianus visere solebat: hactenus in eo comitas prædicanda est. Tu & visere solitus, & mederi. præbes ministros, instruis cibos, fomenta dispensas, sumptum adiicis medelarum, consolaris affectos, reualescentibus gratularis. In quot vias de vna eius humanitate progrederis? Legionibus vniuersis, vt in communi marte euenit, si quid aduersi acciderat, vidi te circumire tentoria: satin' saluæ, quærere, tractare vulnera sauciorum: & vt salutiferæ apponerentur medelæ, atque vt non cessaretur, instare. Vidi quosdam fastidientes cibum, te commendante sumpsisse. Audiui confirmantia ad salutem verba profari, occurrere desiderii singulorum. Huius sarcinas, multis aulicis vehere: his specialia iumenta præbere: illis ministeria perditorum instaurare lixarum: aliorum egestatem tolerare sumptu: horum nuditatem velare vestitu. Omnia agere indefesse, & benigne, pietate maxima, ostentatione nulla: omnia præbere ægris, nihil exprobrare sanatis. Inde cunctis salute nostra carior factus, meruisti, vt haberes amicos obnoxios, promptos, deuotos, fideles. in

æuum

æuum omne manſuros : quales caritas non fortuna conciliat. Concludam deinceps orationem meam, piiſſime Auguſte, ſermonis magis fine, quàm gratiæ: nanque illa perpetua eſt: & ſpatio non tranſmeabili, terminum calcis ignorat. Flexu tamen paruo, nec à te procul, cõuertar ad Deum. AEterne omnium genitor, ipſe non genite opifex. & cauſa mundi, principio antiquior, fine diuturnior, qui templa tibi, & aras penetralibus initiatorum mentibus condidiſti: tu Gratiano humanarum rerum domino, eiuſmodi ſemina noſtri amoris inoleſti, vt nihil in digreſſu ſegnior factus, meminiſſet & relicti: illuſtraret abſentem, præſentibus anteferret. Dein quia intereſſe primordiis dignitatis per locorum interualla non poterat: ad ſolennitatem condendi honoris occurreret beneficiis: ne deeſſet officium. Quæ enim memoria, memoria inquam, tranſcurſum tantæ celeritatis, vel in audacibus Græcorum fabulis, commenta eſt? Pegaſus volucer actus à Lycia, non vltra Ciliciam permeauit. Cyllarus atque Arion inter Argos Nemeámque ſenuerunt. Ipſi Caſtorum equi, quod longiſſimum intereſt, non niſi mutato vectore, tranſcurrunt. Tu Gratiane, tot Romani imperij limites, tot flumina, & lacus, tot veterum interſepta regnorum, abuſque Thracia, per totum, quàm lon- 24

gus est, locum Illyrici, Venetiam, Liguriámque, & Galliam veterem, insuperabilia Retiæ, Reni accolas. Sequanorum inuia, porrecta Germaniæ, celeriore transcursu, quàm est properatio nostri sermonis, euoluis: nulla requie otij, ne somni quidem, aut cibi, munere liberali, vt Gallias tuas inopinatus illustres: vt consulem tuum quamuis desideratus, anticipes: vt illam ipsam, quæ auras præcedere solet, famam, facias tardiorem. Hoc senectuti 25 meæ, hoc honori à te datum. Supremus ille Imperij, & consiliorũ tuorum Deus conscius, & arbiter, & auctor, indulsit: vt sellam curulẽ, cuius sedem frequenter ornabis: vt prętextam meam purpuræ tuæ luce fucatam: vt trabeam non magis auro suo, quàm munere tuo splẽdidam, quæ ab Illyrico sermonis dignitas honestauit, apud Gallias illustriora pręstares: quęstorem vt tuum, præfectum vt tuo prætorio, consulẽ tuum: & quod adhuc cunctis meis nominibus anteponis, præceptorem tuũ, quem pia voce declaraueras, iusta ratione prætuleras, liberali largitate ditaueras, Augustæ dignationis officiis consecrares.

APVD GRATIANVM AVGVSTVM.

AVSONII BVRDIGALENSIS PERIOCHAE IN HOMERI ILIADEM & ODYSSEAM.

In Iliadem.

SI Homerum ſcriptorem Troici belli eatenus, qua Iliadem ſuam incipit, quáque finit, percenſeamus, orſum ab iracundia Achillis ad ſepulturam Hectoris, quatuor & viginti libros contexuiſſe monſtrabimus. Hæc eius ſpecies apparet ſummam cutem primi operis intuenti. Verum hoc ſcripturæ ipſius tempus Troiano bello non totum, ſed pæne vltimum fuit. Nam ſi ratio putanda eſt oppugnationis decennis: nonus fere annus, idémque prope finem ſui, ea negotia continebit: quæ ab iniuria Agamemnonis, ac Briſeidis vſurpatione, vſque ad funus Hectoris, digna memoratu erunt. illa temporũ ſeries, quæ ab eiuſdem belli cauſis, atque origine pertinet ad vrbis excidium. Atque ex eo eueniet, vt ignaris iudicandi, & poeticæ œconomiæ expertibus,

multa nobilia ab exordio belli vsq; ad Achillis iurgiũ omissa videantur. Nec minus multa ab Hectoris funere ad vsque deletũ Ilium. Quorum quidem maxima expectatio erat, propter tam longi certaminis consummationem. Sed vt diuinum poëtam nihil, quod illustre fuerit, omisisse appareat: atque omnia, quæ finiri oportuit, contigisse: breuiter & in epitomæ speciem, belli Troici causam originis, apparatúsque, quæ annis superioribus acciderunt, retexuimus. Horum omnium prima origo est Paridis iudicium inter deas. denique classis contextio: qua idem Paris in Europam nauigauit. Tum raptio Helenæ: quæ opinione veterum bipertita est: quòd pleriq; Helenam iuxta Homericum plasma ad Troiam deportatam fuisse existimauerunt: nonnulli autem opinati sunt, quum Alexander cursu deerrasset, delatúsque ad AEgyptum fuisset, cognita hospitalis fœderis iniuria, per AEgyptium regem seruantissimum iusti virum, Helenam cum iis, quæ vna cum eadem fuerant abrepta, Paridi sublatam, expugnatóq; demum Ilio Menelao restitutam.

Periocha libri primi Iliados.

Iram diua refer nati Peleos Achillei
Pestiferam: quæ mille dedit discrimina Achiuis.

Chryses Apollinis sacerdos ob redimendam filiam quum Agamemnoni supplicasset

contu-

contumeliose repulsus, Deum precatur vltorem. Insecuta subinde graui pestilentia, quum Græcorum exercitus interiret: cogit Achilles concilium: & ab eodem inuitus Calchas morbi causam compellitur indicare. Qua cognita Agamemnon cõcitatur in Achillem: qui percitus iracundia, etiam cædem regis audebat: nisi eum in vltimum furorem progredi Minerua vetuisset. A quo Briseis concubina in locum Chryseidis, quæ patri reddebatur, abducta est. Inde Thetis mater ad cælum, lachrymas & contumeliam filij miserata, proficiscitur. Quæ fiducia defensi quondam cum AEgeone Iouis, vltum iri affectans iniuriam, obtestatur summum deorum: vt Troianos in rebus belli superiores esse patiatur. Quibus Iuno compertis, iracundè aduersum coniugem commouetur. Sed gliscens iurgium per deridiculum, ministrante Vulcano, simul consilij specie intercedente, lenitur.

Periocha secundi Iliados.

Cælestes hominúmque genus superabile curis,
Tranquilla obscuri carpebant munera somni.
At non peruigilem nox irrequieta tonantem
Lenijt, immodicos voluentem corde paratus,
Cædibus vt Graiûm, læsum vlciscatur Achillem.

Iupiter Agamemnonẽ somno monet prœlij faciendi tempus adesse: ne cunctetur di-

micare. Tum ille in cõcilium proceribus aduocatis, mandatum Iouis, & speciem nocturnæ quietis explanat. Mox in concione, multitudine congregata, pertentat militum voluntatem: vtque deposito bello ad sua quique redeant, cohortatur. Iámque omnibus nauigationem adornantibus, fœda discessio ab Vlixe cohibetur: à quo etiam Thersites deformis, & loquax, in Heroum contumelias, verborum licentia, promptus, cum acerba obiurgatione pulsatur: ipse Mineruæ monitu cunctos à profectione deterret. Sumpto deinde cibo, armatur exercitus. Neque secius à Troianis instructa acies, Iride ita monente, producitur. Sequitur enumeratio copiarum viritim: vt per catalogi seriem milites, naues, duces, patriæ, referantur.

Periocha tertij Iliados.

Argiuos sua quosque acies in bella sequuntur.
Dispositi in turmas equitum cuneósque pedestres,
Turbida clangentes confundunt agmina Troës.

Instructum prœlio exercitum, priusquam feriret acie, Priamus spectat è muris: & monstratu Helenæ, de viris insignibus edocetur. Dehinc Menelaus ad singulare certamen ab Alexãdro prouocatur. Qui frustra, Agamemnone dehortante congreditur facta inter vtrósque populos sponsione, & fœdere per sa-

cra

cra firmato sub ea conditione, vt victorem Helena cum dote sequeretur. Sed superatus Paris, regressúsque ad vrbem, iurgio vxoris excipitur. Ab Agamemnone fœderis pacta repetuntur.

Periocha quarti Iliados.

Iuppiter interea cum Dijs genitalibus vnà
Concilium cogit superum, de rebus Achiuis.

Ioui placet delere Troiam: ad quod pertinacia Iunonis vrgetur. Quúmque id fieri Minerua properaret, dissidium fœderis comminiscitur: & Pandarum sagittandi peritum, astu suadentis aggreditur: vt clam vulnerato Menelao, belli causa crudescat. Quo facto à Græcis prœlium instauratur: congressísque exercitibus mutua clade decernitur.

Periocha quinti Iliados.

Hic & Tytidem monitum Tritonia Pallas
Audaci virtute replet. vomit aurea flammas
Caßis: & vndantem clipeus defulgurat ignem.
Ipse autumnali clarum micat æmulus astro.

Diomédes auxilio Mineruæ strennè prœliatur. Venus quoque filio subuenire conata, vulnere affecta, digreditur. Mars etiam fit saucius, excedítque bello. Sequitur Tlepolemi, Sarpedonísque cõgressio. & Tlepolemus Herculis filius certamine victus occiditur.

Periocha ſexti Iliados.

Solæ decertant acies ſine numine diuûm.
Ceſſante auxilio,ſua cuique exorſa laborem,
Fortunámque ferunt,proprij diſcrimine fati.

Troianis fortuna inclinatiore pugnantibus, vates Helenus ſuadet, vt Minerua placetur. Igitur Hecuba ab Hectore monita,vt peplum in arcem inferat, peragit vota cum matribus. Alexander obiurgatus à fratre pergit in prœlium. Glaucus Lycius,Ætolúſque Diomédes congreſſi vt dimicarent:quum iam certamen oriretur,paterna inter ſe hoſpitia recordati,facta armorum permutatione,diſcedunt.

Periocha ſeptimi Iliados.

Hæc vbi dicta dedit,portis ſeſe extulit Hector.

Mineruæ,Apollinîſq; conſenſu fortiſſimus Græcorum ab Hectore prouocatur. Nouem ducibus ad dimicandum paratis,pugnaturum deligi placet ſortis euentu. Ab Aiace Telamonio prœlium ſingulare conſeritur. In quo Hector lapide ictus,in ſuorum ſe recepit multitudinem. Perſeuerante certamine caduceator Idæus interuenit. Tum inuicem miſſis muneribus pugna ſedatur. Hector Aiacem gladio,Aiax Hectorem balteo muneratur.interceſſu noctis exercitus quique in ſua diſcedunt.Die altero,interfectorum humatio procuratur.

curatur, Græcorum etiam naualia, fossa ac vallo circundata, muniuntur.

Periocha octaui Iliados.

Aurora in croceis fulgebat lutea bigis.

Acto deorum concilio, Iupiter pro parte pronunciat, sua quisque exercitus sorte decernat. Nullus deorum odio in alteros vel fauore procedat. In Idam montem ipse digressus. vnde Græci immisso terrore conterriti, turpi fuga ad munimenta compulsi, fossa & aggeribus sese tuentur. Iunonem, ac Mineruam Græcis auxiliari volentes, monitis Iouis Iris exterret: diremptóque ob noctẽ certamine, victores Troiani in ipso prœlij loco excubias obsidionis instituunt. Multísque ignibus factis per totam noctem de belli ratione consultant.

Periocha noni Iliados.

Interea vigilum excubijs cohibentur Achiui.

Græcis & præterita dimicatione perculsis, & instante conterritis, proceres ab Agamemnone conuocantur. Quibus rex fugæ consilia, & apparatum ordinandæ per noctem nauigationis indicit, Diomede, & Nestore dehortantibus. suadente autem Nestore Aiax, & Vlixes legantur ad Achillem dona ingentia pollicentes: si desistat irasci: & se auxiliatorem fessis rebus accommodet. Sed

Achille in iracundia pertinaciter permanente, legati Achiuorum, re non impetrata, irriti reuertuntur.

Periocha decimi Iliados.

Cætera per naues somno sopita manebat
Turba ducum. solum cura anxia vexat Atriden.

Vlixes & Diomédes speculatū nocte progreſſi, Dolonem conſpicantur: qui & ipſe promiſſis Hectoris incitatus, Græcorum conſilii exploratum prodierat: & fateri vniuerſa conpulſum, eodem loco interſiciunt. A quo de aduentu Rhœſi Thracum regis edocti, ipſum etiam cum duodecim obtruncant. Equóſque eius præmium ſimul & teſtimonium graſſationis abducunt, inſignes candore & celeritate, vt & niuibus, & ventis antecederent.

Periocha vndecimi Iliados.

Tithoni croceum linquens aurora cubile
Spargebat terras, referens opera, atque labores.

Ab omnibus Græcis egregiè quidem, ſed improſperè dimicatur. Quorum proceribus vulneratis, incognitæ multitudini pugna committitur. Qua afflictione fortunæ Achilles pauliſper inflexus, Patroclum mittit præſentia cogniturum. Qui quum aduerſi ſtatus nuntius reuerteretur, Eurypylum contemplatur

platur ægrum ex vulnere, fomentísque medicæ artis admotis redintegrat sanitati.

Periocha duodecimi Iliados.

Actorides fouet Eurypylum dum vulnere fessum.

Res (seu partes) dubiæ apud Græcos, vel potius afflictæ vltimæ fortunæ statu aguntur, præstātibus procerum vulneratis, cætero exercitu fugato, aut formidine perculso. Troiani naualium munimenta rescindunt: vallúmque transgressi, auguriis iuuantur ex euentu ambiguis. Itaque & pars muri ab Sarpedone conuellitur: & ab Hectore ictu lapidis porta discutitur, & in ipsis naualibus pugna conseritur.

Periocha XIII. Iliados.

Iuppiter admouit Troas, atque Hectora classi.

Neptunus miseratione commotus, Argiuorum tuendis nauibus auxiliator accedit: & vsurpata vatis effigie, Aiaces duos in prœlium cohortatur: nec minus cæteram multitudinem præsentia maiestatis instigat. Idomeneus egregio certamine eminet, Troiani iam referentes gradum, firmati rursum per Hectorem, contrahuntur, & ingenti clamore vtrinque certatur.

Periocha XIIII. Iliados.

Concußit, quamuis potantem, Nestora clamor,
Attonitásque aures pepulit grauitate tumultus.

Iuno vinculum Veneris, cui Cesto nomen est, mutuata , ad Iouem pergit in secessum mõtis Idæ:exhortatóque Somno, vt eum cõmitteret in soporem:dehinc vigilias eius,vxoriis labefactat illecebris. Cuius ignoratione Neptunus abutitur:fortunámque Græcorum promptius auxiliando restituit , Aiace Locro vltra cæteros prœliante.

Periocha XV. Iliados.

Iam vallum fossámque super Troiana iuuentus
Insliterat captæ min itans incendia classis.

Iuppiter somno expergitus , videt statum certaminis innouatum , pellíque Troianos, Græcis opem ferente Neptuno. Itaque asperè Iunone increpata , & minaciter per Iridem conterrito fratre, iubet auxiliatorem desistere. ipse Apollinem, recreando allegat Hectori: monétque pro Phrygibus, belli instaurare fortunam. Tum & Aiax Telamonius strenuè prœliatur:& ab eodem plurimis hostium interfectis,conflagratio classis arcetur.

Periocha XVI. Iliados.

Dum face,dum ferro celsam oppugnare carinam
Troes,& Argolici pergunt defendere reges:

Achilles Græcorum statum iam sub extrema sorte miseratur. Armis suis Patroclũ permittit armari. Qui cum Myrmidonum produxisset

duxisset exercitum, cōsternatósque Troianos Achillis specie fefellisset, ruentes supra vallum & inuicem officientes, cæco pauore vsque ad campi aperta compellit. Deinde congressus Sarpedonem perimit, multísque hostium cęsis, ipse ab Hectore interficitur, prius ab Euphorbo vulneratus.

Periocha XVII. Iliados.

Actoridem cæsum nec te Menelaë fefellit.

Circa interemptum Patroclum pugna contrahitur. Cum in diuersa exercitus contenderent: Græci, vt corpus defenderent: Troiani, vt ad ludibrium cadauer eriperent: à Menelao Euphorbus occiditur: & ad ostentationem gloriosi facinoris Achillis exuuiis Hector armatur. Antilochus ad Achillem, nuntius cladis acceptæ, Menelao instante, festinat. Qui & ipse postea cum Merione intra naualium munimenta se recipit: quum tota moles belli Aiacibus ingruisset.

Periocha XVIII. Iliados.

Dum furit in medio belli vis ignea Martis.

Achilles in miserabilem modum Patrocli deflet interitum. quem vi doloris affectum consonantibus verbis mater alloquitur. Nec inultum amicum fore pollicens, perlaturam sese Vulcani arma promittit. Interea & Iris

ab Iunone dimittitur. cuius instantia Achilles extra vallum quanquam inermis egreditur: conterritísque Troianis super alios aliis præcipitantibus, latè fuga, & latiùs formido porrigitur. Eodémque tempore & Vulcanus exhortatus à Thetide, tota nocte, quàm longa est, cælestia in gratiam Nymphæ arma molitur.

Periocha XIX. Iliados.

Oceanum interea surgens aurora reliquit.

Achilles armis cælestibus ope Vulcani, & munere matris instruitur. Dein Græcorum primoribus in concilium vocatis, iracundiam sua abolitione deponit, & promissis ab rege muneribus, coram concione ditatur. Tum militibus cibum capere iussis, ipse abstinet. infesto deinde atque intento exercitu pergit in prœlium.

Periocha XX. Iliados.

Iámque adeo celsis armati è nauibus ibant
Millia quæ magnis vnquam venêre Mycenis.

At integris amborum copiis inter vtrosque exercitus pugna conseritur. Dein permissu Iouis, in partes deorum studia diuiduntur. Quum pro Græcis Iuno & Minerua decertarent: neque secius eos Neptunus & Mercurius & Vulcanus assererẽt: Troianos Apollo cum

lo cum Venere, & Diana cum matre: Mars etiam, & cum eis Scamander, adiuuarent: tum Aeneam, diis, & viribus iniquis cum Achille congressum, quanquam studens Graecis, nube circundatum Neptunus eripuit.

Periocha XXI. Iliados.

Intulerat fluuio trepidas fuga faeda cateruas.

Troianis vsque ad Scamandri fluminis alueum fuga & terrore compulsis, quum iam longius abeundi spatium non pateret: in ipso amne, quum flumen exundat, ibi ab Achille duodecim Troianorum iuuenum vinciuntur: qui Patrocli inferiis immolarentur. Ipse Vulcanus ardoribus suis vim torrentis exurit. Tum in campum Achille progresso passim studia deorum pro sua singulari parte depugnant. Troianorum exercitus instante victore in moenia vrbis impingitur.

Periocha XXII. Iliados.

Pulsa metu Phrygios lustrabant agmina muros.

Hector singulari certamine cum Achille cõgreditur, Priamo atque Hecuba, ne pugnaret, orantibus. Minerua ecõtrario specie Deiphobi, vt dimicet adhortante. Hector interfectus: & religatus ad currum, ter circũ moenia Troiana raptatur: deinde lacerũ corpus defertur ad naues, vltione Patrocli, & victoris ira-

cundia,ad vlteriora ſupplicia reſeruandum.

Periocha XXIII. Iliados.

Troia vacat lachrymis, ludis Argiua iuuentus.

Funebres ludi in honorem Patrocli frequentantur. Quibus Diomedes equis ſuperat, lucta & curſu Vlixes, alióſque alij genere certationis anteſtant.

Periocha XXIIII. Iliados.

Quiſque ſuas repetunt miſſo certamine naues.

Iuppiter Thetidem mittit ad filium cum mandatis eiuſmodi : vt in defunctum ſæuire deſiſtat, fatáque hominum in exanimo hoſte vereatur , ad ſepulturam corpore reſtituto. Eiuſdem iuſſu & Iris cohortatur Priamum: vt auro filium rependat exanimum. Qui Mercurio duce inter nocturnas hoſtium profectus excubias, Achilli ſupplex aduoluitur: redemptúmque filium iuſtitio publico , & deflet, & ſepelit.

Periocha primi libri Odyſſeæ.

Dic mihi muſa virum captæ poſt tempora Troiæ,
Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.

Minerua in Ithacam, Ioue ita volente, deſcendit: *Mentoríſque Taphiorũ ducis ſumit effigiem , ſuaſura Telemacho , vt ad Neſto-

rem

rem Menelaúmque festinet: qui recens domum regressi, certi aliquid de Vlixe nouissent. Tunc Phemius citharista adhibitus conuiuio procorum, inchoat flebilem cantilenam nauigationis improsperæ: quæ profectos ab Ilio Græcos diuersis sparsit exiliis, [illegible]em Penelope degressa, Chalcidico argu[illegible]nto tam miserabilis offensa materiæ, vt [illegible]concinat, adhortatur. *al. *Mentisq;* vt inf.

Periocha II. Odysseæ.

Oceano extulerat roseos aurora iugales.

Telemachus Ithacesios proceres cogit ad curiam: atque ibidem de contumelia domus, & bonorum profligatione conquestus, consilia profectionis exponit, Antinoo resistente: qui eum priusquam mater nuberet, abire prohibebat. Qua altercatione diu protracta concilium dissolutum est. Telemachus ad littus procis ignorantibus pergit. Astantem sibi adorans Mineruam, peregrinationi accommoda parat, hortante maximè dea: quæ populum, ipsúmque Telemachum *Mentis simulatione fallebat. Instructo ergo remigio, & naue deducta, Telemachus, & Minerua de portu vespere instante soluerunt.

Periocha III. Odysseæ.

Iam Sol Oceano radiatos prompserat ortus.

Telemachus Nestorem de patre percontatus, nihil noui accipit ab ignorante: verùm idem senex sequenti die cum Pisistrato filio, vt ad Menelaum pergat, hortatur. nec mora facta consilio. Nocte quippe ea, quæ consecuta est, apud Pheras oppidum hospitio Dioclis versati, altera Lacedæmonem perueniuntur.

Periocha IIII. Odysseæ.

Iámque adeo ventū validæ ad Lacedæmonis arces.

Telemachum, & qui cum eo venerant, Menelaus comiter hospitio accipit. sanéque sub vespera quædam de Vlixe cognoscunt. Die verò altera, totum nauigationis ordinem Menelaus explanat: quódque in Ogygia insula, promissis & illecebris, nymphæ Calypsonis, Vlixes remoratur, exponit. Quæ quidem Proteus eidem narrauerat de Græcorum ducibus requirenti. Proci autem postquam de abitu Telemachi compererunt, instructa deductáque naui: viginti, qui sese legerant, nauigauère, redeunti insidias molientes. Circa Asteriam ergo insulam, quæ Itacham Samúmque interiacet, delitescentes, occasionem fraudis expectant.

Periocha V. Odysseæ.

Liquerat in tepido Tithonum aurora cubili.

Mercurius in Ogygiam insulam deuolat:

vt Iouis monitis Calypſo conterrita Vlixem patiatur diſcedere. Qui contextu ratis temere properare nauigationem ſolus aggreditur. Duodeuigeſima die tempeſtate commota, ex iracundia infeſtante Neptuno, trabium compago diſſoluitur. quo caſu proditur vltimæ ſpei: & irritis conatibus nando ab Ino dea miſericorde ſeruatur. Quæ calanticam capiti ſuo demptam natanti accommodat. Cuius ille ſuſtentatu ad vſque Phæacum littus euadit.

Periocha VI. Odyſſeæ.

Carpebat ſomnos dudum ærumnoſus Vlixes.

Vlixes poſtquam ad Phæacum littus enauerat, fatigationem diluit ſomno. Sed quum virgo Nauſicaa regis Alcioni, ludum in acta cum æqualibus exerceret, ſomno excitatus, vt erat nudus, erupit, foliorum o poſitu pudenda velatus, & quum ſupplex ad genua regiæ virginis aduolueretur, Mineruæ inſtinctu mouit miſericordiam ſalutarem: impoſitusque carpento, & veſte donatus vſque ad templum Mineruæ, quod ante vrbem eſt, ita ſuadente virginis pudore prouehitur: ibique familiare ſibi numen ſolita veneratione precatur:

Periocha VII. Odyſſeæ.

Orabat ſuperos dudum Laërtia proles.

Minerua in puellæ ſpeciem mutata, Vli-

xem primùm in oppidum, mox in domum regiam ducit, Quumque Arete vxor Alcinoi, & vnde vestem haberet, & cuias esset, & qua sorte delatus, sermone ipsius comperisset: bonum animum habere iussus, suadente vespera consedit quieti.

Periocha. VIII. Odysseæ.

Iam cælum rutilat roseis aurora quadrigis.

Alcinous nauigationis ærumnam summatim ab Vlixe cognoscit. Exinde iussis primoribus in curiam conueniri, aduentum hospitis, & infortunia diutinæ iactationis explanat. Accitóque ad conuiuium Vlixe, citharam iubet pulsare Demodocum. qui quum de Duréo equo, & de Troico cantaret excidio, lachrymas Vlixi, memoria fortunæ superioris, elicuit. Quas quum occultare sedulò conaretur, aut vultu dissimulans, aut veste detergens oculos in se omnium, & maxime regis aduertit. Tum Alcinous, causa fletuum cognita, vt cuncta ex ordine tolerata dissereret, benignè omnia pollicitus adhortatur.

Periocha IX. Odysseæ.

Tum vice sermonis fatur Laërtius heros.

Quatuor istinc libri de Vlixis errore contexti sunt. Namque ab Alcinoo rogatus seriem multiplicis erroris exponit, vt ab Ilio

profectu-

profectus, primùm ad Ciconas delatus sit: atque illic expugnata Ismaro ciuitate, multis amissis fugatus abcesserit. vtque inde Maleam Laconiæ promontorium circumegerit, ac dein ad Lotophagos venerit. mox ad Cyclopum insulam, quæ Lotophagis adiacet, cum vna naue processerit: eaque sedulo occultata, ipse cum duodecim sociis, in antrum Polyphemi penetrauerit: qui cruentis dapibus expletus, quas cæde sociorum eius instruxerat, vino etiam quod Vlixes ingesserat temulentus, quum in somnum procubuisset, ab Vlixe cæcatus, pœnas immanitatis exoluit.

Periocha x. Odyssex.

AEoliam ventorum agimur patriamq; domúmq.

Hinc refert Æoliam se fuisse peruectum, donisque donatum ab AEolio rege ventorum. qui omnibus comiter præbitis, quo securior nauigaret, ventos etiam dederit vtre conclusos. vtque quum iam Ithacæ propinquaret; refusus sit in soporem: sociique eius opes aliquas in scorto inesse existimantes, dormiente ipso vincula dissoluerint: aduersisq. flatibus ab ipsa patria iam sint relati. Inde vt Antiphatem, Læstrygonasque delatus sit. Ibi amissis vna minus cæteris nauibus, Cir-

ceum littus accesserit. ibique veneficio potentis deæ Eurylochus, & præmissi cum eo socii in ferarum ora conuersi sint. Ipse etiam similia passurus, Mercurio procurante vitauerit: cæterosque socios ad speciem pristinam redigi, virtutis admiratione, compulerit.

Periocha XI. Odysseæ.

At postquam ventum ad naues & littora ponti.

Digressus à Circe Auernum peruenit: qui locus descensus ad manes existimatur. Ibi sacris ritè perfectis, scrobem complet sanguine victimarum: & circum volitantibus animabus nullam sinit haustum cruoris attingere, nisi vt Circe monuerat, prius Tiresias vates inde libasset. Ibi & heroidas plurimas videt. Quarum enumerationem multa veterum fabularum venustate contexit.

Periocha XII. Odysseæ.

Iamq; adeo Oceani liquidos pede liquerat amnes.

Compertis à Tiresia vate, quæ oportuit scire, regreditur ad Circen: ab eaque, vt euitet mala cætera, edocetur: vt Sirenas prætereat, letalem nauigantium cantilenam: vt Scyllam præteruehatur, & Charybdim, freti Siculi famosa portenta. Quibus malis non sine graui perpessione superatis, Trinacriam peruehi

peruehitur. vbi incustodita Solis armenta frustra prohibente ipso, cæteri socii penuria cogente dilaniant: dirisque prodigijs admissa boum cæde terrentur: ac mox inde nauigantes, fulmine ad vnum omnes intereunt excepto Vlixe: qui fragmento carinæ cohærens, & adminiculo eius adiutus, ad Ogygiam insulam solus enauit.

Periocha XIII. Odysseæ.

Conticuêre omnes, intentiq; ora tenebant.

Enarratis omnibus, quæ in multiplici errore pertulerat, à principibus Phæaciæ viris, donis plurimis honoratur: à quibus remigio, & necessariis omnibus nauis instruitur: dormiensque in Ithacam quietissima nauigatione deuehitur. Atque illic in portu patrio cum muneribus vniuersis quiescens: & omnium ignarus exponitur. Phæacibus eo dormiente remeantibus.

Periocha XIIII. Odysseæ.

Egreditur portu, tenuis, quò semitá ducit.

Somno expergitus Vlixes, portum & littus patriæ non sine animi consternatione cognoscit: admiraturque, vt aduectus, vt expositus, vt relictus sit, vt cuncta nesciret. Requirit vniuersa donorum: quæ postquam incolumia videt, quàm potest tutissimè occultat, consiliisque à Minerua confirmatus, ad

seruum suum Eumæum subulcum simulatus accedit, naufragi, & mendicantis imitatu. Interrogatus deinde quis esset, ait se esse Cressium: in AEgyptum nauigantem Troiam fuisse delatum. Eumæum etiam cum affectione mœstissima perurgens, & cogente denique vespere, & imbre continuo, sagulo amicitur. atque ibidem multa secum voluens tandem concedit quieti.

Periocha xv. Odysseæ.

It Lacedæmonias arces Tritonia Pallas.

Telemachus à Minerua per somnium commonetur, domum vt rediret. maturoque digressus cubili, à Menelao veniam reuersionis exorat qua comiter impetrata, regreditur ad nauem in portu Pylio manentem. Pisistratoque ad vrbem, atque ad patriam emisso, ipse propere soluit è littore, comite nauigationis assumpto Theoclymeno vate Argiuo, vno ex iis, quos Melampus Amythaonis erudiuit. Vitatisque insidiatoribus procis aduehitur in patriam. & sociis quidem portum petere iussis, ipse diuerso itinere ad agrum Eumæumque proficiscitur.

Periocha. xvi. Odysseæ.

Commune Eumæus mapale & diuus Vlixes.

Telemachus Eumæum, nuntium reditus, mittit

mittit ad matrem. ipſe, Minerua ita volente, patrem cognoſcit: & cum eo deinceps agenda diſponit. Penelope autem cognito reditu filii, in conuentum procorum, qua verecundia ſinebat, egreditur. increpatíſque inſidiatoribus filii, non minus irata, quàm mœſta diſcedit.

Periocha XVIII. Odyſſeæ.

Iam cœlum roſeis rutilat Tritonia bigis.

Telemachus anxiæ matri ordinem peregrinationis enarrat. Vlixes ad oppidum, Eumæo opitulante, perducitur. Domum, in qua proci epulabantur, ingreſſus, emendicat cibos, miſerabiliter ambiendo. Inde ab Antinoo iniuriosè afficitur. Cui Penelope diras ob inhumanum facinus imprecatur. à qua miſſus Eumæus eſt, vt hoſpes, ſic enim ſe ferebat, *ad eam prouocaretur. Quod tum quidem inuitatus gratiam facit. Sed venturum ſeſe ad veſperam, pollicetur. *fortè, *vt adeam.*

Periocha XVIII. Odyſſeæ.

Irus adeſt populi per mendicabula notus.

Mendicante intra proprios lares Vlixe, alius quoque pari egeſtate Irus acceſſit popularis Ithaceſius, ſtipes in triuiis ſolitus

rogare. Iurgium ergo inopiæ communis æmulatione conseritur, quod ex verbis processit ad manus, hortantibus procis, quo magis rixa crudesceret, propositóque præmio caprini ventris omento. Victor igitur Vlixes seminecem Irum extra ianuam proiicit, ridicula adhortatione compellans. Penelope etiam munera sibi à procis, pro opibus cuiúsque conferri, singulorum studia experiẽs, deposcit. quæ maturè, vtpote à cupientibus, offeruntur.

Periocha XIX. Odysseæ.

At parte interiore domus secretus Vlixes.

Vlixes cum Telemacho arma omnia de medio amoliuntur, procis perniciem comparantes: nequid aut munimenti, aut teli relinqueretur: qui vel cauere vim, vel inferre possent. Ad Penelopen inde accitu ipsius pergit: ibíque, vt Eumæo dixerat, Cretensem se esse mentitur. Vlixémque apud se hospitio diuersatum comminiscitur. Mox quum Euryclia eius nutrix, hospitalis officij causa, pedes eius elueret, tactu manus animaduertit cicatricem: quam habebat ex vulnere in Parnasso quondam suis dente percussus. Quo argumento alumnum suum esse agnoscit. Sed ab eodem, nequid vltra vel quærat, vel garriat, coercetur.

Perio-

Periocha XX. Odyssez.

Iámque procos genua amplectens orabat Vlixes.

Epulantibus procis Eresippus in Vlixem crus bubulum iacit: sed destinatione non potitur. Theoclimenus autem apud Ithacenses diuinationis expertus, imminens procis vaticinatur exitium. Quorum multa cauillatione derisus, mensa, & domo tanquam furiosus excluditur.

Periocha XXI. Odyssez.

Hic mentem dedit Icariæ Tritonia Pallas.

Vlixes Eumæo & Philœtio, fidei eorum industriæque confisus, quis sit, reuelat. Et postquam facta cognitio est, cædem procorum tempore instrui placet. Quos Vlixes astu aggreditur: vt ipsum quoque intendendo arcum, vires seniles explorare patiantur: quem vni quondam Vlixi facilem, si quis intenderet, habiturus esset præmium, ius Penelopes nuptiarum. Sed prohibentibus procis ne id ridiculus, & mendicus auderet, quod frustrà iuuentus tam lecta tentasset, dat Telemachus Vlixi, cæteris abnuentibus, experiendi potestatem. Et hinc nascitur admiratio prima virtutis, dedecore suo cæteris erubescentibus: quorum ignauiam senex, & mendicus arguerit.

Periocha XXII. Odyssex.

Squalentes humeris habitus reiecit Vlixes.

Vlixes loco interiore capto, intendit arcum: omnibúsque foribus occlusis, ne qua pateret effugium, pleró$s$que vino saucios, aut nouitate rei stupidos, aut quidlibet aliud meditantes, conficit. Quum primum omnium confixisset Antinoum, qui audacia & petulantia cæteros superauerat: Eumæus, & Telemachus, & Philætius sumptis & ipsi armis, egregia in cõsternatos cæde grassantur. Iámque omnibus interemptis, duobus tantummodo parcitur: Phemio citharœdo: qui ministerii causa adhibitus, nihil in Vlixis domo, quod contumeliosum esset, ediderat: & Medonti, vni cuius modestiæ etiam Telemachus suffragabatur, & qui cum Telemacho erant. Melantium famulorũ Vlixis vnum, qui procorum proteruiam semper armauerat, cruciabiliter occidunt. Puellas inde duodecim, quæ cum procis flagitiosè consueuerant, suspẽdio perimunt. Vlixes cæde ad plenum perpetrata, ignem adolet: incensóque sulfure domũ piaculo purgat.

Periocha XXIII. Odysseæ.

Chalcidicum gressu nutrix superabat anili.

Euryclia nutrix gestæ rei nuntia, Penelopen

pen de somno excitat. Quæ aduenientem ad se maritum non temerè ipsum esse persuadet. quadam cubiculi lege, & genialis lectuli positu sibi tantum & Vlixi cognito, an ipse sit maritus, explorat. In cœtum deinde conueniunt, totámque noctem mutuo sermone consumunt. Et hinc quidem elegans replicatio laborum, quos Vlixes pertulit, mira cõcinnatione colligitur.

Periocha XXIIII. Odysseæ.

Tartaream vocat in sedem Cyllenias vmbras.

Procorum animas recenti, & communi cæde congestas, cateruatim Mercurius ad inferna compellit. Tunc circa Agamemnonem manes heroici congregantur. Miratíque lectorum iuuenum cum grege densitatem, vno agmine commeante, causas interitionis accipiunt. Tum apud inferos quoque virtus Vlixis, & Penelopes pudicitia prædicantur, ab Agamemnone præ cæteris: cui dispar fuerat in vtroque fortuna. Vlixes ad Laertem patrem in agrum profectus, & inopinato reditu, & rerum gestarum relatu, affecit senem: afficitur ab eo cognitis, quas exantlasset ærumnis. Subinde & patres procorum, neces iuuenum properant vltum ire, consilióque, & vi communicationis, ante expectatum, agro superueniunt. Sed eos iam co-

mitatior Vlixe, fundit, fugátque. Verum gliſcentibus odiis, & maiore ſeditione, aut tumultu ſpectato, ex ſententia Iouis in Ithacam Minerua deſcendit: & conciliata vtrinque pace, ſtudia, & motus partium, rerum geſtarum abſolutione, componit.

QVINTI SYMMA-
CHI EPISTOLAE
AD AVSONIVM.

Symmachus Ausonio. Epist. I.

MERVM gaudium mihi eruditionis tuæ scripta tribuerunt: quæ Capuæ locatus, accepi. Erat quippe in his oblita Tulliano melle festiuitas, & sermonis mei nō tam vera, quàm blanda laudatio. Quid igitur magis mirer, sententiæ incertus addubito ornamenta oris, an pectoris tui. Quippe ita facundia antestas cæteris, vt sit formido rescribere. ita benignè nostra comprobas, vt libeat non tacere. Si plura de te prædicem, videbor mutuum scabere, & magis imitator tui esse alloquij, quā probator. Simul quod ipse nihil ostentandi causa facis: verendum est, genuina in te bona tanquam affectata laudare. Vnum tamen hoc à nobis indubitata veritate cognosce, neminem esse mortalium, quem præ te diligam. sic vadatum me honorabili amore te-

nuisti. Sed in eo mihi verecundus plus nimio videris: quod libelli tui arguis proditorem. Nam facilius est ardentes fauillas ore comprimere, quàm luculenti operis seruare secretum. Quum semel à te carmen profectum est, ius omne perdidisti. Oratio publicata, res libera est. An vereris æmuli venena lectoris: ne libellus tuus admorsu duri dentis vratur? Tibi vni ad hoc locorum nihil gratia præstitit, aut dempsit inuidia. Ingratus scæuo cuique, probóque es laudabilis. Proinde cassas dehinc seclude formidines: & indulge stilo: vt sæpe prodaris. Certe aliquod didascalicum, seu protrepticum, nostro quoque nomini carmen adiudica. Fac periculum silentij mei. Quod & si tibi exhibere opto, tamen spondere non audeo. Noui ego, quæ sit prurigo emittendi operis: quod probatur. Nam quodam pacto societatem laudis affectat: qui aliena bene dicta primus enunciat. Ea propter, in comœdiis summatim quidem gloriam scriptores tulerunt: Roscio tamen, atque Ambiuio, cæterísque actoribus fama non defuit. Ergo tali negocio expēde otium tuum: & nouis voluminibus ieiunia nostra sustenta. Quod si iactantiæ fugax, garrulum indicem pertimescis: præsta etiam tu silentium mihi: vt tuto simulem nostra esse, quæ scripseris. Vale.

Symma

Symmachus Ausonio suo salutem. Epist. 11.

Petis à me literas longiores. est hoc in nos veri amoris indicium. Sed ego, qui sum paupertini ingenii mei conscius, Laconicæ malo studere breuitati, quàm multiiugis paginis infantiæ meæ maciem publicare. Nec mirum si eloquii nostri vena tenuata est: quã dudum neque vllius poëmatis tui, neque pedestrium voluminum lectione, iuuisti. Vnde igitur sermonis mei largam poscis vsuram, cui nihil literati fœnoris credidisti? Volitat tuus Mosella per manus, sinúsque multorum, diuinis à te versibus consecratus: sed tantum nostra ora prælabitur. Cur me, quæso, istius libelli exortem esse voluisti? Aut ἀμουσότατος tibi videbar, qui iudicare non possem: aut certe malignus, qui laudare nescirem. Itaque vel ingenio meo plurimum, vel moribus derogasti. Et tamen contra interdictum tuum mox ad illius operis arcana perueni. Velim tacere, quid sentiam: velim iusto de te silentio vindicari: sed admiratio scriptorum sensum frangit iniuriæ. Noui ego istum fluuium, quum æternorum principum iampridem signa comitarer, parem multis, imparem maximis. Hunc tu mihi improuiso clarorũ versuum dignitate, Ægyptio Nilo maiorem, frigidiorem Scythico Tanai, clarioremque hoc nostro populari Tiberi reddidi-

sti. Nequaquam tibi crederem de Mosellæ ortu ac meatu magna narranti: ni certò scirem, quod nec in poemate mentiaris. Vnde illa amnicorum piscium examina reperisti, quàm nominibus varia, tam coloribus: vt magnitudine distátia, sic sapore? quæ tu pigmentis istius carminis supra naturæ dona fucasti. Atqui in tuis mensis sæpe versatus, quum pleraque alia, quæ tunc in precio erant, esui obiecta mirarer, nunquam hoc genus pisciũ deprehendi. Quando isti pisces tibi nati sunt in libro: qui in ferculis non fuerunt? Iocari me putas, atque agere nugas. Ita me dij dominis probabilem præstent: vt ego hoc tuum carmen libris Maronis adiungo. Sed iam desinam, mei oblitus doloris, inhærere laudibus tuis: ne hoc quoque ad gloriam tuam trahas: quod te miramur offensi. Spargas licet volumina tua, & me semper excipias: fruemur tamen tuo opere, sed aliorum benignitate. Vale.

Symmachus Ausonio. Epist. III.

POST longum silentium tuum, non minus desiderabam, quàm sperabam literas largiores. Nanque his vicibus humana variantur: VT DEFECTVI SVCCEDAT VBERTAS. Ea me opinio frustrà habuit. Siquidem breuis in manus meas pagina, recens à te profecta, peruênit. Erat quidem illa

Atticis

Atticis salibus aspersa, & thymo odorata, sed parcior: quæ magis fastidium detergeret, quàm famem frangeret. Quasi ego cænas dapales, & saliare conuiuium, tum viscerationes, atque epulum postulassem: tu mihi mensas secundas, & scitamenta exiguæ lancis apponeres. Fac veniat in mentem, quid Græca super hoc dicat oratio. PARVIS NVTRIMENTIS, inquit, QVANQVAM A MORTE DEFENDIMVR, NIHIL TAMEN AD ROBVSTAM VALETVDINEM PROMOVEMVR. Putásne me de occupationibus tuis taciturum? Quæstor es: memini. concilij regalis particeps: scio. precum cõditor: recognosco. adde huc alia mille. Ille rerum euentus nequaquam eueniet, vt ingenium tuum labor deterat: benignitatem cura flectat: facundiam vsus exhauriat. Sed diuina negotia nunquam distingues quiete. Certe antelucano somno nullus indulseris: vt detur aliquod tempus officiis. An tibi parum vi detur exempli in Comico, quum ait, Quam vellem etiam noctu amicis operam, vt mos sit dari? Sed cur ego diutius sermonis pauper obgannio? Imitanda est mihi epistola recens: ne forte plurimis occupatus, recuses literas longiores. Id ita esse, recte coniecto. Video enim quàm nolis multa legere: cui vix otium est pauca dictare. Vale.

Symmachus Ausonio. Epist. IIII.

Et si plerunque vera est apud parentes filiorum prædicatio: nescio, quo tamen pacto detrimentum meriti sui patitur, dum personarum spectare gratiam indicatur. Quæro igitur incertus animi, quæ mihi nunc potissimum super viro honorabili Thalassio tuo genero, verba sumenda sint. Si parce morum eius décora attingam, liuenti similis existimabor: si iuste persequar, ero proximus blandienti. Imitabor igitur Sallustiani testimonij castigationem. Habes virum dignum te, & per te familia consulari: quem fortuna honoris parti, maiorem beneficiis suis reperit. emendatio animi, & sanctitas, honoribus æquiparauit. Vale.

Symmachus Ausonio. Epist. V.

Aiunt Cochleas, dum sitiunt, atque illis de cœlo nihil illiquitur, succo proprio victitare. Ea res vsu mihi venit: qui desertus eloquii tui pastu, meo adhuc rore sustentor. Diu scribendi operam distulisti. Et vereor ne in nos parentis claudicet affectio. Si falsa me opinio habet, fac, vt cæteris tuis negotiis respondendi cura præuortat.

Vale.

PONTII

PONTII PAVLINI EPISTOLAE TRES AD AVSONIUM RE-scriptæ.

In vet. Cod. leg. *Epiſtola Sancti Paulini ad Auſonium, cum adhuc eſſet in Hiſpania religioni dedictus, aßiduis literis prouocatus, vt in patriam rediret.*

Paulinus Auſonio S. Epiſt. I.

QVid abdicatas in meam curam, pater,
Redire muſas præcipis?
Negant Camenis, nec patent Apollini
Dicata Chriſto pectora.
Fuit iſta quondam non ope, ſed ſtudio pari, 5
Tecum mihi concordia
Ciere ſurdum Delphica Phœbum ſpecu,
Vocare Muſas numina:
Fandique munus munere indultum Dei,
Petere fonte, nemore, aut iugis. 10
Nunc alia mentem vis agit, maior Deus:
Alióſque mores poſtulat,
Sibi repoſcens ab homine munus ſuum:
Viuamus vt vitæ patri.
Vacare vanis, otio, aut negotio, 15
Et fabuloſis literis,
Vetat: ſuis vt pareamus legibus:

Lucémque cernamus suam.
Quamuis sophorum, callida arsq; rhetorum, &
20 Figmenta vatum nubilent.
Qui corda falsis atque vanis imbuunt:
Tantúmque linguas instruunt,
Nihil adferentes, vt salutem conferant:
Quod veritatem detegat.
25 Quid enim tenere vel bonum, aut verum queant,
Qui non tenent summum caput,
Veri boníque fomitem, & fontem Deum?
Quem nemo nisi in Christo videt.
Hic veritatis lumen est, vitæ via.
30 Vis, mens, manus, virtus patris.
Sol æquitatis, fons bonorum, flos Dei.
Natus Deo, mundi sator,
Mortalitatis vita nostra, & mors necis.
Magister hic virtutium,
35 Deúsque, nobis, atque pro nobis homo,
Nos induendo se exuit,
Æterna iungens inter homines & Deum,
Vtrunque se commercia.
Hic ergo nostris vt suum præcordijs
40 Vibrauerit cælo iubar:
Absterget ægrum corporis pigri situm,
Habitúmque mentis innouat.
Exhaurit omne quod iuuabat antea
Castæ voluntatis vice
45 Totóque nostra iure domini vindicat
Et corda & ora, & tempora.

Se

Se cogitari, intelligi credi, legi:
Se vult timeri, & diligi.
AEstus inanes, quos mouet vitæ labor,
Præsentis æui tramite, 50
Abolet futuræ cum Deo vitæ fides.
Quę quas videmur spernere,
Non vt profanas abijcit, aut viles opes:
Sed vt magis caras monet
Cælis reponi creditas Christo Deo: 55
Qui plura promisit datis,
Contempta præsens, vel mage deposita sibi,
Multo vt rependat fœnore.
Sine fraude iustus aucta creditoribus
Bonus æra reddit debitor. 60
Multáque spretam largior pecuniam
Restituet vsura Deus.
Huic vacantem vel studentem, & deditum,
In hoc reponentem omnia,
Ne, quæso segnem, néve peruersum putes: 65
Nec crimineris impium.
Pietas abesse Christiano qui potest?
Nanque argumentum mutuum est,
Pietatis esse Christianum: & impij,
Non esse Christo subditum. 70
Hanc quum tenere discimus, possum tibi
Non exhibere, id est patri?
Cui cuncta sancta iura, cara nomina,
Debere me voluit Deus.
Tibi disciplinas, dignitatem, literas, 75

Linguæ, & togæ, & famæ decus,
Prouectus altus, institutus, debeo,
Patrone, præceptor, pater.
Sed cur remotus tandiu degam, arguis:
20 *Piósque motu irasceris.*
Conducit istud, aut necesse est, aut placet,
Veniale, quicquid horum erit.
Ignosce amanti: si geram, quod expedit.
Gratare: si viuam, vt libet.

Paulinus Ausonio. Epist. 11.

Continuata meæ durare silentia linguæ,
Te nunquam tacito, memoras: placitámque latebris
Desidiam exprobras: neglectáq; insuper addis
Crimen amicitiæ: formidatámque iugalem
5 *Obijcis: & durum iacis in mea viscera versum.*
Parce, precor, lacerare tuum: nec amara paternis
Admiscere velis, ceu melli absinthia, verbis.
Cura mihi semper fuit, & manet, officijs te
Omnibus excolere, affectu obseruare fideli.
10 *Non vnquam tenui saltem tua gratia næuo*
Commaculata mihi est. ipso te lædere vultu
Semper, & incauta timui violare figura.
Quumq; tua accessi venerans, mea cautius ora
Composui: & læto formaui lumine frontem:
Ne qua vel à tacito contractam pectore nubem
15 *Duceret in sanctum suspectio falsa parentem.*
Hoc mea te domus exemplo coluitq; colétq;.
Inq; tuo tantus nobis consensus amore est,

Quan-

Quantus & in Christo connexa mente colendo.
Quis tua, quæso tuis obduxit pectora liuor: 20
Quæ rumore pias facilis tibi fama per aures
Irrupit? pepulitque animum? contráque vetustam
Experta pietate fidem noua vulnera mouit,
Læderet vt natis placidum malesuada parentem?
Sed mihi non fictæ mens conscia simplicitatis, 25
Nec patris inculti pietas rea respuit omne
Immeritum: & falso perstringi crimine non fert.
Immunis merito grauius violatur iniquo.
Vulnera tam tenera offensæ, quàm libera culpæ.
Discußisse iugum quereris me: quo tibi doctis 30
Iunctus eram studijs. hoc nec gestasse quidem me
Assero. nanque pares subeunt iuga nemo valentes
Copulat infirmis: neque sunt concordia fræna,
Si sit compulsis mensura iugalibus impar.
Si vitulum tauro, vel equum committis onagro: 35
Si confers fulicas cycnis. & aëdona parræ:
Castaneis corylos æquas, viburna cupreßis:
Me compone tibi vix Tullius, & Maro tecum
Sustineant æquale iugum. Si iungar amore:
Hoc tantum tibi me iactare audebo iugalem: 40
Quæ modicum socijs magno contendit habenis.
Dulcis amicitia æterno mihi fœdere tecum:
Et paribus semper redamandi legibus æqua.
Hoc nostra ceruice iugum non sæua resoluit
Fabula: non terris absentia longa diremit, 45
Nec permet. Toto licet abstrahar orbe, vel æuo:
Nunquam animo diuisus agam. prius ipsa recedet

Corpore vita meo, quam vester pectore vultus.
Ego te per omne, quod datum mortalibus
50 *Et destinatum sæculum est,*
Claudente donec continebor pectore,
Discernar orbe quolibet,
Nec orbe longum, nec remotum lumine
Tenebo fibris insitum.
55 *Videbo corde: mente complectar pia,*
Vbique præsentem mihi.
Et quum solutus corporali carcere,
Terráque prouolauero:
Qua me locarit axe communis pater,
60 *Illic quoque te animo geram.*
Neque finis idem, qui meo me corpore,
Et amore laxabit tuo.
Mens quippe lapsis quæ superstes artubus,
De stirpe durat cæliti:
65 *Sensus necesse, simul & affectus suos*
Teneat æque, vt vitam suam.
Et vt mori, sic obliuisci non capit,
Perenne viuax & memor.

Paulinus Ausonio. Epist. III.

Defore me patrijs tota trieteride terris,
Atque alium legisse vagis erroribus orbem,
Culta prius vestræ oblitum consortia vitæ,
Increpitas, sanctis mota pietate querelis.
5 *Amplector patrios venerando pectore motus,*
Et mihi gratandas saluis affectibus iras:

Sed

Sed reditum inde meum genitor, te poscere mallem,
Vnde dari possit. Reuocandum me tibi credam,
Quum steriles fundas non ad diuina precatus,
Castalidis supplex auerso numine musis? 10
Non his numinibus tibi me, patriæq; reduces.
Surda vocas, & nulla rogas. leuis hoc feret aura:
Quod datur in nihilũ, sine numine nomina musas.
Irrita ventosæ rapiunt hæc vota procellæ:
Quæ non missa Deo, vacuis in nubibus hærent: 15
Nec penetrant superi stellantem regis in aulam.
Si tibi cura mei reditus: illum aspice, & ora,
Qui tonitru summi quatit ignea culmina cæli.
Qui trifido igne micat, nec inania murmura miscet. 20
Quique satis cælo soles largitur, & imbres.
Qui super omne quod est, & in omni totus vbique,
Omnibus infuso rebus regit omnia Christo.
Quo mentes tenet, atque mouet: quo tempora nostra,
Et loca disponit. quod si contraria votis
Constituat nostris, prece deflectendus in illa est, 25
Quæ volumus. Quid me accusas? si displicet actus.
Quem gero agente Deo: prius est, fiat reus auctor:
Cui placet aut formare meos, aut vertere sensus.
Nam mea si reputes, quæ pristina, quæ tibi nota,
Sponte fatebor, eum modo me non esse, sub illo 30
Tempore qui fuerim: quo non peruersus habebar,
Et peruersus eram, falsi caligine cernens,
Stulta Dei sapiens, & mortis pabula viuens.
Quo magis ignosci mihi fas: quia promptius ex hoc 35
Agnosci datur à summo genitore, nouari,

Quod non more meo geritur, non arbitror istis
Confessus dicar mutatæ in praua notandum
Errorem mentis: quoniam sim sponte professus,
Me non mente mea vitam mutasse priorem.
40 *Mens noua me fateor, cepit, mens non mea quondã,*
Sed mea nunc auctore Deo. qui si quid in actu
Ingenióve meo sua dignum ad munia vidit,
Gratia prima tibi: tibi gloria debita cedit:
Cuius præceptis partum est, quod Christus amaret.
45 *Quare gratandum magis est tibi, quàm queritandũ,*
Quod tuus ille tuis studijs, & moribus ortus
Paulinus: cui te non inficiare parentem,
Nec modo quum credis peruersum, sic mea verti
Consilia, vt sim promeritus Christi fore dum sum
50 *Ausonij. feret ille tuæ sua præmia laudi:*
Déque tua primum tibi deferet arbore fructum.
Vnde, precor, meliora putes: nec maxima perdas
Præmia, detestando tuis bona fontibus orta.
Non etenim mihi mens vaga: sed neq; participãtum
55 *Vita fugax hominum: Lyciæ qua scribis in antris*
Pegaseum vixisse equitem. licet auia multi
Numine agente colant. clari velut ante sophorum
Pro studijs musisq; suis: vt nunc quoque, castis
Qui Christum sumpsere animis, agitare frequẽtant:
60 *Non inopes animi, neq; de feritate legentes*
Desertis habitare locis: sed in ardua versi
Sidera spectantésque Deum, veríque profunda
Perspicere intenti, de vanis libera curis
Otia amant: strepitumq; fori, rerúmque tumultus,

Cunctáque

Cunctaq; diuinis inimica negotia donis, 65
Et Christi imperijs. & amore salutis abhorrenti
Spéque, fidéque Deum sponsa mercede sequuntur,
Quam referet certus non desperantibus auctor.
Si modo non vincant vacuis præsentia rebus:
Quęq; videt, spernat: quæ nō videt, expetat vt mēs. 70
Nánque caduca patent, nostris æterna negantur
Visibus. & nunc spe sequimur, quod mēte videmus.
Spernentes varias rerum spectacula formas,
Et male corporeos bona sollicitantia visus.
Attamen hæc sedisse illis sententia visa est: 75
Tota quibus iam lux patuit veríque, boníque
Venturi æternum sæcli & præsentis inane.
At mihi non eadem cui gloria: cur eadem sit
Fama? fides voti par est. sed amœna colenti, 80
Nunc etiam & blanda posito locupletis in acta
Littoris. vnde hæc iam tam festinata locorum
Inuidia est? vtinam iustus me carpere liuor
Incipiat. Christi sub nomine probra placebunt.
Non patitur tenerum mens numine firma pudorem. 85
Et laus hic contempta redit mihi iudice Christo.
Ne me igitur, venerande parēs, his vt male versum
Increpites studijs neque me vel coniuge carpas,
Vel mentis vitio. Non anxia Bellerophontis
Mens est: nec Tanaquil mihi, sed Lucretia coniux: 90
Nec mihi nunc patrij est, vt vis, obliuio cæli:
Qui summū suspecto patrem. quem qui colit vnum,
Hic veri memor est cæli Crede ergo, pater, nos
Nec cæli immemores, nec viuere mentis egentes,

Humaníſque agitare locis. ſtudia ipſa, piorum
95 Teſtantur mores hominum nec enim impia ſummum
Gens poterit nouiſſe Deum. Sint multa locorum,
Multa hominum ſtudijs inculta, expertia legum.
Quæ regio agreſti ritu caret? aut quid honeſtis
Improbitas aliena nocet? quid tu mihi vaſtos
100 Vaſconiæ ſaltus, & ninguida Pyrenæi
Obijcis hoſpitia? in primo quaſi limine fixus
Hiſpanæ regionis agam: nec ſit locus vſquam
Rure vel vrbe mihi, ſummum qua diues in orbem
Vſque patet merſos ſpectans Hiſpania ſoles:
105 Sed fuerit fortuna, iugis habitaſſe latronum.
Non lare Barbarico rigui, mutatus in ipſos
Inter quos habui ſocia feritate colonos.
Non recipit mēs pura malum: neque leuibus hærent
Inſperſæ fibris maculæ. ſic Vaſcone ſaltu
110 Quiſquis agit, purus ſceleris vitam integer æquo,
Nulla ab inhumano morum contagia ducit
Hoſpite. Sed mihi cur ſit ab illo nomine crimen,
Qui diuerſa colo vt colui loca iuncta ſuperbis
Vrbibus, & lætis hominum celeberrima cultis?
115 Ac ſi Vaſconicis mihi vita fuiſſet in oris:
Cur non more meo potius formata ferinos
Poneret in noſtros migrans gens barbara ritus?
Nam quod in euerſis habitacula ponis Ibera
Vrbibus, & deſerta tuo iacis oppida verſu:
120 Mōtanámque mihi Calagorrim & Bilbilim acutis
Pendentem ſcopulis, collémque iacentis Ilerdæ
Exprobras: velut his habitem laris exul & vrbis,

Extra

Extra hominum tecta atque vias: an credis Iberæ
Has telluris opes, Hispani nescius orbis?
Quę grauis ille poli sub pondere constitit Atlas: 125
Vltima nunc eius mons portio, metáque terræ,
Discludit binmarem celso qui vertice Calpen.
Bilbilis huic tantum, Calagorris Ilerda notatur:
Cæsarea est Augusta cui, cui Barcino amœna,
Et capite insigni despectans Tarraco pontum. 130
Quid numerem egregias terris, & mœnibus vrbes,
Quą geminum felix Hispania tendit in æquor?
Quą Betis Oceanum, Tyrrhenúmque auget Iberus?
Latáque distantis pelagi diuortia complet
Orbe suo finem ponens in limite mundi? 135
An tibi me domine illustris: si scribere sit mens,
Qua regione habites, placeat reticere nitentem
Burdigalam, & piceos malis describere Boios?
Quúmque Maroialicis tua prodigis otia thermis,
Inter & vmbrosos donas tibi viuere lucos, 140
Læta locis & mira colens habitacula tectis:
Nigrantésne casas, & tecta mapalia culmo,
Dignáque pellitus habitas deserta Bigerris?
Quique superba altæ contemnis mœnia Romæ,
Consul harenosas, non dedignare Vasatas. 145
Vel quia Pictonicis tibi fertile rus viret aruis:
Rauranum Ausonias huc deuenisse curules
Conquerar & trabeam veteri sordescere fano?
Quę tamen Augusta Latiaris in vrbe Quirini
Cæsareas inter parili titulo palmatas 150
Fulget natiuo longe venerabilis auro,

Florentem retinens meriti viuacis honorem.
Aut cum Lucani retineris culmine fundi,
Aemula Romuleis habitans fastigia tectis,
155 Materiam præbente loco, qui proxima signat,
In Condatino diceris degere vico?
Multa iocis pateant. liceat quoque ludere fictis.
Sed lingua mulcente, grauem interlidere dentem:
Ludere blanditijs vrentibus, & male dulces
160 Fermentare iocos, satyræ mordacis aceto.
Sæpe poetarum nunquam decet esse parentum.
Nanq; fides, pietasq; petunt: vt quod mala n. ctens
Insinuat castis fama auribus: hoc bona noti
Mens patris affigi, fixúmque hærescere cordi
165 Non sinat, vt vulgus sæuo rumore malignum.
Ante habitos mores, non semper flectere vitam
Crimen habet. nanq; est laudi bene vertere. quū me
Immutatum audis, studium officiúmque require.
Si prauo rectum, si relligiosa profanis,
170 Luxurie parcum, turpi mutatur honestum:
Segnis, iners, obscurus ago. miserere sodalis
In mala peruersi. blandum licet ira parentem
Excitet, vt lapsum rectis instauret amicum
Moribus, & monitu reparet meliora seuero.
175. At si forte id idem quod legi, & quod sequor audis,
Corda pio vouisse Deo: venerabile Christi
Imperium docili pro credulitate sequentem,
Persuasúmque Dei monitis, æterna parari
Præmia mortali, damnis præsentibus empta:
180 Non reor id sano sic displicuisse parenti,

Mentis

Mentis ut errorem credat sic viuere Christo.
Vt Christus sanxit, iuuat hoc nec pœnitet huius
Erroris. stultus diuersa sequentibus esse
Nil moror: æterno mea dum sententia regi
Sit sapiens. breue, quicquid homo est, ut corporis ægri 185
Temporis occidui, & sine Christo puluis & umbra.
Quod probat aut damnat, tanti est, quanti arbiter ipse.
Ipse obit, atqui illi suus est comitabilis error.
Quisque suo moriens sententia iudice transit.
At nisi dum tempus præsens datur, anxia nobis 190
Cura sit ad Domini præceptum viuere Christi.
Sera erit exutis homini querimonia membris:
Dum leuia humanæ metuit conuicia linguæ,
Non timuisse graues diuini iudicis iras.
Quem patris æterni solio, dextráque sedentem, 195
Omnibus impositum regem, & labentibus annis
Venturum, ut cunctas æquato examine gentes
Iudicet, & variis referat sua præmia gestis,
Credo equidem: & metuens studio properante laboro,
Si qua datur, ne morte prius, quàm crimine soluar. 200
Huius in aduentum trepidis mihi credula fibris
Corda tremunt: gestitq; anima id iam cauta futuri,
Præmetuens, ne vincla ægris pro corpore curis,
Ponderibúsque grauis rerum, si forte recluso
Increpitet tuba vasta polo, non posset in auras 205
Regis ad occursum leuibus se tollere pennis,

Inter honora volans sanctorum millia cælo.
Qui per inane leues, neque mundi compede vinctos,
Ardua in astra pedes facili molimine tollent:
210 *Et teneris vecti per sidera nubibus ibunt:*
Cælestem vt medio venerentur in aëre regem:
Claráque adorato coniungant agmina Christo.
Hic metus est labor iste: dies ne me vltimus atris
Sopitum tenebris sterili deprendat in actu,
215 *Tempora sub vacuis ducentem perdita curis.*
Nam quid agam? lentis si dum conniueo votis,
Christus ab ætheria mihi proditus arce coruscet,
Et subitis homini cælo venientis aperto.
Præstrictus radijs, obscura & tristia noctis
220 *Suffugia in lato confusus lumine quæram?*
Quod mihi ne pareret vel diffidentia veri.
Vel præsentis a nor vitæ, rerúmne voluptas,
Curarúmve labor placuit præuertere casus
Proposito, & curas finire superstite vita.
225 *Communique Deo ventura in secula rebus*
Expectare trucem securo pectore mortem.
Si placet hoc, gratare tui spe diuite amici.
Si contra est: Christo tantum me linque probari.

Eidem Paulino & hæc inscribebat antiquus codex: quæ inter alia eius scripta à Badio Ascensio Lutetiæ formis primùm edita, non inuenias.

Domino merito suspiciendo Gestidio Paulinus.
Epist. IIII.

INIVRIA quidem est patrifamilias, maritimis deliciis abundanti, terrenum aliquid, & agre

& agreste præbere. sed ego, vt & causa mihi esset apud vnanimitatem tuam aliquid colloquendi: & aliquod sermoni huic obsequium viderer adiungere: pauculas de paucissimis quas pueruli vespere inferunt, ficedulas misi. Quarum quum erubescerem paucitatem, plura etiam versiculis verba subtexui, quasi verò numerum loquacitate facturus. Sed quia vtraque culpabilia sunt, tu vtrisque benignè ac familiariter ignoscendo, facies, vt nec inhumana videatur paucitas, nec odiosa garrulitas.

Sume igitur pastas dumoso in rure volucres;
Quas latitans filicis sub tegmine callidus auceps,
Dum simili mentitur aues, fallitq. susurro,
Agmina viscatis suspendit credula virgis.
Tunc referens tenuem non paruo munere prædam,
Digerit aucupium tabulis. & primus opimis
Ordo nitet, sensim tenuatus ad ima tabellæ:
Vt minus offendat macies prælata saginæ,
Gratia præuentas pingui iuuat alite visus.

Ad eundem. Epist. V.

Pauperis vt placeat carum tibi munus amici:
Munera ne reputes, quæ mittis ditia nobis.
Nam tibi quid dignum referam pro piscibus illis:
Quos tibi vicinum locupleti gurgite littus
Suppeditat, miros specie, formâq. direptos!
At mihi vix alto vada per saxosa profundo
Rarus in obscura generatur sphondylus alga.

Hinc te participans, bis quinq. & bis tibi ternas.
Transmisi æquoreo redolentes nectare testas.
Quas viscus prædulce replet bicolore medulla.
Oro, libens sumas: nec vilia dedigneris,
Quæ sunt parua modum, magno metitus amore.

Oratio ad De um, eiusdem Paulini.

Omnipotens genitor rerum, cui summa potestas,
Exaudi, si iusta precor: ne sit mihi tristis
Vlla dies placidam nox rumpat nulla quietem.
Nec placeant aliena mihi: quin & mea prosint
5 *Supplicibus, nullúsque habeat mihi vota nocendi,*
Aut habeat nocitura mihi. Male velle facultas
Nulla sit: at bene posse adsit tranquilla potestas.
Mens contenta suo, nec turpi dedita lucro,
Vincat corporeas, casto bene conscia lecto,
10 *Inlecebras turpesq; iocos, obscœnáq dicta*
Oderit illa nocens, & multum grata malignis
Auribus, effuso semper rea lingua veneno.
Non obitu adfligar cuiusquã, aut funere crescam.
Inuideam nunquam cuiquam, nec mentiar vnquã.
15 *Adsit læta domus, epulis adludat inemptis*
Verna satur, fidúsq. comes, nitidúsq. minister,
Morigera & coniux, caráque ex coniuge nati.
Moribus hæc castis tribuit Deus. hi sibi mores
Perpetuam spondent ventura in sæcula vitam.

SVLPICIAE de statu Reipublicæ, & temporibus Domitiani.

Musa, quibus numeris héroas, & arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere paucis.

Nam

Nam tibi secessi, tecum penetrale retractans
Consilium: quare nec carmine curro phalaeco,
Nec trimetro iambo: nec qui pede fractus eodem. 5
Fortiter irasci didicit duce Clazomenio.
Caetera quinetiam, quot denique millia lusi,
Primaq; Romanas docui contendere Grays,
Et salibus variare nouis, constanter omitto.
Teq; quibus princeps & facundissima calles, [10
Aggredior precibus descende clientis: & audi.
Dic mihi Calliope, quidnam pater ille deorum.
Cogitat? an terras, & patria saecula mutat?
Quásq. dedit quondam morentibus, eripit artes:
Nósq. iubet tacitos, etiam rationis egenos, 15
Non aliter, primo quàm quum surreximus aeuo,
Glandibus, & purae rursus procurrere lymphae?
An reliquas terras conseruat amicus, & vrbes:
Sed genus Ausoniū, Romulíq; exturbat alumnos?
In freta Sicaniae, & Carthaginis exilit arces. 20
Caeteráq. imperia, & totum simul abstulit orbem.
Quid reputemus enim? Duo sunt, quibus extulit
ingens
Roma caput, virtus belli, & sapientia pacis:
Sed virtus agitata domi, & socialibus armis. 25
Deinde, velut stadio victor qui solus Achaeo
Languet, & immota secum virtute facessit:
Sic itidem Romana manus contendere postquam
Destitit: & pacem longis frenauit habenis:
Omnia bellorum terra quaesita mariq. 30
Ipsa domi leges, & Graia inuenta retractans,

Præmia consilio, & molli ratione regebat.
Stabat in his: neq. enim poterat constare sine ipsis.
Aut frustra vxori, mendaxq; Diespiter olim,
IMPERIVM SINE FINE DEDI, *dixisse probatur.*
35 *Nunc igitur qui res Romanas inferat inter,*
Non trabe, sed tergo prolapsus, & ingluuie albus,
Et studia, & sapiens hominum nomenq; genusq;
Omnia abire foras, atq; Vrbe excedere iussit.
Quid facimus? Graios, hominūq; relinquimus vrbes:
40 *Vt Romana foret magis his instructa magistris*
Non Capitolino veluti turbante Camillo,
Ensibus, & trutina Galli fugêre relicta:
Sic nostri palare senes dicuntur, & ipse
Vt ferale suos sonus extirpare libellos.
45 *Ergo Numantinus, Libycúsq. errauit in isto*
Scipio qui Rhodio creuit formante magistro:
Cætera & illa manus bello fecunda secundo.
Quos inter prisci sententia dia Catonis
Scire deos magni fecisset, vtrúmne secundis,
50 *An magis aduersis staret Romana propago:*
Scilicet aduersis. nam quum defendier armis
Suadet amor patriæ, & captiua penatibus vxor:
Conuenit vt vespis: quarum domus arce Monetæ
Turba tegens strictis per lutea corpora telis.
55 *Ast vbi apes secura redit oblita fauorum,*
Plebs, fratérq. vna somno moriuntur obeso.
Romulidarum igitur longa & grauis exitiū pax.
Hæc fabella modo pausam facit. optima posthac
Musa

Musa, velim moneas: sine qua mihi nulla voluptas
*Viuere: uti quondam Smyrnalibus * peribat.* 60
Nunc itidem migrare velint. vel deniq. quiduis.
Vt dea quære aliud. tantum Romana Caleno
Mœnia, iucundos paritérq. auerte Sabinos.
Hæc ego. tum paucis dea me dignarier, infit:
Pone metus æquos cultrix mea. summa tyranno 65
Hæc instant odia: & nostro periturus honore est.
Nam laureta Numæ, frontésq. habitamus eosdem,
Et comite Egeria ridemus inania cæptu.
Viue, vale. manet hunc pulchrum tua fama dolorē.
Musarum spondet chorus, & Romanus Apollo. 70

CYTHERII SIDONII oratoris epigramma de pastoribus tribus.

Almo, Theon, Tyrsis. orti sub monte Pelori,
Semine disparili, Laurente, Lacone, Sabina.
Vite Sabina, Lacon sulco. sue cognite Laurens.
Thyrsis oues, vitulos Theō egerat, Almo capellas
Almo puer, pubésq. Theon, & Thyrsis ephebus.
Canna Almo, Thyrsis stipula, Theō ore melodus.
Nais amat Thyrsin, Glauce Almona, Nisa Theo
Nisa rosas, Flauce violas, dat lilia Nais. (nem.

HADRIANI. Imperatoris epigramma de trium Amazonum pugna.

Vt belli sonuêre tubæ, violenta peremit
Hippolyte Teuthrāta: Lyce Clonon: Oebalō Alce
Oebalon, ense: Clonon, iaculo: Teuchranta, sagitta.
Oebalus ibat equo: curru Clonus: at pede Teuthras
P.[us] puero Teuthras, puer Oebal[us], at Clon[us] heros.

Figitur ora Clonus, latus Oebalus, ilia Teuthras
Epidi Teuthras, Deracli Clonus, Oebalus Idæ:
Argolicus Teuthras, Mæsus Clon⁹, Oebal⁹ Arcas.

Oratio Paschalis versibus Rhopalicis falsò Ausonio attributa.

Spes Deus, æternæ stationis conciliator,
Si castis precibus veniales inuigilamus:
His, Pater, oratis placabilis adstipulare.
Da, Christe, specimen cognoscere irreprehensum,
Rex bone cultorum famulantum viuificator,
Cum Patre maiestas altissima ingenerato.
Da trinum columen Paracleto consociante,
Vt longum celebris deuotio continuetur.
Ad temet properant vigilatu conuenientes.
*Nox lucem *referet funalibus anteferendam:*
Nox lumem pariens credentibus indubitatum:
Nox flammis operum meditatrix sidereorum.
Tu mensis dirimis ieiunia religiosa:
Tu bona promittens surgentia, concelebraris.
Da, Rector, modicis effarier Omnipotentem.
Fons tuus emundat recreatu iustificatos,
Dans mentem oblitam positorum flagitiorum.
Dans agnos niueos splendescere purificatos,
Vt noua Iordanis ablutio sanctificauit,
Cum sua dignatum tingentia promeruerunt.
Lux verbo inducta peccantibus auxiliatrix,
Et Christus regimen elementis irrequietis,
Fert vndam medici baptismatis intemerati,
Vt noxam auferret mortalibus extenuatam.

Crux

Crux pœnæ extremum properata immaculato.
Vt vitam amissam renouaret mortificatus.
Quis digne, Domine, præconia continuabit
Tot rerum titulis obnoxius immodicarum?
An terra humano locupletat commemoratu?
Quem vocum resonat modulatus Angelicarum,
Dans aulam Stephano preciose dilapidato.
Dans claues superas cathedrali inchoatori.
Quin Paulum infestum copularis agglomeratu.
*Fit doctor populi,*laudantum constimulator.*
*Vt latro *confessum Paradysum participauit.*
Sic credo annectens durissima clarificandis,
Nos seros famulos accrescere perpetieris
Sub tali edoctos Antistite relligionis.
Da sensum solida stabilitum credulitate.
Fac, iungar numero rediuino glorificatus,
Ad cœlum inuitans consortia terrigenarum,
Spes Deus, æternæ stationis conciliator.

**al.* reuehet
**al.* lapidantum
**al.* confessor

GRAECA QVAEDAM EPIgrammata, quæ partim æmulatus, partim interpretatus est Ausonius.

Pag. IIII. In simulachrum Occasionis & Pœnitentiæ.

Cuius opus? Phidiæ, &c.

Εἰς ἄγαλμα τοῦ καιροῦ.

Ποσειδίππου. τμήματι δ΄ τῶν ἐπιγραμμάτων.

Τίς, πόθεν ὁ πλάστης; σικυώνιος. οὔνομα δὴ τίς;
Λύσιππος. σὺ δὲ τίς; καιρὸς ὁ πανδαμάτωρ.
Τίπτε δ' ἐπ' ἄκρα βέβηκας; ἀεὶ τροχάω. τί δὲ ταρσοὺς
Ποσσὶν ἔχεις διφυεῖς; ἵπταμ' ὑπηνέμιος.
Χειρὶ δὲ δεξιτερῇ τί φέρεις ξυρόν; ἀνδράσι δεῖγμα,
Ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.
Ἡ δὲ κόμη τί κατ' ὄψιν; ὑπαντιάσαντι λαβέσθαι.
Νὴ δία τ' ἐξόπιθεν, πρὸς τί φαλακρὰ πέλει;
Τὸν γὰρ ἅπαξ πτηνοῖσι παραθρέξαντά με ποσσὶν
Οὔτις ἔθ' ἱμείρων δράξεται ἐξόπιθεν.
Τοῖον ὁ τεχνίτης με διέπλασεν εἵνεκεν ὑμέων
Ξεῖνε, καὶ ἐν προθύροις θῆκε διδασκαλίην.

V. De lepore capto à cane marino.

Trinacrij quondam currentem in littoris ora, &c.

Hoc epigramma ex tribus Græcis confectum est.

Γερμανικοῦ καίσαρος. τμήμα. α τῶν ἐπιγραμ.

Οὔρεος ἐξ ὑπάτοιο λαγὼς πέσεν ἔς ποτε βένθος,

Ἐκπρο-

Ἐκπροφυγεῖν μεμαὼς τρηχὺν ὀδόντα κυνός.
Ἀλλ' ἄδ' ὡς ἤλυξε κακὸν μόρον αὐτίκα γάρ μιν
Εἰνάλιος μάρψας, πνεύματος ὠρφάνισεν.
Ἐκ πυρὸς ὡς ἄγνος, πέσες ἐς φλόγας. ἦ ῥά σε δαίμων
Κὴν ἁλὶ κὴν χέρσῳ θρέψε κύνεσσι βορήν.

Τοῦ αὐτοῦ.

Ἐκ κυνὸς εἷλε κύων με. τί τὸ ξένον; εἰς ἐμὲ θῆρες
Ὑγροὶ καὶ πεζοὶ θυμὸν ἔχουσιν ἕνα.
Αἰθέρα λοιπὸν ἔχοιτε λαγοὶ βατόν· ἀλλὰ φοβοῦμαι
Οὐρανὲ, καὶ σὺ φέρεις ἀστερόεντα κύνα.

Τιβερίου.

Δίκτυον ἐκθρώσκοντα πολύπλοκον ἄρτι λαγωὸν
Σεῦε κύων θερμοῖς ἴχνεσιν ὠκυπόδην.
Τρηχὺν ὃ δ' ἐκνεύσας ταχινοῖς πάγον, ἐς βαθὺ πόντου
Ἥλατ' ἀλυσκάζων κῦμα παρακτίδιον·
Εἰνάλιος τὸν δ' ἆψα κύων βρυχηδὸν ὀδοῦσι
Μάρψε· κυσὶ τλήμων ἦν ἄρ' ὀφειλόμενος.

VII. De statua Nemesis.

Me lapidem quondam,&c.

Εἰς νέμεσιν. τμήμ. δ.

Καί με λίθον πέρσαι δεῦρ' ἤγαγον, ὄφρα τρόπαιον
Στήσονται νίκας· εἰμὶ δὲ νῦν νέμεσις.
Ἀμφοτέροις δ' ἕστηκα καὶ Ἕλλησι τρόπαιον
Νίκας, καὶ Πέρσαις τοῦ πολέμου νέμεσις.

De varietate Fortunæ.

Thesauro inuento,&c.

Εἰς φιλαργύρους. τμήμ. α.

Πλάτωνος. Οἱ δὲ ἀντιπάτρου.

Χρυσὸν ἀνὴρ ὁ μὲν εὗρεν, ὃ δ' ὤλεσεν. ὃν ὁ μὲν εὑρὼν,
Ῥῖψεν· ὁ δ' οὐχ εὑρὼν, λυγρὸν ἔδησε βρόχον.

Στατυλλίου φλάκκου.

Χρυσὸν ἀνὴρ εὑρὼν, ἔλιπε βρόχον. αὐτὰρ ὁ χρυσὸν
Ὃν λίπεν οὐχ εὑρὼν, ἧψεν ὃν εὗρε βρόχον.

VIII. De Thrasybulo Lacedæmonio.

Excipis aduerso quod pectore vulnera septem,&c.

Διοσκορίδου. τμήμ. γ.

Τὰ ἑπτὰ Θρασύβουλος ἐπ' ἀσπίδος ἤλυθεν ἄπνους
Ἑπτὰ πρὸς Ἀργείων τραύματα δεξάμενος,
Δεικνὺς πρόσθια πάντα τὰ αἱματόεντα δ' ὁ πρέσβυς
Παῖδ' ἐπὶ πυρκαϊῆς Τύννιχος εἶπε τιθείς.
Δειλοὶ κλαιέσθωσαν, ἐγὼ δὲ σε τέκνον, ἄδακρυς
Θάψω, τὸν καὶ ἐμὸν, καὶ Λακεδαιμόνιον.

De matre Lacæna.

Cum hoc, inquit, aut in hoc redi,

Ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τάν. Olim Lacedæmonij à paruulo ad res bellicas formabantur, & vt primū nati erāt, clypeo imponi solebant, hasta iuxta illum posita: quique præsentes erāt, acclamabāt, ἢ τάν, ἢ ἐπὶ τάν, id est, aut hunc, aut super hunc, quasi dicerēt: Danda tibi erit opera, vbi adoleueris, vt hūc clypeum saluum ab hostibus reportes, vel vt fortiter pro patria dimicando, supra illum morte occumbas.

IX. In simulachrum Sapphus.

Lesbia Pierijs,&c.

Πλάτωνος. τμήμ. α.

Ἐννέα τὰς μούσας φασίν τινες ὡς ὀλιγώρως,

Ἠνὶ

Ἠνὶ δὲ κ' Σαπφὼ λεσβόθεν ἡ δεκάτη.

XII. De Pallade volente certare armis cum Venere.

Armatam vidit Venerem.&c.

Εἰς τὴν ἀφροδίτην ὡπλισμένην.

ἀδέσποτον. τμήμ. δ.

Παλλὰς τὰν κυθέρειαν ἔνοπλον εἶπεν ἰδοῦσα·
Κύπρι, θέλεις οὕτως ἐς κρίσιν ἐρχόμεθα;
Ἡ δ' ἁπαλὴ γελάσασα, τί μοι σάκος ἀντίον αἴρειν,
Εἰ γυμνὴ νικῶ, πῶς ὅταν ὅπλα λάβω.

XIII. In statuam Rufi rhetoris.

Rhetoris hæc Rufi statua est, &c.

Ἄδηλον. τμήμ. β.

Εἰκὼν ἡ Σέξτου μελετᾷ, Σέξτος δὲ σιωπᾷ,
Ῥήτωρ ἣν εἰκὼν, ὁ δὲ ῥήτωρ εἰκόνος εἰκών.

XIIII. De Diogene.

Pera, polenta, τρίβων, &c.

Ἀντιπάτρου. τμήμ. γ.

Βάκτρον, καὶ πήρη, καὶ διπλόον εἷμα σοφοῖο
Διογένευς, βιότου φόρτος ὁ κουφότατος.

XIIII. De Crœso & Diogene.

Effigiem Rex Crœse tuam, &c.

Ἄδηλον. τμήμ. α.

Ἐλθὼν εἰς αἴδην, ὅτε δὴ σοφὸν ἤνυσε γῆρας,
Διογένης ὁ κύων, κροῖσον ἰδὼν ἐγέλα.
Καὶ στρώσας ὁ γέρων τὸ τριβώνιον ἐγγὺς ἐκείνου,

Τῷ πολιῷ ἐκ ποταμοῦ χρυσὸν ἀφυσσαμένου,
Εἶπεν ἐμοὶ καὶ νῦν πλείων τόπος. ὅσσα γὰρ εἶχον,
Πάντα φέρω σὺν ἐμοί, Κροῖσε, σὺ δ' οὐδὲν ἔχεις.

XV. De imagine Veneris sculpta à Praxitele.

Vera Venus fictam cum vidit Cyprida,&c.

Εἰς ἄγαλμα ἀφροδίτης τῆς ἐν κνίδῳ.

Πλάτωνος. τμήμ. δ.

Ἡ παφίη κυθέρεια δι' οἴδματος ἐς κνίδον ἦλθε,
Βουλομένη κατιδεῖν εἰκόνα τὴν ἰδίην.
Πάντη δ' ἀθρήσασα περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ,
Φθέγξατο ποῦ γυμνὴν εἶδέ με πραξιτέλης;
Πραξιτέλης οὐκ εἶδεν, ἃ μὴ θέμις, ἀλλ' ὁ σίδηρος
Ἔξεσεν, οἵαν ἄρης ἤθελε τὴν παφίην.

In buculam æream Myronis.

Bucula sum cælo,&c.

Εἰς τὴν Μύρωνος βοῦν. τμήμ. δ.

Βοίδιόν εἰμι Μύρωνος, ἐπὶ στήλῃ δ' ἀνάκειμαι·
Βουκόλε κεντήσας εἰς ἀγέλην μ' ἄπαγε.

Εἰς τὸ αὐτό.

Τίπτε Μύρων με τὸ βοίδιον ἐνταυθοῖ παρὰ βωμοῖς
Ἵδρυσας; οὐκ ἐθέλεις εἰσαγέμεν μέγαρον;

Ἀνακρέοντος εἰς τὸ αὐτό.

Βουκόλε τὰν ἀγέλαν πόῤῥω νέμε, μὴ τὸ μύρωνος
Βοίδιον ὡς ἔμπνουν βουσὶ συνεξελάσῃς.

Εὐήνου

Εὐήνου εἰς τὸ αὐτό.

Ἢ τὸ δέρας χάλκειον ὅλον βοὶ τᾷδ' ἐπίκειται
Ἔκτοθεν, ἢ ψυχὴν ἔνδον ὁ χαλκὸς ἔχει.

Ἀντιπάτρου εἰς τὸ αὐτό.

Μόσχε τί μοι λαγόνεσσι προσέρχεαι; τίπτε δὲ μυκᾷ;
Ἁ τέχνα μαζοῖς οὐκ ἐνέθηκε γάλα.

Εἰς τὸ αὐτό.

Τὰν δάμαλιν βούπορδε παρέρχεο. μηδ' ἀπάνευθεν
Συρίσδης· μασῷ πόρτιν ὑποδέχεται.

Εἰς τὸ αὐτό. Δημητρίου.

Ἢν μ' ἐσίδῃ μόσχος, μυκήσεται· ἢν δέ γε ταῦρος,
Βήσεται· ἢν δὲ νομεύς, εἰς ἀγέλην ἐλάσει.

Τοῦ αὐτοῦ.

Ὧδε μύρων μ' ἔστησε τὸ βοίδιον· οἱ δὲ νομῆες
Βάλλουσίν με λίθοις, ὡς ἀπολειπομένην.

Qui plura huius argumenti requirit, consulat IIII. Epigram. tit. Εἰς ἀγάλματα ζώων.

XVIII. De Achilla, qui dissecuit caluariam.

Abiecta in triuijs inhumati glabra iacebat, &c.

Ἄδηλον. τμῆμ. α.

Κρανίον ἐν τριόδοισι κατοιχομένου τις ἐσαθρῶν,
Εἰκόνα τὴν κοινὴν οὐκ ἐδάκρυσε βίου.
Δεξιτερὴν δ' ἔρριψεν ἐπὶ χθόνα, καὶ λίθον ἧκε,
Κωφὸν μὲν δοκέοντ', ἀλλὰ πνέοντα δίκης·
Ὀστέον ὡς γὰρ ἔπληξεν, ἀφήλατο, καὶ τὸν ἀφέντα
Πήρωσε γλυκεροῦ βλέμματος ὀρφανίσας·

Καὶ πάλιν εἰς ἀΐδην ἐκολάζετο. τὴν ἰδίην δὲ
  Ἔκλαυσεν χειρῶν εὔστοχον ἀφροσύνην.

De Alcone medico, & Diodoro haruſpice.

Languenti Marco dixit Diodorus haruſpex, &c.

Λουκιλλίου. τμῆμ. β.

Ἑρμογένην τὸν ἰατρὸν ὁ ἀστρολόγος Διόφαντος
  Εἶπε μόνους ζωῆς ἐννέα μῆνας ἔχειν·
Κἀκεῖνος γελάσας, τί μὲν ὁ Κρόνος ἐννέα μηνῶν
  Φησὶ λέγει, σὺ νόει, πάρα δὲ σύντομά σοι.
Εἶπε, καὶ ἐκτείνας μόνον ἥψατο, καὶ Διόφαντος
  Ἄλλον ἀπελπίζων, αὐτὸς ἀπεσκάρισεν.

XIX. De ſigno Iouis tacto ab Alcone medico.

Alcon heſterno &c.

Λουκιλλίου. τμῆμ. β.

Τοῦ λιθίνου Διὸς ἐχθὲς ὁ κλινικὸς ἥψατο Μάρκος·
  Καὶ λίθος ὢν καὶ Ζεύς, σήμερον ἐκφέρεται.

XX. Ad Cupidinem.

Hoc quod amare vocant, &c.

Λουκιλλίου. τμῆμ. ζ.

Ἢ τὸ φιλεῖν περίγραψον Ἔρως ὅλον, ἢ τὸ φιλεῖσθαι
  Πρόσθες, ἵν' ἢ λύσῃς τὸν πόθον, ἢ κεράσῃς.

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt, &c.

Λουκιανοῦ. τμῆμ. α.

Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι· ἢν δὲ βραδύνῃ,
  Πᾶσα χάρις κενή, μηδὲ λέγοιτο χάρις.

XXI. In ſaltatorem ineptum.

Dece-

Deceptæ felix casus se miscuit arti, &c.

Λουκιλλίου. τμήμ. β.

Πάντα καθ' ἱστορίαν ὀρχούμενος, ἓν τὸ μέγιστον
    Τῶν ἔργων παριδὼν, ἠνίασας μεγάλως·
Τὴν μὲν γὰρ νιόβην ὀρχούμενος, ὡς λίθος ἔστης,
    Καὶ πάλιν ὡς καπανεὺς ἐξαπίνης ἔπεσες.
Ἀλλ' ἐπὶ τῆς κανάκης ἀφυῶς, ὅτι καὶ ξίφος ἦν σοι,
    Καὶ ζῶν ἐξῆλθες, τοῦτο παρ' ἱστορίαν.

De eodem.

Daphnen & Nioben, &c.

Παλλαδᾶ. τμήμ. β.

Δάφνην καὶ νιόβην ὠρχήσατο μέμφις ὁ σιμός·
    Ὡς ξύλινος δάφνην, ὡς λίθινος νιόβην.

XXII. Pulchrum Dei responsum.

Doctus Hylas cestu, &c.

Λουκιλλίου. τμήμ. β.

Πρὸς τὸν μάντιν ὄλυμπον ὀνήσιμος ἦλθ' ὁ παλαιστὴς,
    Καὶ πένταθλος ὕλας, καὶ σταδιεὺς μενεκλῆς,
Τίς μέλλει νικᾶν αὐτῶν τὸν ἀγῶνα, θέλοντες
    Γνῶναι· κἀκεῖνος τοῖς ἱεροῖς ἐνιδών·
Πάντες ἔφη νικᾶτε, μόνον μή τίς σε παρέλθῃ,
    Καί σε καταστρέψῃ, καί σε παρατροχάσῃ.

XXIII. De Hermaphrodito.

Mercurio genitore satus, &c.

Εἰς ἑρμαφρόδιτον ἐν λουτρῷ ἱστάμενον. τμήμ. δ.

Ἀνδράσιν ἑρμῆς εἰμί· γυναιξὶ δὲ κύπρις ὁρῶμαι·
    Ἀμφοτέρων δὲ φέρω σύμβολα μαιτοκέων.

Τοὔνεκεν οὐκ ἀλόγως με τὸν ἑρμαφρόδιτον ἔθεντο
Ἀνδρογυνοῖς λουτροῖς παῖδα τὸν ἀμφίβολον.

XXV. In Venerem ἀναδυομένην.

Emersam pelagi,&c.

Εἰς ἀφροδίτην ἀνερχομένην ἀπὸ θαλάττης.

τμῆμ. δ'.

Τὰν ἀναδυομέναν ἀπὸ ματέρος ἄρτι θαλάττας
Κύπριν, ἀπελλείου μόχθον, ὅρα γραφίδος,
Ὡς χερὶ συμμάρψασα διάβροχον ὕδατι χαίταν
Ἐκθλίβει νοτερῶν ἀφρὸν ἀπὸ πλοκάμων.
Αὐταὶ νῦν ἐρέουσιν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη·
Οὐκέτι σοι μορφᾶς εἰς ἔριν ἐρχόμεθα.

XXVII. In Didus imaginem.

Illa ego sum Dido, &c.

Ἀδέσποτον. τμῆμ. δ'.

Ἀρχέτυπον Διδοῦς ἐρικυδέος ὦ ξένε λεύσσεις,
Εἰκόνα θεσπεσίῳ κάλλεϊ λαμπομένην·
Τοίη καὶ γενόμην, ἀλλ' οὐ νόον, οἷον ἀκούεις,
Αἰσχρὸν, ἐπ' εὐφήμοις δόξαν ἐνεγκαμένη.
Οὐδὲ γὰρ αἰνείαν ποτ' ἐσέδρακον, οὐδὲ χρόνοισι
Τροίης περθομένης ἤλυθον ἐς λιβύην.
Ἀλλὰ βίας φεύγουσα ἰαρβαίων ὑμεναίων,
Πῆξα κατὰ κραδίης φάσγανον ἀμφίτομον·
Πιερίδες, τί μοι ἁγνὸν ἐφωπλίσσασθε μάρωνα;
Τοῖα καθ' ἡμετέρης ψεύσατο σωφροσύνης.

XXVIII. In Faustulum.

Faustulus insidens formicæ,&c.

Λουκιλλίου. τμῆμ. β'.

Ἱπ-

Ἱππεύων μύρμηκι μεμέσερατος ὡς ἐλέφαντι,
Δύσμορος ἐξαπίνης ὕπτιος ἐξεπέθη·
Λακτισθεὶς δ' ὡς εἶχε τὸ καίριον, ὦ φθόνε φησὶν
Οὕτως ἱππεύων ὤλετο καὶ φαέθων.

XXX. In Medeæ imaginem.

Medeam vellet cùm pingere, &c.

Ἀντιφίλου βυζαντίου. τμήμ. δ.

Τὰν ὀλοὰν μήδειαν ὅτ' ἔγραφε τιμομάχου χεὶρ,
Ζάλῳ καὶ τέκνοις ἀντιμεθελκομέναν,
Μυρίον ἄρατο μόχθον, ἵν' ἤθεα δισσὰ χαράξῃ,
Ὧν τὸ μὲν εἰς ὀργὰν νεῦε, τὸ δ' εἰς ἔλεον·
Ἄμφω δ' ἐπλήρωσεν. ὅρη τύπον· ἐν γὰρ ἀπειλῇ
Δάκρυον, ἐν δ' ἐλέῳ θυμὸς ἀναστρέφεται.
Ἀρκεῖ δ' ἁ μέλλησις, ἔφα σοφός· αἷμα δὲ τέκνων
Ἔπρεπε μηδείῃ, κ' οὐ χερὶ τιμομάχου.

Aliud in eandem.

Quis te pictorum, &c.

Φιλίππου. τμήμ. δ.

Τίς σου κολχὶς ἄθεσμε συνέγραφεν εἰκόνι θυμὸν,
Τίς καὶ ἐν εἰδώλῳ βάρβαρον εἰργάσατο;
Αἰεὶ γὰρ διψᾷς βρεφέων φόνον· ἤ τις ἰήσων
Δεύτερος, ἢ γλαύκη τίς πάλι σοι πρόφασις;
Ἔρρε καὶ ἐν κηρῷ παιδοκτόνε. σῶν γὰρ ἀμέτρων
Ζήλων εἰς ἃ θέλεις, καὶ γραφὶς αἰσθάνεται.

Ἀδέσποτον εἰς τὸ αὐτό.

Δεῦρ' ἴδε παιδολέτειραν ἐν εἰκόνι. δεῦρ' ἴδ' ἄγαλμα,
Κολχίδα τιμομάχου χειρὶ τυπωσαμένου.

Φάσγανον ἐν παλάμᾳ, θυμὸς μέγας, ἄγριον ὄμμα.
Παισὶν ἐπ' οἰκτίστοις δάκρυ καταρχόμενον.
Πάντα δ' ὁμοῦ συνέχευεν. ἄμικτά τε εἰς ἓν ἀγείρας
Αἵματι μὴ χρῶσαι φεισάμενος παλάμαν.

XXXI. In cæcum & claudum.

Insidens cæco,&c.

Φιλίππου. οἱ δὲ Ἰσιδώρου. τμήμ. α.

Πηρὸς ὁ μὲν γυίοις, ὁ δ' ἄρ' ὄμμασιν, ἀμφότεροι δὲ
Εἰς αὐτοὺς τὸ τύχης ἔνδεες ἡρμόνισαν·
Τυφλὸς γὰρ λιπόγυιον ἐπωμάδιον βάρος αἴρων,
Ταῖς κείνου φωναῖς ἀτραπὸν ὠρθοβάτει·
Πάντα δὲ ταῦτ' ἐδίδαξε πικρὴ πανότολμος ἀνάγκη,
Ἀλλήλοις μερίσαι τὠλλιπὲς εἰς ἔλεον.

Εἰς τὸ αὐτό.

Τυφλὸς ἀλητεύων χωλὸν πόδας ἠέρταζεν,
Ὄμμασιν ἀλλοτρίοις ἀντερανιζόμενος.
Ἄμφω δ' ἡμιτελεῖς πρὸς ἑνὸς φύσιν ἡρμόσθησαν,
Τὠλλιπὲς ἀλλήλοις ἀντιπαρασχόμενοι.

Εἰς τὸ αὐτὸ Πλάτωνος νεωτέρου.

Ἀνέρα τις λιπόγυιον ὑπὲρ νώτοιο λιπαυγὴς
Ἦγε πόδας χρήσας, ὄμματα χρησάμενος.

XXXII. In Grammaticum.

Felix Grammaticus non est,&c.

Παλλαδᾶ. τμήμ. α.

Ἀρχὴ γραμματικῆς πεντάστιχός ἐστι κατάρα·
Πρῶτος μῆνιν ἔχει, δεύτερος οὐλομένην.
Καὶ μετ' δ' οὐλομένην Δαναῶν πάλιν ἄλγεα πολλά,

Ὁ τρί-

Ὁ τρίτατος ψυχὰς εἰς ἀίδην κατάγει.
Τοῦ δὲ τεταρταίου τὰ ἑλώρια καὶ κύνες ἀργοί.
Πέμπτου δ' οἰωνοὶ καὶ χόλος ἐστὶ Διός.
Πῶς ἂν γραμματικὸς δύναται μετὰ πέντε κατάρας,
Καὶ πέντε πτώσεις μὴ μέγα πένθος ἔχειν;

De infausto matrimonio Grammatici.

Παλλαδᾶ. τμήμ. α.

Μῆνιν τ' οὐλομένην γαμετὴν ὁ τάλας γεγάμηκα,
Καὶ παρὰ τῆς τέχνης μήνιδος ἀρξάμενος.
ὤμοι ἐγὼ πολύμηνις, ἔχων διχόλωτον ἀνάγκην,
Τέχνης γραμματικῆς, καὶ γαμετῆς μαχίμης.

De fratribus Thebanis.

Nec Stygijs lucis ineunt sua fœdera fratres, &c.

Βιάνορος. τμήμ. γ.

Οἰδίποδος παίδων θήβη τάφος, ἀλλ' ὁ πανώλης
Τύμβος, ἔτι ζώντων αἰσθάνεται δοράτων.
Κείνους οὔτ' ἀίδης ἐδαμάσσατο κἠν ἀχέροντι
Μάρνανται, κείνων χὠ τάφος ἀντίπαλος·
Καὶ πυρὶ πῦρ ἤλεγξαν ἐναντίον. ὦ ἐλεεινοὶ
Παῖδες, ἀκοιμήτων ἁψάμενοι δοράτων.

XXXIII. In Stellam.

Stella prius superis fulgebas, &c.

Πλάτωνος. τμήμ. γ.

Ἀστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν ἑῷος,
Νῦν δὲ θανὼν λάμπεις ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

Ex Menandro.

Re fruere vt natus mortalis,&c.

Λουκιανοῦ. τμήμ. α.

Ὡς τεθνηξόμενος τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
Ὡς δὲ βιωσόμενος φείδεο σῶν κτεάνων.
Ἔστι δ' ἀνὴρ σοφὸς οὗτος, ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας
Φειδοῖ καὶ δαπάνῃ μέτρον ἐφηρμόσατο.

XCI. In signum marmoreum Niobes.

Viuebam sum facta silex,&c.

Εἰς ἄγαλμα Νιόβης. τμήμ. δ.

Ἐκ ζωῆς με θεοὶ τεῦξαν λίθον· ἐκ δὲ λίθοιο
Ζωὴν Πραξιτέλης ἔμπαλιν εἰργάσατο.

XCII. De eodem.

Habet sepulchrum,&c.

Εἰς Νιόβην. τμήμ. γ. Ἀγαθίου.

Ὁ τύμβος οὗτος ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρόν·
Ὁ νεκρὸς οὗτος ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον·
Ἀλλ' αὐτὸς αὐτοῦ νεκρός ἐστι καὶ τάφος.

XCII. In Diogenis Cynici sepulchro, cui pro titulo canis signum est.

Dic canis hic cuius tumulus?&c.

Εἰς Διογένην τὸν κύνα τμήμ. γ.

Εἰπὲ κύον, τίνος ἀνδρὸς ἐφεστὼς σῆμα φυλάσσεις;
Τοῦ κυνός. ἀλλὰ τίς ἦν οὗτος ἀνὴρ ὁ κύων;
Διογένης γένος εἰπὲ Σινωπεύς. ὃς πίθον ᾤκει,
Καὶ μάλα. νῦν δὲ θανὼν, ἀστέρας οἶκον ἔχει.

XCIII.

XCIII. Epitaphium Callicrateæ.

Viginti atque nouem.&c.

Ἀδέσποτον. τμῆμ. γ.

Εἴκοσι καλλικράτεια, καὶ ἐννέα τέκνα τεκοῦσα,
Οὐδενὸς οὐδὲ μιᾶς ἐδρακόμην θάνατον,
Ἀλλ' ἑκατὸν καὶ πέντε διηνυσάμην ἐνιαυτοὺς,
Σκήπωνι τρομερὰν οὐκ ἐπιθεῖσα χέρα.
Ἀδ' ἐγὼ ἡ πρείσβιστος ὑπὸ πλακὶ τῇδε τέθαμμαι,
Μούνῳ ἐνὶ ζώναν ἀνέρι λυσαμένη.

CXX. De ſeptem ſapientibus.

Septenis patriam ſapientum,&c.

Ἀποφθέγματα τῶν ἑπτὰ σοφῶν.

Ἑπτὰ σοφῶν ἐρέω κατ' ἔπος πόλιν, οὔνομα, φωνήν·
Μέτρον μὲν κλεόβουλος ὁ λίνδιος εἶπεν ἄριστον.
Χίλων δ' ἐν κοίλῃ Λακεδαίμονι Γνῶθι σεαυτόν·
Ὃς δὲ κόρινθον ἔναιε χόλου κρατέειν περίανδρος.
Πιττακὸς, οὐδὲν ἄγαν, ὃς ἔην γένος ἐκ μιτυλήνης.
Τέρμα δ' ὁρᾶν βιότοιο σόλων ἱεραῖς ἐν ἀθήναις.
Τοὺς πλέονας κακίους δὲ βίας ἀπέφηνε πριηνεύς.
Ἐγγύην φεύγειν δὲ θαλῆς μιλήσιος ηὔδα.

CLXXXIII. De vita humana.

Quod vitæ ſectabor iter,&c.

Ποσειδίππου, οἱ δὲ κράτητος τοῦ κυνικοῦ.

τμῆμ. α.

Ποίην τις βιότοιο τάμοι τρίβον; εἰν ἀγορῇ μὲν
Νείκεα, καὶ χαλεπαὶ πρήξιες. ἐν δὲ δόμοις
Φροντίδες. ἐν δ' ἀγροῖς καμάτων ἅλις. ἐν δὲ θαλάσσῃ
Τάρβος. ἐπὶ ξείνης δ' ἢν μὲν ἔχῃς τι, δέος.

Ἦν δ' ἀπορῇς, ἀνιηρόν. ἔχεις γάμον; οὐκ ἀμέριμνος
 Ἔσσεαι. οὐ γαμέεις; ζῇς ἔτ' ἐρημότερον.
Τέκνα, πόνοι· ἀπήρωσις, ἄπαις βίος. αἱ νεότητες
 Ἄφρονες· αἱ πολιαὶ δ' ἔμπαλιν ἀδρανέες.
Ἦν ἄρα τοῖν δυοῖν ἑνὸς αἵρεσις· ἢ τὸ γενέσθαι
 Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.

CLXXXVII. Ætates animalium.

Ter binos deciésque nouem &c.

Plutarchus in commentario περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, citat Hesiodum sub persona Naidis ætates animalium varias his versibus complectentem.

Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
Ἀνδρῶν ἡβώντων· ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος.
Τρεῖς δ' ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεται· αὐτὰρ ὁ φοῖνιξ
Ἐννέα τοὺς κόρακας. δέκα δ' ἡμεῖς τοὺς φοίνικας
Νύμφαι Εὐπλόκαμοι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

CLXXXVIII. Ærumnæ Herculis.

Prima Cleonæi tolerata ærumna leonis, &c.

Εἰς τοὺς δώδεκα ἄθλους τοῦ Ἡρακλέους τμήμ. δ.

Πρῶτα μὲν ἐν νεμέῃ βριαρὸν κατέπεφνε λέοντα.
Δεύτερον ἐν λέρνῃ πολυαύχενον ὤλεσεν ὕδρην.
Τὸ τρίτον αὖτ' ἐπὶ τοῖς ἐρυμάνθιον ἔκτανε κάπρον.
Χρυσόκερων δ' ἔλαφον μετὰ ταῦτ' ἤγρευσε τέταρτον.
Πέμπτον δ' ὄρνιθας συμφηλίδας ἐξεδίωξεν.
Ἕκτον ἀμαζονίδος κόμισε ζωστῆρα φαεινόν.
Ἕβδομον αὐγείου πολλὴν κόπρον ἐξεκάθηρεν.

Ὄγδοον

Ὄγδοον ἐκ κρήτης δὲ πυρίπνοον ἤλασε ταῦρον.
Εἴνατον ἐκ θρήκης διομήδεος ἤγαγεν ἵππους.
Γηρυόνου δέκατον βόας ἤγαγεν ἐξ ἐρυθείης.
Κέρβερον ἑνδέκατον καὶ ἀνήγαγεν ἐξ ἀΐδαο.
Δωδέκατον δὴ ἐκόμισεν ἐς ἑλλάδα χρύσεα μῆλα.
Τὸ τρισκαιδέκατον τοῖον λυγρὸν ἔσχεν ἄεθλον,
Μιᾷ ἐν νυχὶ πεντήκοντα ξυνελέξατο κούραις.

FINIS.

EX ELIÆ VENETI EXEMPLARI.

CICERONIS.

CREDE * ratē ventis: animū ne crede puellis.
Nanque est feminea tutior vnda fide.
Femina nulla bona: vel si bona contigit vlla,
Nescio quo fato res mala, facta bona.

* Ex vet. cod. Simeonis Bosij Lem.

QVINTI CICERONIS, *HI VERSVS EO PERTINENT, vt quod signum, quo tempore inlustre sit, nouerimus, quod superius quoque nostris versibus expeditur.

* Hic fuit titulus in vet. cod. Lugdun.

FLVMINA verna ciēt obscuro lumine Pisces.
Curriculúmque aries æquat noctisq; diique.
Cornua quem comunt florum prænuncia Tauri.
Aridáque æstatis Gemini primordia pandunt.
Longáque iam minuit præclarus lumina Cancer.
Languificúsque Leo proflat ferus ore calores,
Post modiū quatiens Virgo, fugat orta vaporem.
Autumni reserat portas: æquátque diurna
Tempora nocturnis dispenso sidere Libra.

Et fetos ramos denudat flamma Nepai.
Pigra sagittipotens iaculatur frigora terris.
*Bruma gelu glacians iubar est spirãs Capricorni.**
Quẽ sequitur nebulas rorans liquor altus Aquari.
*Tanta supra circáque vigent tũ flumina Mundi.**
At dextra, læuáque ciet rota fulgida Solis
Mobile curriculum. & Lunæ simulachra ferũtur.
Squama sub æterno conspectu torta Draconis
*Eminet. hunc inter fulgentes æthera septem**
Magna quatit stellans. quam seruans serus in alta
*Conditur Oceani ripa cum luce Bootis.**

Hoc Epigramma referri poterit ad pag. 191. vbi Ausonii aliud eiusdem argumenti de Signis cœlestibus habetur.

DECII

DECII AVSO-
NII GALLI BVRDI-
GALENSIS POETAE
Christiani vita.

Ex Petri Criniti de Poetis Latinis lib. 5. cap. 87. desumpta.

DEcivs Ausonius, genere Gallus, patria Burdigalensis fuit. Quod apertè indicatur ex ipsius scriptis locis cum pluribus, tum præcipuè his versibus,

Burdigala est natale solum: clementia cœli
Mitis: vbi & riguæ larga indulgentia terræ.

Vixit, vt constat, imperantibus Valentino & Valētiniano Augustis, quibus magnoperè acceptus traditur, ob ingeniū atque excellentem doctrinam: sed longè nobilior factus est sub Gratiano Cæsare, quem in Latinis literis atque honestis disciplinis magna diligentia erudiuit, vt paulò pòst dicemus. Parentē habuit nomine Ausoniū, professione medicum, multísque ac variis honoribus

Epig. 13. cla. vrb. vide progeniem eius, edyll. 1. Parentes verò, lib. *Parentaliū*, passim à p. 45. ad 62.

illustratum, quod ipse Poeta Ausonius testatur eo carmine, quo pietatẽ suam professus est in deplorãdo obitu patris. Quidam imperitissimè faciunt, qui ad hunc poetam ea referunt, quæ ad patrẽ Ausonii pertinent. Cęsar Valentinianus tantum concessit moribus atque doctrinæ Ausonii, vt eum præcipuè delegerit inter cæteros omnes, qui Gratianum filium instrueret, eiúsque ingenium Latinis literis erudiret. Quocirca maximã nobilitatem adeptus est: adeò vt, paulò post patrocinio Cæs. Gratiani prouectus fuerit ad Consularem dignitatem, *quàm honestissimis suffragiis: vt abũdè percipitur ex illa nobili gratiarũ actione, qua Imperatori optimo & discipulo humanissimo gratulatur. Permulta composuit, & prosa oratione, & carmine Librum Epigrammatum magna ex parte à Græcis poetis acceptum in Latinos numeros conuertit mira elegãtia, paríque ingenio. Fuit enim Græcè ac Latinè peritissimus, vt eius opuscula demonstrant. De iis vrbibus scripsit, quæ nobiliores, atque clariores haberẽtur, vario & multiplici genere carminum Ex quo poemate, quædam adhuc veluti fragmenta leguntur. *Cæsares item*

al. *nec non.*

vide p. 102.

Romanos,

Romanos, & Burdigalenses professores, carmine prosequutus est. Itémque Heroes, qui Troiano bello interfuerunt. Puellam nomine Bissulam multis carminibus celebrauit, admiratus egregiam illius formam, singularémque venustatem. De fluuio Mosella, qui Lingonum fines prætergrediens in Rhenum influit, *multa cecinit.* In quo maximam laudem (vt est author Symmachus) iure optimo sibi vindicauit. Si quidem incredibili elegantia vtitur in eo describendo. Fastorum præterea libros absoluit: opus certè maximi laboris, ac multarum vigiliarum. A principio enim vrbis conditæ auspicatus est, continuato ordine vsque ad suum consulatum, vt ipse iis versibus testatur:

pag.95. p.63. p.85. p.137. p.141. p.35. vide sup. p.36.

Vrbis ab æterno deductam Rege Quirino
Annorum seriem cū Procule accipies.
Mille annos centū & bis fluxisse nouenos
Consulis Ausonij nomen adúsque leges.
Fors erit vt lustrum cū se cumulauerit istis,
Confectam Proculus signet Olympiadē:

Inter amicos præcipuè habuit Tetradium Gallum, Paulinum poetam, & Hesperium: quorum studiū atque beneuolentiam pluribus ac variis episto-

p.220. à p. 230. ad 247

p.203.

lis testatur. Symmachus autem vir cõsularis, & apprimè doctus, tantum poetæ Ausonio detulit, vt assertum ab eo sit, neminem esse omnium mortalium quem in officio amicitiæ illi compararet. Extãt adhuc epistolæ ipsius Symmachi, velut optimi testes tã mutuæ, támque singularis inter se necessitudinis. Neque dubium est eundem Ausonium inter Christianos relatum, quod illius opera multis locis demonstrant. De obitu ipsius nihil certi habetur ex veterum lectione: etsi quidam tradant nonagenarium obiisse: sed in magno errore decipiuntur, cùm ad ipsius parẽtem pertineat. *Hæc Crinitus.* Plura vide apud Scalig. in lectionibus in hũc poetam lib. 2. cap. vlt.

à p. 301. ad 306. & 157. 226. vide & passim lib. 1. Auson. epistol.

IOSEPHI

SCALIGERI IVL. CÆS. F.

AVSONIANARVM LECTIONVM LIBRI DVO.

Adiectis præterea, Doctissimorum id genus authorum: vtpote Adriani Turnebi, Hadriani Iunij, Guilelmi Canteri, Iusti Lypsij, & Eliæ Vineti notis.

EXCVDEBAT,
IACOBVS STOER.

M. D. LXXXVIII.

IOSEPHVS SCALIGER *liger Iul. Caes. F. Eliae Vineto Santoni suo S. Burdegalam.*

LVgdunensis Typographus noster mi Vinete, ante hos tres menses scribens ad me Lugduno de Ausonio, quem edere in animo habebat, verbis tuis rogauit me, si quid haberem, quo editionem suam meliorē fieri posse putarem, ne se eo carere diutius paterer, sed libenter ac benigne quod haberē sibi communicarē. Id te pro ea, quae inter nos est amicitia, summopere à me contendere. Quibus illico percussit animum, te ante annum non vnis literis de hac re saepe mecum egisse, praesertim sub id tempus, quo in Germaniā cogitabam. Quod statim ea, quae à me petebas, non praestiterim, profectio illa mea satis apud te excusare debet, si angustias, quibus tū cogebar, spectes. Si autem eius otii, quo liberrimo postea frui mihi contigit, ratio habeatur, videbor nō omnino extra culpā esse. Tamen quid poteram, obsecro te omnibus scriptis meis, quae mecum non attuleram, ita incogitans fui destitutus? Quare etiam post literas illius expectanda mihi fuerūt aliquot schedia mea: in quibus quaedam meminerā à me perscripta,

quibus obſcuriores quoſdam huius poetæ locos illuſtrari poſſe credebā: cuius generis non pauca in aliquot bonos auctores habeo. Interea Typographus ceſſantē vrgere, nullū tēpus admonedi prætermittere. Quare ego, etſi iniquis ſpaciis me excludi viderem, quod breuiſsimum mihi ad has commentatiunculas tempus relinqueretur, tamē receptis ſchediis illis, hæc qualiacunque & in gratiam tui, & in honorem ſummi poetæ noſtratis exaraui. Quod enim commentarios plene in eum inſtituere non potuerim, excuſauerint anguſtiæ, quibus premi me videbā. Præterea cum certus ſim te ab hinc multis annis Commentarios in hunc Poetam adornare: quod eſſet os meum, poſt tuam meſſem vel ſpicilegiū ſperare? quid aliud eſſet poſt te ſcribere, quàm me in nobiliſſimo theatro traducere? Quare hoc genere ſcribendi vſus ſum, vt quicquid ſub acumen ſtili incideret, chartæ illinerem, ne in ordine ſeruando vlla hora cōmentandi mihi periret. quod ſane in Commētariis ſcribendis facere non potuiſſem, Ne forte, qui hoc viderint, iudicium potius meum in hoc facto requirāt, quàm mihi tempus, vt melius facerē, defuiſſe doleant. De ordine verò poematum Auſonianorum, nequid intentatum relinquerēmus, etiā conſiliū ipſi Typographo dedimus. Poematia ipſa Correctorum audaci-

eia, & contactu contaminata purgauimus, caſtigauimus, & in meliorem ordinē digeſſimus. Quæ mutata fuerant ante aliquot quinquaginta annos, & à quibus mutata, indicauimus. vbi Corrector Lugdunenſis in peroptimo Codice, quem & nobis videre contigit, perplurima aut perperam legerat, aut de induſtria mutarat: ea non tantū indicauimus, ſed & priſtinæ integritati, quàm commodiſſime fieri potuit, reſtituimus. Libelli poematū ita, vt à te concepti fuerant. Epigrammatum, Parentalium, Profeſſorum Burdigalenſ. Epiſtolarum, vt ſedibus ſuis ſecuri. & incolumes manerent, curauimus: quia de omnibus à Typographo certior factus eſſem. Tamē vt quædam diſponenda, ac digerēda eſſent, declarauimus. Quæ omnino ita, vt excudenda curauimus, eſſe debere, te mihi adſtipulaturum confido. Quoſdam eſſe, quibus hic poeta non placet, id verò animū noſtrum exercere non debet. Sunt enim iidē, qui dicunt Garumnam fluuiolum eſſe. Burdigalā oppidulum. Aquitaniam ipſam non maiorem eſſe, quàm ſunt illæ præpoſituræ, quæ vno tantū Epiſcopatu, aut diœceſi continentur: ita vt Senatus ipſe Burdigalenſis eorum ſermone ſit tantum vna decuria Senatuli municipalis. Cum eos ita loquentes audis, riſum potes abſtinere? Et non ridebis, cum Auſonium bonū poetam negāt?

Et tamen non à plebe hæc audias, ſed ab illis, qui honoribus ampliſſimis funguntur, qui in luce hominum verſantur, qui in literis aliqui videri volunt. Nā nobilitati Galliæ, quæ putat in Gallia nihil eſſe boni, præter eum tractum aut regionem, quam Franciam vocamus, & iuuentuti Franciciæ, quæ eodem morbo laborat, in illo præcipiti calore ætatis qui illis aciem mentis perſtringit: & plebi, quam poſtulare ſapere, eſt cum ratione inſanire, facile ignoſco. At illos magnos viros hoc dicere, quis poterit pati? Nos, qui neque acuti, neque adeo hebetes in iis rebus ſumus, eos ampliſsimos viros, ſiquid de ſupercilio remittere velint, poſſumus docere, & quid ſit Aquitania, & quid ſit in literis Criticum eſſe. Aliter enim de literis hic apud nos, ac de negotiis in aula diſputatur. Cæterùm, mi Vincete, quia tu primus me ad hæc ſcribenda impuliſti, neq. aliter, quàm à te admonitus, videbar ea ſcripturus fuiſſe, hoc quicquid eſt, lucubratiunculæ meæ, tibi do dedicóq. his legibus, híſque conditionibus, vt quæ tibi diſplicuerint, quæ perperā à me dicta fuerint, quæ melius dici poterant, quàm à me dicta ſint quæ me fefellerint, ea pro tua ſingulari eruditione, & amore in me, ne indicta, néve inemendata relinquas. Vale Baſileæ. IIII. Kal. Septemb. 1573.

IOSE-

IOSEPHI

SCALIGERI

IVLII CÆS. F.

Ausonianarum lectionum liber primus.

Argentoratus. Argentoratensis clades. Argentoratenses campi. Naua. Nah. Nab. Bingium. Niuomagus. Taberna. Sauromatarum Colonia. Argentuarensis clades. CAP. I.

AVSONIANAE Mosellæ principium, quasi in ipso limine impetũ lectoris remoratur, quod obscurũ sit, & multa recõdita habeat, quæ à nõ vulgari historia haurienda sunt. Ea nos, nisi fallor, ità illustranda esse, vt sequitur, putamus. Ausonius viuente adhuc Valentiniano patre, præfectus prætorio Galliarum, Argentorato Treueros proficiscens, multum ac diu Argentoratum ipsum contemplatus est, admiratus noua mœnia, quibus ille vicus nuper circundatus fuerat: cum paucis aliquot ante annis & illum vicum à barbaris vastatum, & cruentam cladem ibidem Barbaris acceptã meminisset. Nam à Cl. Iuliano nobilissimo Cæsare sub Constantio in campis Argentoratensibus cæsæ fuerant infinitæ hostiũ copiæ. Itaque inde recedens, vt iã dixi, Treueros cogitabat. Necesse aũt ei, qui à cãpis Argẽtoratensib. Treueros proficiscitur, Nauã fluuium traiicere. Nã ille fluuius inter illos

fines,& Mosellã interiectus est. Quare nõ obscurè iã intelligis,& vnde proficiscitur Ausonius,& quare flumẽ Nauã se trãsiuisse dicat. Retinet autẽ ille amnis hodie satis certa priscæ appellationis vestigia. Hodie.n.ab ipsis accolis *Nah* vocatur. Caue cõfundas cũ eo,qui *Nab* dicitur. Nam is in Danubiũ influit,cum *Naua* in Rhenũ exoneretur infrà Moguntiacum oppidum. In cuius confluentibus oppidum Bingium est:ac in eo præsidium Romanorũ erat eo loco,quo fluuius ipse ponte iungebatur. Tacitus Annali xx. *Tutor Treueris comitantibus , vitato Moguntiaco Bingium concessit,fidens loco , quia pontem Nauæ fluminis abruperat.* Oritur autẽ in silua Ebersſvvald: & aliquot oppidulis ignobilibus prætexitur. Transiuit autem fluuium Ausonius non ad *Bingium*,quod hodie vocatur *Bingen.* Nam longinquũ est. Sed nõ longè à silua,quæ hodie vocatur *Vnderwald,* quod ab illa silua directum iter ac compendiosum sit ad oppidum Niuomagum, cuius postea meminit. Quin cum ait se fecisse iter per nemorosa auia,nihil aliud innuit,quàm siluam illam, quæ & ipsa hodie itinerum anfractibus, & opaco,vmbrarum horrore formidolosa est. Præterea cùm dicat se ibi nulla humani cultus vestigia vidisse:eorum verborum fidem fecerit natura eius regionis, quæ vix vllo cultu,ne hodie quidem mitescere potest. Quare quicquid inter Nauam,Rhenũ, & Mosellam interiacet, ioculari nomine à Germanis *Hundsruck* vocatur. Id est quasi dicas *dorsum canis*: propter ingenium loci,tum montosum, tum asperum. vt etiam aliquot oppida, & vici nomen à saxis sortita sint,vt *Herstein, Eberstein* : & si qua sunt alia eiusmodi. Non ergo mirum , quare doctissimus poeta se per inculta loca ac ab omni humanitate vasta iter fecisse dicat. ¶Postea vt Niuoma-

gum

gum veniret, se Dumnissum, ac Tabernas, quæcunque illa loca sint (nam adhuc mihi illa ignota sunt) venisse. At *Niuomagus* quidé hodie ex prisca appellatione facilè agnoscitur. Vocatur enim *Neumagen*: Neq; multũ Augusta Treuerorũ distat. ¶*Tabernas* verò vocabant Romani, vbi municiméta contra Barbarorum insultus statuebantur, quales fuerunt Tabernæ montanæ, prope Vveissenburgum: Tabernæ Renéses: Tres Tabernæ. Quod sane videtur & ipse Ausonius indicare, cum dicit, *Sauromatis arua ibi assignata* fuisse. Nam multis Barbarorum ignouerunt Valentinianus, & Gratianus, eósque in loca Galliarum traduxerunt, vt sub signis Romanis militarét: inter quos & Sauromatæ, & Alemãni fuerũt. quod Ausonius ipse in Panegyrico ad Gratianũ testatur *Voca*, inquit, *Germanicum deditione gentilium: Alemannicum traductione captorum: vincendo & ignoscendo Sarmaticum.* Quare quibus ignouit, eos huc traduxisse, eísque agros assignasse omnino necesse est. ¶Ergo, vt omnia à nobis iã dicta paucis comprehendamus, *Argentoratus*, est vicus ille, cui miratur noua mœnia addita. Et, vbi Gallia æquarit Cãnensem cladé. Marcellinus: *Argentoratus*, inquit, *barbaricus cladibus nota.* Nam in Gallia cãpos Argentoratenses collocat, quod sint citra Ellum fluuium, quo terminatur Gallia Sequanica. Et Sex. Aurelius in Gallia eos ponit. Ita enim loquens de Iuliano Cæsare scribit: *Iste in campis Argentoratensibus apud Gallias cum paucis militibus infinitas hostium copias deleuit.* Neq. immerito illam cladem vocatã esse *Cannensem* mirabitur, qui ea, quæ sequuntur apud eũdem Aurelium legerit. *Stabant*, inquit, *acerui montium similes. fluebat cruor fluminum modo. cantus rex nobilis Chonodomarius. fusi omnes optimates redditus limes Romanæ possessionis.* Posset autem ali-

quis suspicari Ausonium potius agere de Argentuarensi clade, qua cæsa sunt à Gratiano Barbarorũ xxx. millia. Sed non potest. nam mortuo patre Valentiniano id accidit. cum Valentinianus viueret quo tẽpore hæc scribebat Ausonius, vt ipse in Epilogo huius luculenti poematis declarat. Præterea recens fuisset illa clades. At Ausonius tanquam veteris meminit, cum dicit *quondam*:

Aequauit latias vbi quondam Gallia Cannas:

Non est igitur de Argentuarensi clade intelligendum, sed de Argentoratensi. ¶ Porrò illud prætermittendũ non est, Ausonium scripsisse *nebuloso lumine*, non *flumine*, in primo versu. Ait enim à campis Argentoratensibus ad Niuomagũ se visum fuisse nebulosa tempestate, propter eius cæli intempestiem. quod ex sequentibus apparet, quum ait,

Purior hic campus aer, Phœbúsque sereno
Lumine purpureum reserat iam sudus olympum.

Opponit enim cælum Niuomagi sudum & serenum, cælo tractus Nauæ nebuloso, & intempesto. Id enim per *lumen nebulosum* intelligit. Ita Horatius loquitur: *Positas vt glaciet niues*
Puro lumine Iuppiter.

Sura. Celbis. locus in Mosella correctus. Erubris. Lesura. Drahonus. Salmona. Alisontia. Sarauus. Sarra. Mosellæ caput. CAP. II.

POstquã molestiis illis, quæ initio Mosellæ impetũ legentis remorabantur, defuncti sumus, non cõmittemus, vt quæ cognitu digna visa sunt in fluuiorũ illorũ historia, qui Mosella excipiũtur, & suis nominib. ab Ausonio recensentur, exponamus, & fluuios illos veteri suæ appellationi restituamus. ¶ Igitur minorũ gentium fluuiorũ qui in Mosellã conueniunt, Ru,

Sellæ,

Sellæ, Iari, Sieri non meminit. sed eius, qui ordine statim sequitur, nempe Suræ, meminit, cùm sit nauigiorũ patiens. ¶ Nã *Sura* nulla cõtrouersia est ille, qui hodie dicitur ab accolis Mosellæ, Saur, & Mosella excipitur ad vicum Billich. ¶ *Celbis* hodie cauda nominis sui trũcatus est. Dicitur enim *Kelb.* Is non longe ab oppido Eringio fluit in Mosellam. Quare nõ solũ in Ausonio *Celbis* legendũ esse hinc apparet, non *Belgis*, vt ineptè alij libri habent: sed etiã in sequenti versu non *celsis*, sed *Celbis* restituẽdum. legendũ enim: *Nobilibus Celbis celebratus piscibus: ille Præcipiti*, &c. Qui versus antea nullã bonam sententiã efficiebant. ¶ Sequitur *Erubris*. Is est plane, qui hodie *Rouer*. & ad cognominẽ sui vicum Mosellæ immiscetur. ¶ Iã *Lesura* manifesto est, qui hodie dicitur, *Die Leser*. & similiter vico nomẽ suum communicat ad cõfluentes suos & Mosellæ. ¶ *Drachonus*, quod vulgò editum est, vitiosum est. Nam melior, & verior antiqua scriptura, quæ habet: *Drahonus*, sine c, non *Drachonus*. Integrum enim nomen retinet, *Die Draon*, vel *Dron*. Is paulo secundum Niuomagum, cuius principio meminit Ausonius, aquas suas Mosellæ confundit. ¶ Deniq; ne *Salmona* quidem nomen suum interpolauit. Integrum enim hodiéq; in ore vulgi versatur: cũ dicatur ab ipsis accolis *Die Salm*. Mosella eum excipit duobus milliaribus Germanicis infra vicum Klustat. ¶ *Alisontiam* non dubito esse eũ, quem *Alf* vocant. Et fortasse non malè legeretur, *Alisontia*. Alij vocant *Die Alb*. In vico cognomine cõmunicat aquas suas ipsi Mosellæ. ¶ De *Pronea*, & *Nemosa*, quia eos fastidit Ausonius, neq; Mosellæ, sed Suræ immiscentur, non magnopere curaui inuestigare. ¶ Superest omniũ eorũ fluuiorum rex *Sarauus*, quẽ ideo præter alios magnificat Ausonius. Nã & naui-

giorum patiens,& aliorum amnium hospitio,quos in se recipit,clarus:&,quod caput omnium esse di cit Ausonius, sub mœnia Augustæ Treuerorũ Mosellam cōuenit,non longe à *Kontherbruk*. Hodiéq; vocatur *Die Sahr*,etiam veteribus *Sarra* dictus. vt patet ex inscriptione, quæ Treueros trãslata est ex oppido ad eum fluuium sito,quod hodie vocatur *Sarpruk*.hoc est,*Sarræ pons*.ea ita habet:

CAES. RO. EXER. IMP. P. R.
S. C. AV. TREVE. INGR
ESSVM H. CASTRA SARRÆ
FLV. PRO MIL. CVSTODIA
BIENN. POTITVS EST.

Vt appareat *Sarpruk* nihil aliud, quàm Castra Ro. exercitus fuisse. Quare diligenter videndũ,ne *Sahr* cum *Saur* confundamus. Nam vt dixi, *Sahr*, est *Sarauus*, vel *Sarra*. *Saur* autem est *Sura*. ¶Quod ait *Torta veste vocat*, allusum ad picturam veterum fluuiorum,qui Carbaso induti finguntur, ita vt ipse Carbasinus amictus nodo tortus ex humeris pendeat. ¶Porrò ipse Mosella in Leucis oritur, supra Tullũ, quod oppidum est episcopale: primum tenuissimo filo,quanquam multorum fontium conuenatũ auxilio auctus, defertur ad Castellũ, quod vulgo vocant: adeo angustus, vt ponticulo ex singulari trabe iũctus trãsiri soleat. Inde auxiliaribus riuulis mox paulatim incrementa capiens, ad ipsum oppidum Tullum: deinde ad aliud oppidum, quod vulgo pō tem Amassonium vocant, defertur: vt iam primùm incipiat nauigia pati, & ita ad Confluentes notissimum oppidũ Rhenũ ingreditur, exceptis intra se præter eos fluuios, quorũ meminit Ausonius, Ra,

Mosa

Mosa,(alius est à Mosa illo magno fluuio) Sella,Iaro,Siero,Bisero,& Kurenbacho.

Sturio. Salar. Fario. Trutta. Τρώκτης Siluri. mira de Araris Clupea. Callisthenes Sybarita, vetus scriptor. CAP. III.

NOn alienũ erat huic loco & pisciũ agmina illa explicare,& ad nostras appellationes ea reuocare. Sed quis nescit Capitonem, Vmbrã, Barbum, Salmoné, Percam, Mullum, Luciũ, Tincã, Alburnos, notissimos eodẽ nomine in Aquitania, præsertim in Vibiscis ? item Alausas, Gobiones? nã Salarem, & Sarioné, seu Farionem, referendũ esse ad genera Truttarũ nó dubito, cũ eos pene Salmones faciat. Salaris auté Sidonius meminit Epist. II. lib. II. *vt nocturnis per lacum excursibus rapacissimi Salares in consanguineas agantur insidias*. de iisdé videtur postea loqui: *qui repulsi*, inquit, *in gurgitem pigriorẽ carnes rubras albis abdominibus extendunt*. vt sine vlla controuersia describat *Truttas*, quas propter rubras carnes, nos vulgo *Salmonatas* vocamus. Quæ in Arua fluuio Geneuensi, cùm sint rubræ, Rhodano, in lacum Lemanũ elapsæ albescunt, neque solũ rubedinem illam, sed & saporis gratiam amittunt. Hoc ergo idem Sidonius voluit, cũ illa, quæ superius produximus, scriberet. ¶*Fario* auté est excusum in Aldina, & antiquiorib⁹ editionibus. Recte. Nam Trutta est, vt diximus. & ita hodie à Mosellæ accolis. & Germanis vocatur *Forhe*. ¶Troctarũ nomé apud vnũ Ambrosiũ vidi: & vetus Glossariũ, τρώκτης, Trutta. ¶Mustella verò, quin sit *Lampetra* nostra, ne id quidẽ dubitare fas erit: Cũ nihil eius descriptionis faciat cũ Mustella marina, aut Mustella Araris: omnia cum Lampetra nostra cõueniant. ¶De Rhedone nihil possũ dice-

re. ¶ De Siluro, hoc possum verè affirmare: quemadmodum grauiter errare puto, qui Silurũ cum Sturione nostro eundem faciunt: ita qui Silurũ Ausonij, Sturionem nostrũ non putant. Audi, quid dicit Plinius de Siluris eius tractus *Silurus, inquit, grassatur, vbicunque est: omne animal appetens: equos natantes sæpe demergẽs, præcipue in Mœno Germaniæ amne.* Plinius, vt vides (& vt nos certo scimus ex relatione parentis nostri, qui in Danubio olim in Hungaria hoc obseruauit, quum esset in Comitatu gentilis nostri Matthiæ Coruini Regis) nocentissimum animal est, Silurus. at innocentissimum hunc Silurum facit Ausonius, his verbis:

Hic tamen hic nostræ mitis Balana Mosellæ
Exitio procul est.

Et credibile est, Ausonium in animo nõ habuisse, vt vellet fluuium, quem laudandum susceperat, eo nomine commendatũ esse, quod genus piscis malefici produceret. Quomodo igitur Silurus Ausonij, esse potest Silurus Plinij? Non igitur est. Dices Ausonium Poëticè id attribuisse pisci præter naturam eius. Ego non puto tam vacui capitis fuisse Ausoniũ, vt putaret se posteritati persuadere posse, propter versus suos, Silurum piscem fuisse oblitũ ingenij sui. Nugæ. Nõ alius potest esse Silurus Ausonij, quã Sturio noster. Ne quære alia. quid cauillaris? conuenit tota descriptio. Sed addã, quod negare non potes: temporibus Ausonij Siluri nomine Sturionem vocatum fuisse. Id probabo ex versibus poëtæ cuiusdam, qui propius ab ea ætate abfuit. Is loquens de Ægircio nostrate fluuio ita scribit:

Obtinet expulsus stabulum campestre Silurus.
Plus capitur terris, quàm modo piscis aquis.

Quis vnquam vidit Silurũ è Garumna? at infinitos Sturiones, immanes, opimos etiã vltra confluentes

Ægircij

Ægircij capi ſcimus. At, inquies, non ſequitur propterea, vt ſi nō eſt Silurus, vt ſit Sturio. Da mihi piſcem alium, cui magis Auſoniana deſcriptio cōueniat, quam Sturioni, & verum putabo. Quid cur nō alius poteſt eſſe Silurus Auſonij à Siluro veterum, & Plinij? nō alia Echeneis Ariſtotelis, alia Oppiani? alia Muſtella noſtri Auſonij, alia veterū? alia Clupea Plinij, qui piſciculū nominat, alia Calliſthenis Sybaritæ, qui ingentem piſcem? Verba Calliſthenis ipſius, quanquam ad inſtitutum non faciunt, quia non omnibus obuia ſunt, & pertinent ad noſtram Galliam, huc tanquam ſymbolam conferam ex γ. τῶν γαλατικῶν. Ἄραρ, inquit, ποταμός ἐστι τῆς κελτικῆς παρὰ τὸ Ῥοδανῷ ἡρμόσθη τὴν προσηγορίαν εἰληφώς. καταφέρεται γὰρ εἰς τοῦτον κατὰ τὴν χώραν τῶν Ἀλλοβρόγων. γεννᾶται δὲ ἐν αὐτῷ μέγας ἰχθὺς Κλουπαία καλούμενος ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων. οὗτος αὐξομένης τῆς σελήνης λευκός ἐστι, μειουμένης δὲ μέλας γίνεται παντελῶς. ὑπεραυξήσας δὲ ὑπὸ τῶν ἰδίων ἀκανθῶν ἀναιρεῖται. εὑρίσκεται δὲ ἐν τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ λίθος χόνδρῳ παρόμοιος ἁλός, ὃς κάλλιστα ποιεῖ πρὸς τεταρταίας νόσους, τοῖς ἀριστεροῖς μέρεσι τοῦ σώματος προσδεσμευόμενος, τῆς σελήνης μειουμένης. Sed an vera dicat Calliſthenes, quærtamus. Ego antiquitatis ſtudio hæc in medium protuli.

Margeus. Menecrates Ephoſinus. Hebdomas miraculorum mundi. Arſinoe Zephyritis. Corus Achates. Ictini noctua. Periculū. Rex magnus. Tectonica forma. Drepanitanus agon. correcta quadam in Moſella.

CAP. XXI.

IN eodẽ cultiſſimo, & eruditiſſimo poëmate meminit veterũ quorundam, qui architecturæ laude floruerunt, Dædali, Philonis, Archimedis, Margei, Menecratis Epheſij, Ictini, & Dinocharis, ſeu Dinocratis. Qui omnes ſunt notiſſimi ex Vitruuio in procemio lib. VII, præter Margeũ. quem qui putant in Marcum mutandũ eſſe, minus prudenter facere puto. Nam ſolo prænomine non potuit deſignare vnũ Varronẽ. Quot enim alij Marci præter Varronẽ intelligi poſſent? Deniq; quæ hæc confidentia eſt, mutare quod non intelligas? An Μαργεὺς Græcum, purum putũ tibi non videtur? Sed nimirum hæc eos impulit cauſa, vt Varronẽ intelligi putarent: quia Auſonius dicat Margeũ celebraſſe Hebdomada. Varronem verò certũ erat libros de Hebdomadibus ſcripſiſſe. Sed toto cælo errare puto. Nã Auſonius vult dicere, decimo libro operis ſui, celebraſſe hebdomadem operum mirabilium. hoc eſt, vt vulgo loquebantur, ſeptẽ miracula mundi. vt & Vitruuius: qui decimo operis ſui volumine tormentorum, & machinarum rationes docet. Mox ita diſtinguo:

-hic clari viguêre Menocratis artes,
Atque Epheſi ſpectata manus.

Intelligit enim Menecratem Epheſinũ, cuius meminit Varro libris de re ruſtica. Is multa & præclara volumina de hiſtoria animaliũ, itẽ de aliis reliquerat. ¶De noctua Ictini τῦ μηχανοποιῦ, quod hîc adfertur, nihil quod equidem meminerim, extare in veterũ monimentis puto. & videtur ſimile opus fuiſſe, ac columbam Archytæ Tarentini. ¶Quod de Dinochare, ſeu, vt alij malũt, Dinocrate ſcribit, non conſentit cum Plinio. Auſonius enim dicit:

Arſinoen medij ſuſpendit in aëre templi.

Plinius autẽ negat ſuſpendiſſe, ſed interuẽtu me-

tis Ptolemæi opus inchoatũ reliquisse. ¶ Sequitur:

Spirat enim tecti testudine Corus Achates.

Vereor ne *Corum* pro *Zephyro* dixerit, propter vicinitatem. Nam Corus inter Zephyrũ, & Septentrionem spirat. ¶ Arsinoë verò, quia in tẽplo Veneris Zephyritidos sepulta fuit, propterea *Zephyritis* dicta. Vnde & *Chloris* vocatur à Callimacho. Nã Chloris amasia Zephyri. Suspicor igitur Dinocratem, cũ templũ ex Magnete lapide concamerasset, ventum Zephyrum in tholo ex eodem lapide fecisse, à quo æneum Arsinoës simulachrũ raperetur. vt ita fingatur rapta à Zephyro Arsinoë, quomodo à Borea Orithyia. ¶ Achates autem videtur quidam fuisse, quem in delitiis habuerit Arsinoë. & vt Arsinoë Venus & Chloris cognominata: ita Achates Corus, vel Zephyrus. Quod verum sit de vento Coro, fidẽ fecerit vnum verbum *Spirat*, quo vtitur Ausonius. item cum dicit *Afflatam*. Ait enim:

Afflatámque rapit ferrato crine puellam.

Ita enim reponẽdũ ex prisca scriptura. ¶ Cũ scribit:

Aut Pompeiani Mylasena pericula belli:

vsus est nomine *periculi* propriè. Nam periculum, est ludicrus ἀγών, vt sunt eæ naumachiæ, de quibus meminit. itẽ scholasticæ exercitationes, & similia. Cicero de legib. 1. ex veteri scriptura: *Faciunt imperite, qui in isto periculo, non vt à poeta, sed vt à teste veritatem exigant.* Intelligit enim Cicero poëma suũ de Mario, quod edidit periclitandi ingenij gratia. Porrò eiusmodi ludieræ naumachiæ, plurimũ veteribus in studio fuêre: quas etiam solebant tumultuariis euriporum emissariis edere. Sic Sidonius in lacu villæ suæ Drepanitanum agonem Troianæ superstitionis à maioribus suis edi solitũ fuisse scribit, intelligens parentalẽ agonem, quem Æneas ad Siciliam inferias patri celebrauit, vt notũ ex Vir-

gilio. ¶Quod vulgo editum est: *Regis opus magnum:* non placet: legendũ enim *Magni*. Quis nescit Persarum Regem vocatũ τὸ μέγαν βασιλέα: ¶lege etiã:

Dum spectat transire, dein sua seria ludo
Posthabet. excludit veteres noua gratia curas.

Cum dicit *Tectonicas formas*, vtitur verbo architectorũ. sic sæpe Vitruuius architectonica opera, vocat formas ædificiorũ. & in ordine clararum vrbiũ sic Ausonius ipse: *-magnis operũ velut æmula formis.*

Vibisci. correctus locus in Mosella. Duranius. Carantonus. Druna. Atyr. locus Lucani emendatus. ancon. duplex vrbs. Dextra Ripa. Quædam in epilogo Mosellæ explicata. CAP. V.

NOn patiar insignem labem in tam excellenti poemate residere, quæ hodie in epilogo eiusdem operis legitur:

Hæc ego viuifica ducens ab origine gentem,

legendum enim *Viuisca* Burdigala enim Caput Biturigum Viuiscorum. & ita in inscriptione Burdigalensi legitur:

AVGVSTO SACRVM
ET GENIO CIVITATIS
BIT. VIV.

Alioqui *Vibisci*, & *Bibisci*, seu *Biuisci* scriptum legitur. ¶In fine perperam legitur *Concedet* pro *Concedes* in illo versu:

Concedet gelido Durani de monte volutus.

Nam vocãdi casu legendum. vt & apud Sidonium:

Et tu, qui simili festinus in æquora lapsu
Exis, curuata Durani muscose saburra.

Ingens fluuius est, & amœnus, qui in Garumnam exoneratur ad oppidũ Burgum. vulgò *Dordonia* vocã-

vocamus. Estq; vnus ex tribus nobilissimis fluuiis, quibus Garumnam augeri scribit Strabo. Sũt enim hi: Tarnis, Olda, quem inuerso nomine vocant Lodam, & Duranius ipse. ¶ Postea meminit idẽ Carãtoni. qui ita melius dicitur, quàm, vt est apud Ptolemæũ, καράντελος ¶ Sed & *Drunã* nominat Is ex Alpibus descendens tribus à Valentia oppido leucis Rhodanũ ingreditur. vulgo *Droma*. notissimus fluuius, vel ipsa vicinorũ agrorum strage, quam solet dare, quotiescũque aut imbribus, aut solutis niuibus intumuit. Hoc moneo, ne quis fortasse putet esse fluuiolũ illum, qui hodie *Drona*, vel *Dorna* dicitur: qui fines Petrocoriorũ & Encolismensium intersecat ad Castrũ Albaterram: cùm Ausonius loquatur de Druentia, & Druna vicinis fluuiis. Vtérque enim Rhodano excipitur. ¶ Deinde Aturri meminit. Aliis vocatur *Atyr*, vt Vibio Sequestro. *Atyr*, inquit, *Tarbellæ ciuitatis Aquitaniæ*. & Lucanus:

-& ripas Atyri, quem littore curuo
Molliter admissum claudit Tarbellicus ancon.

Ita enim omnino legendũ in Lucano. nõ, vt hodie:

-& ripas Satyri, *qua littore curuo*
Molliter admissum claudit Tarbellicus æquor.

nullo sensu. at quia *ancor* scribitur in veteribus libris, pro *ancon*, vt architector, pro architecton, & similia: propterea *ancor* in *acuor*, & *æquor* mutatum. Elegantissimè igitur sinum illum littoris curui *anconem* vocat. & ita Ouidiũ littus quoduis curuum & inflexum, vocare memini. Vasconibus integrum pene nomẽ eius fluuij manet. Vocatur enim *Ador*. Et cum articulo, *L'Ador*. Non frustra dicit loquẽs de capite Mosellæ, eum exerere taurinæ frontis honorem. Hoc enim certo scimus: à conuentu pluriũ fontium, sed præcipuè duorũ nobilium, Mosellam excipere. vbi hodie sunt molendinæ, quibus lina-

menta putria subiguntur, ad chartam conficiendã.
¶Postrema hæc in eo poëmate verba leguntur:

-duplicémque per vrbem
Qui meat, & Dextræ Rhodanus dat nomina ripæ.

scribendum *Dextra* maiusculo D. Primum duplex vrbs, quam vocat, est *Arelate.* vt in Ordine nobilium vrbium:

Pande duplex Arelate tuos, pande hospita portus.

Quare duplicem vocet, postea ibidem explicat:

Præcipitis Rhodani sic intercisa fluentis.
Vt facias mediam nauali ponte plateam.

Hoc erat ad eum locũ, vbi Rhodanus duo ostia facit. Iccirco, & incolæ locum, & oppidum ad illud bifidum situm, vocãt *Furcam.* ab eo ostio Rhodani Narbonã vsq;, totus ille tractus dictus fuit *Dextra Ripa.* Hoc patet ex hac inscriptione Narbonensi:

Tib. Iuni Eudoxi
Nauicul. Mar. C. I. P. C. N. M.
Ti. Iun. Fadianus
IIIIII vir Aug. VI. C. I. P. C. N. M.
Cond. Ferrar.
Ripæ dextræ
Fratri ❦ piiss. ❦

Vt hinc non leuiter sensus ac mens Ausonij illustretur.

Bone vir. Aquæ Tarbellicæ. Δάκιοι Ptolemæi. Tibulli locus. Aqua Bigerronum. Tarbella ciuitas. Tarba Bigerronũ. Vicani Aquenses. CAP. VI.

POëmatium charactere Lucilliano, cuius initiũ, *Ausonius genitor nobis*: titulũ debet habere: *Ausonius Syagrio suo.* & cõtinuandũ cũ Epigrãmate, qđ infra subiicitur, titulo ad Syagrium.

grium. Nam tota elegia, vt dixi, ad Syagrium scribitur. ¶In ea hæc animaduertimus: legēdum & distinguendum esse:

Adscripsi, vt nosses, bone vir, quicunque fuissem.

Bone vir, ἀ γαθέ. apud Horatium. *quo, bone, circa.* ¶Porrò mendosissimum sequens distichum. quod ita nulla controuersia legendum putamus:

Vassates patria est patri. gens Aedua matri
De patre. Tabellis sed genitrix ab Aquis.

Matri enim Ausonij Æduus fuit pater, mater Tarbella. vt ex Parentalibus cognoscimus. ¶Tarbellæ Aquæ sunt, non eæ, quæ ad radices Pyreneorū sitæ sunt, prope Tarbā Bigerronū. sed eæ, quæ ad ostia Aturri sunt. Vulgo nomen retinent. Nam etiā nūc *Aqs* vocātur. Nimis argutātur, qui Ptolemæi Δάκιον opinantur esse illam ciuitatem. Vt non satis mirari possis primum stuporem hominum, qui non vidēt tantum abesse hoc nomen ab illo oppido, quantū Tarbelli absunt à Gabalis, post quos Dacios collocat Ptolemæus. deinde & imprudentiam, qui, cum sint Vascones: tamē ignorant morem linguæ suæ, quæ vocibus à vocali incipentibus, solet hiatus vitandi caussā, D. præponere, quoties præcedens vox in vocalem desinit. Iam post Bituriges, Vibiscos ad ostia Aturri & vltra, Strabo Tarbellos collocat. Vnde & *Oceanus Tarbellicus* dicitur. A saltu enim Pyreneo occurrūt primi Tarbelli ad Aturri vsque ostia. Hinc Boi. deinde Meduli. postremò Bituriges Vibisci. A saltu Pyreneo incipere vel vnus Ptolemæus testis erit. Et eo Tibullus cum tractum Pyrenei vocauit Tarbellā Pyrenem. Cantabros enim & Vascones, qui tunc vltra Pyrenem in Hispania erāt vicit Messala, qui cum Pyreneū penetrassent, sedes ibi posuêre, vbi Tarbelli sunt. Apud Tibullum ex correctione nostra legimus: *-Tarbella Pyrene*

Testis, & Occeani littora Santonici.
non, vt vulgo editum est, *-tua bella Pyrene.*
Inter Tarbellos enim, & litora Santonici Oceani tantũ Garumna interiacet. Cum Tarbellos ad ostia vsq; Garumnæ ponant Strabo, & Ptolemæus: Quare necesse, vt & Boios, & Medulos cõplexi fuerint. Sed Aquas Tarbellicas eas esse, quas diximus, non autem Bigerronum balnea, quis magis conuicerit, quàm Ausonius ipse, qui scribit auum suum maternum eò peruenisse, vbi Oceanus Tarbellicus perstrepit: hoc est ad Aturri ostia. Quem locũ alibi de eadem re loquens, vocat Aquas Tarbellas. Satin eo loco constitit de re parum nota? Præterea Antoninus, à summo Pyreneo Burdigalã proficiscentibus necessitatẽ imponit per Aquas Tarbellicas iter faciendi. Quin & Paulino ex Hispania Burdigalam contendenti idem iter assignat Ausonius,

-iam ninguida linquit
Oppida Iberorum. Tarbellica iam tenet arua.

Vibius Sequester Aquas Tarbellicas vocat, ciuitatẽ Tarbellam. *Atyr*, inquit, *Tarbellæ ciuitatis Aquitaniæ in Oceanum fluit.* Hoc dixi: quia & Tarbam Bigerronum putant quidam ita dictam, quia in Tarbellis volunt esse. quod falsum est. tùm quia quidã Aquas Bigerronum, easdem esse cũ Aquis Tarbellensibus volunt: hac ratione moti, quod Tarbam à Tarbellis dictam volunt. At sciant isti Tarbam Bigerronum esse. Et eorum Episcopum non Tarbellensium, sed Bigerronum in antiquis synodis dici, hodiéque nõ aliter vocatur. Præterea aliud est Tarba, aliud Tarbelli. Postremo alio nomine Aqs oppidum vocatum fuit, alio illæ Bigerronum Thermæ. Nam Aqs, quod in Tarbellis sit, sunt Tarbellicæ Aquæ: & ciuitas Aquensium. Istud verò oppidũ, quod nõ ciuitas, sed vicus esset, vicani Aquẽses di-

cti. Id patet ex egregia inscriptione, quam ego ad oppidum in sacello quodã reperi, quæ in saxo elegantissimo cum simpulo, & disco libatorio affabre insculpta erat. Ea ita habet;

NVMINI.AVGVSTI
SACRVM
SECVNDVS. SEMBED
NIS. FIL. NOMINE
VICANORVM. AQVEN
SIVM. ET. SVO. POSVIT.

Præterea considera, quàm longe sint Tarbelli à Bigerronibus, cum inter eos magna ciuitas, seu Populus Aturensis interiectus fuerit. de quo alibi satis.

Lesbia quies. In Ephemeride & in precationibus quædam emendata. CAP. VII.

IN Ephemeride lege: *Lesbia depelle modum quietis.* Quia dicit ex Sapphica cantilena, somnum nequã mancipio conciliari, proptere a vocat Lesbiam quieté. ¶In Parecbasi vltimus versus deest iste:

Paues nequicquam Spes. Fides.

Quare repone ex veteri libro. ¶In poëmate imperfecto de insomniis legendum:

-& profugi minuiscunt crimina somni. Malè hodie
-& profugi munus :cum crimina somni. ¶Mox lege
-videon discumbere-

¶In precatione consulis: *Quaque Getes*, non *Getu*, ¶In fine vers⁹ pessime accepti erãt à correctore Lugdunési. Quare ex vestigiis priscæ lectionis ita lege:

Tu tropicum Soli da cedere: rursus & illum
Terga dare, vt duplex tropicus varietur ab astro,

Et quater à ternis properat mutatio signis.

¶Deinde in precatione Kal. Ianuariis, lege:

Sic prono raptate polo, contraria Phœbus
Vt momenta ferat. Nam disertim vetus codex habebat, *raptare*. Qui præfectus fuit editioni Lugdunensi, cum primũ huius poëtæ reliqua, quæ diu delituerant, poëmata diuulgata sunt, parum fideliter in ea prouincia tuenda versatus fuit. Quicquid enim non intelligebat, mutauerat.

Ex parentalibus plurima animaduersa. Deuota virgo. ἀσκήτρια. Latinus Euronius Thalassius, fantis honore colere. Ehe. CAP. VIII.

PErgam nunc ad Parentalia. ¶In Cæcilio Arborio ita legendum:

Amissum flecti post trina decennia natum.

¶In sequenti versu monstrum scripturæ habebat vetus liber,

Saucius oclerno lumine cassus eras.

pro quo substituit corrector Lugdunensis: *extincto lumine.* Suspicaret legendum *ocle tuo.* ocle. ocule. hoc est, saucius oculus tuo lumine cassus eras. Vocandi casu, pro nominatiuo Ausoniũ vti sæpe ostẽdemus. Tanquam filius esset lumen oculi, hoc est patris. Et parentes orbi, vt oculi orbi dicuntur. ¶In Æmilia Hilaria, *Deuota virgo*, intelligitur, quam Græci ἀσκήτριαν vocãt. Extat libellus Ambrosij ad Virginem deuotam. Deuotarum virginum duo genera reperio. vnum, quod vouebat se, vt hæc Ausoniana: alterũ, quod deuouebatur à parentibus ipsis. vt apud Ambrosium. Quæ sit Deuota virgo, mox ipse explicat:

Creuit deuotæ virginitatis amor.

item in Cataphronia:

Innuba, deuotæ quæ virginitatis amorem

Parcæ

Parcáque anus coluit.

In notis Probi hodie legitur: D. V. *Deuotus vir.* posset legi: *Deuota virgo.* Quanquam scio & viros deuotæ virginitatis fuisse. Tertullianus in Valentinianos: *Proculus noster virginis senectæ.* Ita enim legendũ in Tertulliano. Iſq; dicebãtur παρθενίαι. ¶In Attusio lege ex veteri libro. *Optare hoc tantum.* ¶In eodem ex eodem repone, *& dolor, atque decus.* ¶In Dryadia lego ex vestigiis eiusdem libri:

Si qua fuit virtus, cuperet quam femina prudens
Esse suam, soror hac non Dryadia fuit? hoc est: Ecqua fuit, virtus, quam casta & prudens matrona optare posset, qua Dryadia prædita non fuerit? An non omnibus illis virtutibus fuit Dryadia, quascunque cuperet prudens femina? Nam Latinũ est: ego sum hac virtute, hac doctrina. ¶In Auitiano ex eodem libro plane legendum:

Minor iste natu me, sed ingenio prior.

Vides, quantum sibi permiserit Corrector Lugdunensis. ¶Deinde legendum censeam:

Quem sæpe luctum, quem dolorem saucijs
Germane pubes deseris.

¶Postea non *Vallatinus* legerim, sed *Val. Latinus.* & vetus liber non *Euromium*, sed *Euronium* habet. Igitur vocabatur, Val. Latinus Euronius Thalassius. Symmachus: *Quæro igitur incertus animi. quæ mihi nunc potissimum super viro honorabili Thalassio genero tuo verba sumenda sint.* ¶In Pomp. Maximo lego ex vestigiis prisci libri:

Saucia proh casum. ¶In Veria Liceria. lego:
Tu quoque vel nuruis mihi nomine.

¶In Põp. Max. Herculano ex illo libro ita legẽdũ:

Decus hoc matrique meúmque
In tempore puberis æui
Vis perculit inuida fati.

Ehe quem. Maxime, fructum.

Postremus versus habet idem πάθος, quod & ille Virgilianus:

-en quis consciuimus agros.

Nam *Ehe*, est consternatæ mentis, Ennius:

Ehe ipse clipeus cecidit.

Vide, inquam, quantum sibi permiserat corrector Lugdunensis. ¶Deinde lego:

Lingua catus, ore canorus.

Catus lingua. vt, *cata* dicta Ennio. vide Varronem. ¶Deinde:

Cape munus triste parentum.

Sequebatur in veteri libro versus, quem omiserat editio Lugdunensis:

Lacrymabilis orsa querella. ¶Lego postea:

Quæ funereum modulatus

Tibi mæstus auunculus offert. ¶In Fl. Sancto lego:

Sed iustam, & clemens vitam agis, & sapiens.

Cuius correctionis nostræ quædam vestigia obseruauimus postea in eodem libro. ¶Sequenti versu idem liber habebat:

-supremáque mittia Sãcti. lege, *mitia*. Illud *suprema* erit adiectiuè: In Namia Pudétilla, vetus liber habet:

Atque pudentillam santis honore colit. & rectè. Nã dicit se illam colere santis honore, hoc est funera cõmemoratione, vt ipse alibi loquitur. *Nam affari manes*, inquit ipse, *funeris instar habet.* Sic enim ait:

Hoc satis & tumulis, satis & telluris egenis.

Voce ciere animas funeris instar habet. ¶In Paulino lego. *Indeptus thalamo.*

¶In Dryadia ex eodem lege:

Te quoque Dryadiam materteram..

¶In Iulia Veneria Pyrrhichicos ita reconcinnato:

Cinis vti placidula supera vigeat,

Loca

Loca tacita celeripes adeat Erebi.

Ex veterum superstitione, qui putabant non aliter cineres posse quiescere, quàm si vmbra ab Erebo non summoueretur. Idque tunc putabãt accidere, cum suprema omnia perfecta erant. Dixit autem *cinis supera* feminino genere vt Catullus, Caluus, Propertius, Virgilius in Ciri, & alij. ¶In Æmilia Melania concinnius puto fore:

Aemilia hos vix nota mihi soror accipe questus.

¶In sequenti versu recte, meo iudicio, vetus liber habebat, *Debent* non *Debet*. vt sint πεὶ ἐλεγεῖα. Ita in epigrammatis,

Hermiones Zonæ textum elegion erat.

Castigata in Rhetoribus Burdigalensib. Sallustius Consul. Alcimi historia. Belenus Apollo. Belenium herba. Abellio Deus. Onuaua Dea.

CAP. IX.

IN Latino Alcimo, cuius meminit Sidonius epistola x. lib. v. falsam nobis, & adulterinam monetam cuderunt in illo versu,

Mirérne formam, & tenorem regulæ.

quia scilicet non poterant assequi veterem hãc scripturam, *Mores ne fauor.* quod scriptum est pro, *Fabor,* solenni illo librariorum errore. ¶Sed attende imprudentiorum frontem in illis:

Quam sceptra, quæ tenuit breuis

Augusta. nãplus cõferẽt libri tui. Recte enim vetus:

Sallustio plus conferent libri tui,

Quàm consulatus addidit.

Historiam, vt hinc coniicimus, suorum temporum, hoc est Claudij Iuliani Imp. conscripserat Latinus Alcimus. Iulianus verò Consulatu suo quarto collegam habuit Sallustium. Cum igitur gesta Iuliani in commentarios referret, non est credibile

Salustium consulem, eum præteriisse. Id quod aperte innuit Ausonius. ¶In Lucilio, seu Luciolo Rhetore pro, *Eripuit patria*, Vet⁹ codex habet *patri*. ¶In Attio Patera lege ex veteri: *Tu' Bagocassis*. Nã vtrouis modo dicas: *Bagocassis*, an *Baiocassis*, nihil refert. ¶De Beleno auté métio est, præter alios, apud Herodianum in Maximinis. qué vocat βελίν. estque Apollo. vnde & Galli herbam, qua inungebant sagittas, *Belenium* vocabant. sed & alios Deos Galli præter Hesum, & Taranem Lucani habebãt, nempe Abellioné, & Onuauam. Abellionis hæc monimenta extant in Conuenis Nouempopulaniæ.

DEO
ABELLIO
NI
MINICIA
IVSTA
V. S. L. M.

Item.

ABELLIONI. DEO. TAVRINVS.
BONE. CONI. SEVSIM.

Item.

ABELLIONI, CISONTEM. CISSONBONNIS
FIL. V. S. L. M.

¶Porro in eodem lego:

Doctrina nulli tanta in illo tempore.
Cursúsque tot fundi, & rota. ¶&,

Memor,

Memor, disertus, lucida facundia.

Canore, cultu praeditus. ¶& melius:

Salibus modestis. Fuit autem iste Alcimus ex Sonnicis, qui Nitiobrigibus vicini fuerunt, vt cognoscimus ex Sidonio.

Agon Capitolinus. quercus Capitolina. Iuuenalis locus. Statij Thebais. Delphidius Rhetor. Lemniscatae palmae. Poetae laureati. Euchrotia Delphidij vxor Treueris damnata. Procula Delphidij filia. Synodus Burdigalensis. CAP. X.

Atticus Tiro Delphidius, cuius postea sequitur eloquiũ, Attij Paterae filius, fuit celeberrimus, & acerrimus sui tẽporis orator. Eius nomẽ corruptũ est in epistola Sidonij x. lib. v. Nã ibi perperam *Adelphidius.* cũ enim maiores eius ducerẽt genus à tẽplo Apollinis, seu Beleni: cõgrua Apollini nomina sẽper assumebãt. Nã in ea gẽte alij *Paterae* dicti, quod lingua prisca Gallorum ita sacerdotes Apollinares vocarentur: alij *Phoebitij*, à Phoebo: alij *Delphidij*, à Delphis. Ausonius celebrat hunc nostrum Delphidium, quod vix dum pubes Capitolinam quercum meruerit, hoc est poëta coronatus fuit. Hoc enim vult, cum ait:

Sertum coronae praeferens Olympiae

Puer celebrasti Iouem.

Olympiam coronam, vocat quercum Capitolinã, quam merebant poëtae, qui in Agonibus Capitolinis poëmate vicerant. Ii agones Capitolini primum à Domitiano instituti sunt die xii. eius, & Sergij Cornelij Dolabellae Consulatu exemplo ludorum Olympicorum. In iis agonibus omne genus artifices certabant. Nam & Citharoedi. Iuuenalis:

An Capitolinam speraret Pollio quercum.

Item & Poëtae. Martialis:

O cui Tarpeias licuit contingere quercus.

& histriones, vt patet ex hac inscriptione:

L. SVRREDI L. F. CLV.
FELICIS
PROCVRATORI. AB
SCAEN. THEAT. IMP.
CAESAR. DOMITIAN
PRINCIPI
CORONATO. CONTRA
OMNES. SCAENICOS.

Vides eodem principe, qui hos ludos instituerat, histrionem coronatum. Illud CONTRA OMNES SCAENICOS manifesto significat certamen, & contentionem. In eo agone Statius post incredibilem totius vrbis expectationem tandem Thebaidẽ suam recitauit. sed non placuit, & contra eum alij coronati fuerunt. Id quod ipse nõ vno loco in Siluis conqueritur, sed imprimis in epicedio patris. vnde locus Iuuenalis Grammaticis non bene perpensus explicatur:

-sed cum fregit subsellia versu
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agauen.

Nã satyrice dicit eũ fregisse subsellia versu, quod, vt Comici loquuntur, recitãs nõ stetit, sed excidit. hoc est, non placuit. Cuius rei vel ipsum Statium testem producere possumus, qui in Siluis hæc innuit non vno loco, vt iam dixi. Caue sis confundas agonem Albanum cum hoc Capitolino. vterque enim institutus à Domitiano. Sed nobilior Capitolinus, adeo vt Romæ non per lustra, vt antea, magnum annum,

annum, vt vocabant, sed per Capitolinos agonas supputarent. Quod à Domitiani institutione vsque ad tempora sua obtinuisse Censorinus scribit. Cæterum semper agó ipse mãsit Romæ: vt in eo poëtæ, rhetores, aliarúmque professionum homines coronarentur ab ipso Imperatore. Neque puta aliunde poëtarum laureatorum moré manasse. Nam & ipsi antiquitus ab ipsis Cæsarib. Germanis coronabantur, magnóque in precio habiti séper apud Italos, & Germanos. qui id honoris virtute ingenij consecuti essent. Sed in veteribus agonibus Capitolinis qui vicerát, corona, & ramo lemniscatis, aut torque inuolutis donabantur. Nam qui secundi erant, eorum coronæ, & palmæ sine lemniscis erant. Id vel ex ipso Ausonio cognoscas licet:

Et quæ iandudum tibi palma poetica pollet.
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.

Sed melius Sidonius, quanquam non de agone Capitolino loquitur:

Hic mox præcipit æquus Imperator
Palmis serica, torquibus coronas
Coniungi, & meritum remunerari.

Nam coronis torques, & palmis serica, hoc est sericatos lemniscos coniungi vides. quanquam, vt dixi, de aliis ludis, aliáque re loquitur. Vides tamen amplificata præmia pro ratione meritorum. Quare vt ad rem redeamus, per sertũ coronæ Olympicæ nihil aliud intelligit, quàm quercum agonis Capitolini, quam meruerat adhuc impubes, celebrãs Iouem. ¶ Postea lege:

Vt nullus æqua lege carminum liber
Orationem nexeret: ex fide priscæ scripturæ.

¶ Quin & illa me auctore ita, si libet, legito:

Seu tu cohortis præsertim pratoriæ,
Prouinciarum aut iudices

Coleres, tuendis additus clientibus
Famæ & salutis saucijs.

Ex istis, & ex sequentibus, colligitur hominē acerrimum fuisse, & priuati literarum otij fines migrantem prouinciarum tribunalia, mox & ipsa palatia frequentasse. Quod confirmatur ex lib. XVIII. Ammiani his verbis: Loquitur autem de seueritate Iuliani in criminibus cognoscendis. *Numerium*, inquit, *Narbonensis paulo ante rectorem, accusatum vt furem, insitato censorio rigore, pro tribunali palam admissis volentibus audiebat: qui cum infitiatione defenderet obiecta, nec posset in quoquam confutari, Delphidius orator acerrimus vehementer impugnans, documentorum inopia percitus exclamauit: Ecquis florentissime Cæsar, nocens esse poterit vsque, si negare sufficerit? Circa quem Iulianus: Ecquis, ait, innocens esse poterit, si accusasse sufficiet?* Ex istis potes, & acerrimum hominis ingenium, & desultorum viuendi genus cognoscere. Tempora autem tyrannica semper apud Ausonium intelliguntur de imperio Maximi tyranni, qui Gratianū interfecit. ¶Addit postea Ausonius, sed ex correctione nostra:

Minus malorum munere expertus Dei.

Caussam addit:

Errore quod non deuiantis filiæ,
Pœnáque læsus coniugis.

Non enim cuiuis nota est historia. Nam Euchrotia Delphidij vxor cum aliis, in synodo Burdigalensi damnata est Treueris à Maximo tyranno, quod Priscilliani hæresi nomen dedissent. Sed quia nihil ἀνέγγυον, neque ἀμάρτυρον producere debemus, proferam verba ex vetussiss. scheda, vbi huius rei mētio fit, ita: *Priscillianus in Synodo Burdigalensi damnandum se intelligens, ad Imp. Maximum prouocauit.*

Audit

Audituſque Treueris, ab Euodio præfecto prætorio Maximi, gladio addictus eſt cum Euchrotia Delphidij Rhetoris coniuge, & Latroniano, aliiſque erroris conſortibus. Attigerunt alij quidem hanc hiſtoriam, & Euchrotiæ meminerunt, ſed Delphidii vxorem fuiſſe non addunt. Hieronymus autem præter Priſcillianum, & Euchrotiam, addit præterea Iulianũ, & Feliciſſimum, addit & Seuerus Armenium eo nomine damnatos fuiſſe. Lego autem *filiæ* non *filij*. Sulpitius Seuerus loquens de hac re. *Inde itercepti ingreſſi, turpi ſanè pudibundóque comitatu, cum vxoribus atque alienis etiam feminis, in quis erat Euchrotia, ac filia eius* Procula: *de qua fuit in ſermone hominum, Priſcilliani ſtupro grauidam, partum ſibi graminibus abegiſſe.*

Alethij Mineruij Elogium reſtitutum. Solſticialis herba. CAP. XI.

PRopter verſuũ breuitatẽ multa in Alethij Mineruij Rhetoris Elogio tranſpoſita ſũt. quæ neſcio plúſne deformitatis eo ordine quo nũc legũtur, habeant quã ſunt venuſtatis habitura, ſi priſtino ordini, & in integrũ reſtituãtur. Apponam totum poematium ita, vt legẽdum cenſemus. In quo non mediocriter veteris libri ſcriptura adiuti ſumus, non quòd non penè eadem confuſio in eo fuerit: ſed quia quædam in illis aut addita: aut reperita erant, quæ multum nobis ad diuinandum profuerunt.

O flos iuuenum,
Spes læta patris:
Nec certa tuæ
Data res patriæ,
Non manſuris.

C

Ornate bonis,
Ostentatus,
Raptusq́ simul,
Solstitialis
Velut herba solet,
Rhetor Alethi.
Tu Burdigalæ
Latus patriæ
Clara cohortis
Vexilla regens
Pubere in æuo

* * *

Postq́, Pateræ
Maior vtroque:
Tu primæuis
Doctor in annis
Et præceptor,
Tempore, quo te
Discere adultum
Non turpe foret.
Cuncta habuisti
Commoda fati.
Prætextate
Iam genitori
Contuleras te
Inde superbæ
Mœnia Romæ
Fama, & meritis
Non sine morsu
Grauis inuidiæ
Inclitus auxsti.
Floris adulti
Vota tuorum.
Et Rhetoricam
Bruge carentem

Et

Et connubium
Nobile soceri
Sine pace patris:
Et diuitias
Vtriusque sine
Herede suo
Deseruisti.
Omnia praecox
Fortuna tibi
Dedit, & rapuit.
Quam fatiloquo
Dicte profatu
Versus Horati.

NIHIL EST OMNIA
PARTE BEATVM.

Non potest dici, quanta elegãtia in illis versibus sit: quãtáque studiosorum poetices iactura illi præpostero ordine legebãtur. In illis hoc præstitimꝰ. Versiculum illum, *Pósque Patera*, ex notis fugientibus veteris exemplaris reposuimus, quanuis ibi alieno loco legebatur. Sed ante eum versiculũ deest sine dubio tale quid, *Post fata patris.* Nam prior fuit Latinus Alcimus Alethius pater huius Alethii Mineruii. Cui successit Patera. Nõ potest igitur alius ante Pateram poni præter patrem ipsum Mineruij: vt taceã interea, quàm recte illa cohæreant. Ait primũ impuberem docuisse: prætextatum iam patris laudem æquasse: adultum, & post tirocinium togæ in ipso flore ætatis immatura morte præceptum, postquam sine venia patris vxorẽ ex nobilissima domo duxisset, nullis liberis, nullis suis heredib. decessisse vel potius ipsum mortuo patri heredem suum nõ extitisse. Nam malo legere, *hærede suo*, nõ *tuo*. ¶ Propterea solstitialem herbam vocauit. imitatus Plautũ. quod prouerbialiter dicitur de re fugaci, & nõ

diuturna. ¶Clara cohortis vexilla vocat, ni fallor, ducatũ scholæ, & cathedræ principatũ. ¶Pro, *Consuleras tu:* reposuimus *Contuleras te.* Connubium, affinitatem. quod & ab aliis vsurpatũ memini. ¶Duos vltimos versus notissimum ex Horatio petitos. Propterea ita correximus, & posuimus, nomẽ Horatij. ¶Dictum autem, *Dicte profatu*, pro, *Dictus.* Vocãdi pro nominandi casu, quod toties notamus in Ausonio. Sic dixit *prætextate* pro *Prætextatus.* nam ita habebat vetus membrana.

Ioca Citarius Siculus. Agricius. χιρόγρα. φιδίας. σολοικισμός. ἠπειρώτης *Duo Exuperij Rhetores. Sedatus Rhetor. ossa translata permissu collegii. Sedati statua Burdigalæ.* CAP. XII.

IN Leontio Grammatico lege, *ioca, vota, ludum.* non *loca.* vt Sallustius Iugurta, *ioca atque seria.* ¶in Iucũdo nõ negligẽdũ est quod monemus de illo versiculo, ita legendum esse:

Et meritos inter commemorande viros. vbi. *Commemorande*, hoc est *commemorandus*, vt supra *prætextate*, & similia. ¶Sic in Mosella:

Temporalongarum sers incorrupte morarum: vbi *incorrupte* dixit, pro *incorruptus.* ¶ Citarius Siculus est is, cuius nobile epigramma de pastoribus hodie extat. ¶In sequenti epigrammate legendum: *Censorio Attico Agricio* ¶Item.

Agrici positus posteriore loco.

Ita enim vetus codex. Sed tamen in epistola Sidonii x. lib. v. *Agræcius* excusũ vulgo est. ¶In Nepotiano plane ex eodem libro reponendum:

Et Epirote Cinea memor magis.

vbi in ἠπειροτη, ε, ψιλὸν expunctum, vt in χιρόγρα, & apud eundem Ausoniũ in Phidia. Et apud eundem

in

in Solifcifmo, ο, μικρὸν extritum. vt fit, χειράγρα, φιδίας, σολικισμὸς, ὑπηρέτης. In Æmilio Magno legee *Stemma tibi patris Aeduici*, vt fupra:

Arborium Aeduico, ductum de ftemmate nomen,

lego etiam:

Arborium Arborio patre, & auo Argicio.

¶In Exuperio omnino legẽdũ, *Difcuffam fcires*. ¶In Marcello: *verum oneranda*, non, vt hodie *honoranda*: quia fcribebant honus, honeris, & honerare. ¶Sed quod de Exuperio pene oblitus fum monere: duos Exuperios Tolofæ celebres fuiffe inuenio. iftum Rhetorẽ, de quo Aufonius fcribit in Profefforibus. alterum Epifcopum, etiam hodie Tolofatibus decantatifsimum. Et circa idem ferè tempus Rhetoricam docuit Tolofæ Saturnius, vt docet Sidonius. qui non tantùm eius cathedræ meminit, fed & fæuifsimorum cruciatuũ, quos propter fidem Chrifti à væcordi plebe paffus eft. verfus eius adfcripfi:

Qui Tolofanam tenuit cathedram
De gradu fummo Capitoliorum
Precipitatus.
Quem negatorem Iouis ac Mineruæ,
Et crucis Chrifti bona confitentem
Vinxit ad tauri latus iniugati
Plebs furibunda.

¶Porrò Sedati Rhetoris Tolofani tumulus duplici genere epigrãmatis fcriptus eft. Et nõ propterea diftinguenda funt epigrãmata duo, non magis fanè, quàm duo illa item epigrammata, quibus confcriptus eft tumulus Crifpi, & Vrbici Grammaticorum. In primo epigrammate lego, *munus indepte es foris* pro *indeptus*, more illo folenni Aufonii, cuius toties iam meminimus. In eodem lege.

Et fama, magno qualis eft par Rhetori.

Quod in altero epigrammate dicit:

Arbitrium de te sumit origo suum:
significat, eius λείψανα à suis municipibus Burdigalensib. fuisse, & Burdigalam translata. hoc enim est plane, quod ait:

Et ciuem morte obita repetit.

Arbitriũ addidit, quia arbitri capiendi fuerunt, vt ex permissu collegii pontificum Burdigalam transferrẽtur. Propterea in veterib. monimẽtis legimus.

RELIQVIAE TRAIECTAE EX PERMISSV COLLEGII PONTIFICIVM PIACVLO FACTO.

Item:

CORPORA TRANSLATA PER MISSV TRIB. PL.

vide l. 3. §. non perpetuæ. D. de sepul. viol. Sic & de Exuperio ait:

Sed patriæ te iura vocant, & origo parentum,
Burdigalæ vt rursum nomen de Rhetore reddas.

& de AEmilio Magno Arborio:

In patriam sed te sedem, ac monimenta tuorum,
Principis Augusti restituit pietas.

Et sanè huic Sedato magnum honorem habuerunt Burdigalenses, qui non solum ossa eius in municipium suum transtulerint, sed & statua hominẽ honorarint. Nam in eo loco, qui hodie podiũ Paulini dicitur, saxea statua locata fuit barbata, librum manu tenens, quo significatur eum cathedram docendi obtinuisse, & infra hæc inscriptio legitur:

D. M.

D. M.

SEDATVS.

Legendum verò non *vacantem operam*, sed *vagantem*. Ita enim vocat, quia desultoriũ per multa oppida docendi munus, non fixum, ac stabile obiuit. Propterea dixit diuisam vrbem per hypallagen, cũ hoc sentiat, ipsum vagantem operam per vrbes diuisisse. Sequentia ita concipienda sunt:

Est tua nunc soboles: morémque secuta parentis
Narbonem, ac Romam nobilitat studiis.
* * * * *sed*
Fame, velit, nolit, Burdigalam referet.

Morem patris sui liberos exequi ait, qui cũ nati essent Tolosæ, tamen nunc Narbonæ, nũc Romæ docerent. Postremo disticho hoc volebat Ausonius: Tolosam, cuius cathedrã obtinuit Sedatus, sibi vindicare eum tanquã ciuẽ, non etiam tanquam ascititium. Sed velit nolit, semper fama Sedatũ asseret origini suæ, hoc est Burdigalæ.

Confusa in Grammaticis Latinis Burdigalensib. & Philologis suo ordini restituta. Concordius. Sucuro. Phœbitius. Anastasius Ammonius Grammatici. CAP. XIII.

QVod superiùs acciderat propter versuum breuitatem, vt plurima suis sedibus quasi vi deiecta fuerint, id in Philologis Burdigalensibus videre etiam licet. in quibus multa perperam transposita sunt à vetere librario: non pauca etiam à Correctore Lugdunensi deprauata. quem tanta religio incesserat, vt cum Ausonio duos versus eripuisset. duos vltro munificus de suo dederit, tanquam hãc

illi compensationem imputandam censeret. Nos contra illos versus Ausonio eripiemus, & suos ei reddemus Sed prius lemma, seu titulus ita concipi debet. *Grammaticis Latinis Burdigalensibus Philologis, Macrino, Phœbitio, Concordio, Sucuroni, Ammonio Anastasio Grammatico Pictauiorum.* Totidem enim hic recenset Ausonius. ne putes Anastasium Ammonium ab his separandum esse. quod tamẽ commissum est in vulgatis editionibus, & in veteri exẽplari. Igitur ita lege, & digere hos versus:

Nunc, vt quenque mihi
Flebilis officij
Relligiosus honor
Suggeret, expediam.
Qui, quamuis humili
Stirpe, loco, ac merito:
Introtulêre tamen
Grammaticæ studium
Ingenijs hominum
Burdigalæ rudibus.
Permaneat series.
Sit Macrinus in his,
Sobrius in pueris,
Et puerorum *
Vtilis ingenijs.
Huic mea principio
Credita pueritiεs.
Nec reticebo senem
Nomine Phœbitium:
Qui Beleni ædituus
Nil opis inde tulit.
Sed tamen, vt placitum.
Stirpe satus Druydum,
Gentis Aremoricæ,
Burdigalæ cathedram

Nátæ

Nati opera obtinuit.
Et tu Concordi,
Qui profugus patria
Mutasti sterilem
Vrbe alia cathedram.
Et libertina
Sucuro progenies.
Qui rudibus pueris
Prima elementa dabas.
Pange & Anastasio
Flebile, Musa, melum.
Burdigale genitum
Transtulit ambitio.
Pictonicaque dedit.
Pauper vbi, & tenuem
Victum, habitúmque colens.
Gloriolam exilem
Et patriæ, & cathedræ
Perdidit in senio:
Doctrina exiguus,
Moribus implacidis.
Proinde, vt erat meritum.
Famam habuit tenuem.
Sed tamen hunc noster
Commemorauit honos.
Relligiosum etenim
Commemorare meæ
Grammaticum patriæ,
Ne pariter tumulus
Nomen, & ossa tegat.

Hæc est vera horum versuum lectio, & dispositio. In quibus luce clariora sunt omnia, quæ antea obscura, distorta, & deprauata legebãtur. ¶Quod ait:

Permaneat series.

hoc vult: quia eorum nullum est meritũ, neq; alius

alio præstat, se secuturum seriem, & successores eorum, atque ætates. ¶Et non sine caussa addidit de Phœbitio,

Sed tamen, vt placitum,
Stirpe satus Drujdum.

quia non omnibus credibile videbatur. ¶Quare superius idem est, quod de eadem re dixit,

Si fama non fallit fidem,

in Elogio Attii Pateræ. ¶De Sucurone, quod in vetere codice inuenimus, bona fide reddidimus. nisi quod ibi, nō *progenies*, sed *progeniem* perperā legebatur. Manifesto videmus Sucuronem nomē peregrinum & seruile. quod conuenit huic Grammatico, quē ait libertinæ conditionis fuisse. ¶*Pange* correximus secuti vestigia eiusdem veteris libri. in quo *Pance* scriptum erat. Quàm sæpe, *C*, pro *G*, veteres librarii posuerint, fidem fecerint illa, *subicitare*, *inicere*, pro *subigitare*, & *inigere*, & infinita talia. ¶*Pictonica* subintellige *vrbi*. Eodē modo, Pictauicæ. Sic enim in Epigrammatis,

Imago Rufi Rhetoris Pictauicæ. ¶Item:

Hoc est ciuitatis. ex veteri libro, *Ambitio*, inquit, *abstulit eum suæ Burdigalæ origini, & dedit Pictonicæ ciuitati.* Subdititii erant Correctoris Lugdunensis illi versus: *Et memorat enuem Nænia Grammaticum.* item ille, *Quámque habuit etiam.*

Quid commiserit tibi indicaui. tu de eius fide, & religione cogitato. Nos meritò eos malæ fidei possessores deiecimus.

Grammaticus ad Seaurum. Disputator ad Cleanthen. Correctum, & ordini suo redditum Crispi, & Vrbici Grammaticorum Elogium. Expositi ingenui. C. Melissus Grammaticus expositus. prorsa, seu prosa oratio. CAP. XIIII.

Perse-

Ersequemur analecta ex reliquiis eorũdem professorum Burdigalensium. ¶In Staphylo legendũ: *Grammatice ad Scaurum*, non, *Grammaticæ*. Significat *iuxta Scaurum*: ¶Sic alibi: *& disputator ad Cleanthen Stoichon.* ¶Iam veniam ad Crispi, & Vrbici Grammaticorum Elogia, quæ quia ne ipsa quidẽ ordine suo leguntur, ego ita, vti legenda censeo, & distinguẽda, proponam.

Tu quoque in æuum Crispe futurum
Mæsti venies commemoratus
Munere threni.
Qui primæuos, fandique rudes
Elementorum prima docebas
Signa nouorum.
Creditur olim feruere mero,
Vt Virgilij, Flaccique locis
Æmula ferres.
Et tibi, Latijs posthabite orsis
Vrbice, Graiis celebris, carmen
Sic ἐλελίσω.
Nam tu Crispo coniuncte tuo
Prosa solebas, & versa loqui
Impete eodem:
Priscos Heroas vt & olim
Carmine Homeri commemoratos
Fando referres:
Dulcem in paucis, vt Plisthenidem:
Et torrentem, ceu Dulichij
Ninguida dicta:
Et mellitæ nectare vocis
Dulcia fatu verba canentem
Nestora Regem.

Ambo loqui faciles: ambo omnia carmina docti:
Callentes mython plasmata, & historiam.

Liberi & ambo genus: sed quos meruisse deceret
Nancisci, vt cluerent patribus ingenuis.

Vocat Vrbicum posthabitũ literis Latinis, & Græcis celebrem, quod Grammaticus tantum Græcus esset. Propterea ficete eum alloquens vtitur verbo Græco ἑλληνίζειν. Quod verbũ in choris Tragicorũ infrequens non est. Prosa & versu loqui eleganter dixit pro ἐμμέτρως, καὶ καταλογάδην. Sunt autẽ quidam, qui non putant *prosa*, sed *prorsa* dicẽdum. Sed falluntur. vtrunque enim probum, & Latinum. sed antiquius prosa. nam veteres illi Latini concursum *R*, cum *S*, fugiebant. Itaque *R* exterebant. Quare *Rusum* potius, quàm *Rursum*: *susum*, quàm *sursum*: *assum*, quàm *arsum*: *prosum*, quàm *prorsum* dicebant: vt nos olim in Coniectaneis annotauimus ex Afranio ¶ Ait eundẽ tres Heroas ab Homero in eloquentiæ laude commendatos expressisse: Nam βραχυλόγον, vt Menelaũ: torrentẽ vt Vlyssem: suauẽ & ex vtroq; mistum, vt Nestorem, fuisse: & ita tria genera dicendi in tribus illis: hoc est ἰσχνὸν in Menelao: ἁδρὸν in Vlysse: μέσον in Nestore executum fuisse. ¶ Rectè autẽ, ni fallor, *mython plasmata* emendauimus. opponitur enim historiæ. Postremo ait: *Non poterant, nancisci genus suum, nec probare se ingenuos, quanuis re vera essent.* Quod illis ego accidisse puto, quia expositi fuissent, & parentes eos nollent asserere. Id quod accidit C. Melisso, & ipsi quoque Grammatico: qui cum Spoleti natus esset parentibus ingenuis, tamen ob eorum discordiam expositus, cura, & industria educatoris sui liberalibus studiis institutus fuit, ac Mæcenati pro Grammatico muneri datus. Quem adeo amauit, vt asserente matre maluerit in statu seruitutis permanere, & veræ origini præsentem conditionem anteferre. Atq; is mihi videtur huius loci sensus: & vera emendatio.

Victorius. Castor Grammaticus. τὰ ἱπερχιούμενα. *Proscholus. Proscholium. Repetita quædam ex parentalibus, & castigata.* CAP. XV.

IN sequẽtis epigrammatis lemmate perperam legitur *Victorino*, pro *Victorio*. Quare & in epigrammate legendum:

Victori studiose, memor, celer-

Fortasse is idem est, cuius meminit Sidonius in epistola à nobis toties citata. Quanquã non videtur. Nam iste Grammaticus tantum fuit: ille apud Sidonium Rhetor. ¶Lege etiam -*sacrificis Curibus*. ¶&, *Libato tenuis*, vt supra in Marcello:

Inter Grammaticos prætenuis meriti.

¶Deinde: *Ad quas de Siculo*. Castoris veteris Grammatici, cuius hîc mentio fit, meminit & Stephanus βοιωτία. Videtur Ausonius innuere hunc scripsisse de Historiis ambiguis. quam scriptionem Græci περὶ τ̃ ἱπερχιομένων vocant. Præterea eiusdẽ Castoris historiæ de Regibus Barbaris meminit vetus auctor Christianus Africanus: qui & paulo post addit οἱ τὰ σύρια συγγεγραφότες Κάστωρ, κὴ Θαλλός. ¶Proscholus autẽ ab eodẽ Ausonio redditur subdoctor. Erat enim in schola ille, qui non docendis tã pueris, quàm eorũ moribus præfectus erat. vt scilicet cõcinne ad magistrũ accederent, vt togam cõponerent, vt omni gestu, incessu, vestitu cõpositi essent. Nam ante scholæ auditoriũ erat locus Proscholij nomine ab auditorio ipso velo tanquã aliquo intergerriuo pariete disseptus. Ibi pueri cõueniebãt eius loci præfectũ, quẽ Proscholũ vocabant, vt admonerentur officij sui ante, quàm ad magistrũ reducto velo accederent. Quod sane institutum non possum non valde commendare. Id ego didici ex veteribus puerorũ colloquiis vtraque lingua scri-

ptis. In quibus ita loquitur puer:

Ὡς δὴ ἦλθον πρὸς τὴν κλίμακα ἀνέβην διὰ τῶν βαθμῶν ἀτρέμα, ὡς ἔδει. καὶ ἐν τῷ προσχολίῳ ἀπέθηκα βιβλίον καὶ κατέψηξα τρίχας. καὶ οὕτως ἡρμόζων κάντεσι εἰσῆλθον. καὶ πρῶτον ἠσπασάμην καθηγητάς, συμμαθητάς.

Et hoc quidem in ludo puerorum: Nam in schola Grammaticorum, aut Rhetorũ videtur Proscholus non omnino docendi munere caruisse. Propterea enim vocatur Subdoctor. Denique Proscholus morũ *κοσμητὴς*, vt magister ingeniorũ cultor videtur fuisse. Sed hîc videtur Proscholus Græca origine, Latina allusione dictũ, vt promagister. nam vocatur, Subdoctor. tanquã ordinarij doctoris vicarius. & verũ est. ¶Pro *Attilio Glabrioni* non dubito legere *Acilio*. vt ex veteribus monimẽtis patet. In gente enim Acilia Glabriones fuerunt, vt notissimum est. In veteri Codice hoc lemma ita conceptũ fuit: *Attilio Glabrioni Grammatico* IVN. hoc est, Iuniori. ¶Ex auctoritate veteris scripturæ illa etiam ita legenda sunt:

> *Tu quondam puero compar mihi discipulo: mox*
> *Me dehinc facto Rhetore Grammaticus.*

¶Supplebo hoc caput ex prætermissis in Parentalibus. In Paulino:

> *Sit satis hoc, Pauline pater. diuisio facta est.*
> *Debetur matri cætera progenies.*

Tractarunt hoc argumentum plures poetæ, vt Antipater:

> Διπλόον ὠδίνασα φίλον τέκος, ἄλλο μὲν ἀνδρὶ
> Εὔφρονι καλλιπόμαν, ἄλλο δ' ἄγω φθιμένοις.

& Heraclides:

Δισσὰ δ' ἐμοῦ τίκτουσα, τὸ μὲν λίπον ἀνδρὶ ποθηνὸν
Γήρως· ὃν δ' ἀπάγω μνημόσυνον πόσιος.

Item ille poeta, qui in matronam Burdigalensem confecit Epigramma:.

Κείμεναι Λυκίλλης διδυματόκου ἐνθάδε κεῖται.
Ἧς μεμέριστο βρέφη. ζωὸν πατρὶ, θάτερον αὐτῇ.

¶In Lucano Talisio lemma ita conceptum fuit in veteri libro: *Lucanus Talisius* CVR A *filij*. Suspicarer legendum: *Lucanus Talisius leuir, Att. filius.* hoc est Attusij. Nam Attusius Lucanus Talisius, fuit socer Ausonij. Quare, si iste eius filius, erit leuir Ausonij. Consobrinum tamen ipse vocat quod miror.

Gryphus ternarij emendatur. aripedes cerui. χαλκόποδες. secus. Σειρηδόνες. omnia trina. sternutatio. Palpitatio. Sonitus auris. CAP. XVI.

NVnc veniam ad Griphum ternarij ingeniosum poema, quod ipse subito calore effudit: ne in vno tantum opusculo ingenium tanti poetæ admiraremur. ¶In epistola, quæ ei poematio præfixa est, legendum ex prisca scriptura *Epyllia*, non *Edyllia*. ¶Deinde:

Cui nihil neque non lectum est, neque non intellectũ.

¶In ipso poemate lege,

-omnia in istis Forma hominis cœpit. ¶Ex ipso libro. Deinde: *Quique nouem noues.* non, vt hodie ex correctione Fr. Siluij, *Quemque nouem.* Omnia, inquit Ausonius, cõsummationis, ac perfectionis suæ momenta cæpit in hoc numero tum forma βρέφους in ipso vtero ad ipsum vsque partum: tum etiã vi-

tæ ipsius humanæ finis. ¶Sanè hic locus malè acceptus erat ab illo interprete, cuius Commentarius, dum hæc scriberem, in manus meas incidit. Quod Virgilius ait,

Fixerit æripedem ceruam licet:

dixit ex Græcorum fabulis, qui eam ceruam vocát χαλκόποδα, quia talem reuerà eam ceruã fingunt fuisse Poetæ. perperam igitur nonnullos Grammaticos etiam veteres interpretatos esse æripedem, ἀεροπόδα, aut ἀερσίποδα. At vides hìc Ausoniũ perpetuũ epithetũ id ceruis attribuere, vt hic nullus ad fabulas Græcorum perfugio sit locus, cùm ait:

Vincunt æripedes ter terno Nestore cerui.

Sed Grammatici nostri temporis, qui hæc notarũt, nõ raro nugãtur. omnes ceruos poetæ χαλκόποδας dicũt: neq; tantũ ceruos, sed omnia, quibus celeritas attribuitur. Quare rectè Hesychius χαλκόποδας interpretatur ἰσχυρόποδας. & poeta Tragicus χαλκόπουν ἐριννὺν vocauit. quod interpres exponit, στερεὰν, καὶ ἀκοπίατον ἐν τῷ ἐπιέναι κατὰ τῶν φονέων.

¶Probo etiam lectionem illam:

Vestra, Ceres, & Iuno, secus muliebre sorores.

Nã secus est sexus. ¶Sic in Technopægnio legẽdũ:

Nota Caledoniis nuribus muliebre secus strix.

¶Memini etiã in codẽ lib. me illũ versũ ita legere:

Tres in Trinacria Siredones, omina trina.

Ergo quas alij σειρῆνας, ipse σειρηδόνας vocat. Et vera est illa lectio. Alioqui enim incõcinna erat. Dictæ enim sine dubio σειρηδόνες, quasi σειραχηδόνες. ¶Amplector etiã, *Omina trina.* Ominãdi sciẽtia à veterũ superstitione diligẽter culta fuit, quã κληδονιστικὴν vocabãt. Quod Ausonius ait eius tres species esse, nõ dubito, quin hæ fuerint: πταρμὸς, παλμὸς, & tinnitus auris. De sternutatione multi, vt Propertius:

Aridus argutum sternuit omen Amor.

Cuius ominationis solicitudinē cū deprecabantur Græci, dicebāt, ζεῦ σῶσον. In epigrāmate: ἀδὲ λέγει, ζεῦ σῶσον, ὅταν πταρῇ. De palpitatione autē Theoc. ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός ἦ ῥά γ᾽ ἰδησῶ αὐτάν; Plautus: *supercilium mihi salit.* vnde Salisatio, παλμος dicitur à veteri Glossario. Suidas:

Παλμικὸν οἰώνισμα, ὅπερ συνέγραψε

Ποσειδώνιος. οἷ, ἐὰν πάλληται ὁ δεξιὸς ὀφθαλμὸς,

Τόδε σημαίνει. De tinnitu auris Plinius, & epigrammatum Græcanicorū liber septimus meminerunt. Sed & elegans illud vetustissimi poetæ epigramma, quod nos primi publicauimus:

Garrula quid totis resonas mihi noctibus Auris?
Nescio quem dicis nunc meminisse mei.
His quis sit, quæris? resonant tibi noctibus aures,
Et resonant totis. Delia te loquutur.
Non dubie loquitur me Delia, mollior aura
Venit, & exili murmure dulce fremit.
Delia non aliter secreta silencia noctis
Summissa, ac tenui rumpere voce solet.

Κνέφας quarta vigilia. κιθάρων. Musæ tres. Musæ nouem. obscura interpretata de Ternario. dependere. congrege. Morbosus. Horatius emendatur. CAP. XVII.

TRes volucres, tres semideæ, tres semipuellæ,
Ter tribus ad palmam iussa certare Camenis
Ore, manu, flatu, buxo, fide, voce canentes.

Cogor hāc fabulā exponere, quia Fr. Siluius, qui in hanc Eclogā Commentariū immanē, & verbosum reliquit, nihil, quod ad rē faciat, in hūc locū scripsit. sed omnia sunt ægrorum somnia, ac meræ nugæ. Ausonius intelligit de certamine Site-

num cum Musis ad ἄπτερα oppidum Cretæ. Inter ipsum oppidum ἄπτερα,& mare,locus fuit,cui nomen Μουσεῖον:quia in eo contenderunt Musæ cum Sirenibus de cantu Sirenes victæ, doloris impatiẽtes,alas ab humeris suis remouerunt,atq; abiecerunt,& in mare sese præcipites dederunt. Vnde à pennarum amissione oppido nomen ἄπτερα.Hinc vides tres volucres esse Sirenes ipsas.¶Quod ait,

-Noctisque per vmbram Tergemini vigiles -

Ita intelligendũ puto:vt,cum sint quatuor vigiliæ, in singulis terni vigiles sint.Vt vnus quisq; pro sua hora excubet. tres enim horas habet vna vigilia. Neq; aliter sententiã huius loci constare putem. ¶ Sequitur: *-ter clara instantis Eoi*

Signa canit serus deprenso Marte satelles.

vetus liber *depenso*. quod verũ est. Primus Parrhasius,eũmq; sequutus nugator ille, qui commentarium in hoc opusculum edidit, interpretantur, de fabula Martis deprehensi cũ Venere.& gallum gallinaceum satellitem illum, de quo hîc fit mentio, esse volunt. Ego sanè commentum laudo, tamen verum non puto. Pendet enim à præcedẽte versus iste. nihílq; aliud innuit, quàm quartam vigiliam, in qua tubicen instantis lucis ter signum tuba canit.Propertius:

Et iam quarta canit venturam buccina lucem. vbi *venturam lucem* dixit Propertius , vt hic , *instantem Eoum*.hoc est,imminentem.Ita igitur apud Romanos vigiliæ cornicine aut tubicine distinguebãtur. Nam apud Græcos eadem quidem videtur diuisio noctis,putà in quadrantes.vt Theocrito:

– τέτρατον ἄλλοχος ἵςατο νυκτός.

sed tamen tuba tantũ principiũ & finis noctis designabatur. Vnde,vt testantur Grammatici,Sophocles in Tragœdia ἀιχμαλώτιδες vocauit ἀσάλπικτον ὥραν,

tempus quod est inter crepusculum & diluculum. ἑσπέρας γὰρ, inquiunt, καὶ ὄρθρου ἐστάλπιζον. Mihi hæc verior interpretatio videtur. Ná in veteri codice, vt iã monui, nõ *deprenso*, sed *depẽso* legitur. hoc est examinato. Martem enim, hoc est castra Martia, depensa vocat, in quibus libratis & examinatis, æqualiter quatuor partibus noctis vigiliæ cõstituebantur. *Depẽso* igitur, ad examen, & æqualiter partito, significat. æqualibus enim & exactè tributis partib⁹ cõstant vigiliæ. Sic etiam in epistola ad Theonem *dependere*, non *deprendere*, rectè habet vetus liber:

Quas tamen explicitis nequeas dependere chartis.

hoc est, quantumuis examines, ac dependas, nõ tamen poteris explicare. Non est igitur dubiũ, quin illa Parrhasij sententia, vt longè petita, explodẽda sit. ¶Postea legit vetus liber:

Sed Citheron toties ternas ex are sacrauit.

quasi Græcè κιθέρων esset. quod ne quis falsũ putet, eodem modo dixit, Clytemestra, quasi nõ κλυταιμνήστρα, sed κλυτεμνήστρα diceretur. sic enim in Heroib. *Vindicem adulterij cũ Clytemestra necet.* ¶Quod hîc vult Ausonius de Musis, explicatur disertè à Pausania in Bœotiis. Inde pete. Deinde satis vulgatũ est. *Toties ternas*, hoc est, ter ternas. Tres solæ primũ erant. Eũ enim numerũ primi omniũ Aloidæ constituerũt. Eodémq; numero primi omniũ, eisdem rem diuinam fecerunt Otus, & Ephialtes. Tres igitur tantũ eo tempore. Sed primus ter ternas constituit Pierus Macedon longo post tẽpore. Quod Ausonius in Cithærone contigisse vult: Pausanias autẽ Thespiis. vicinitas loci diuersitatem iudiciorum aut sentẽtiarum excusauerit. ¶Quod ait:

-tenuit quas dextera Phœbi:

Videtur simulachra Apollinis ita fieri solita, vt dextra manu nouẽ Musas sustineant. Sic in multis si-

gnis simulacra Victoriolarũ manu dextra sustinebantur. ¶In veteri libro legitur:

-qui sex præbuisse timebant.

mendosè. vt apparet. Ego lego, *præmisse*. qui, inquit, metuebãt præmittere, & in vulgus edere sex Musas. hoc ait Ausonius ꝓpter ternarij τελειότητα. nã aut tria, aut ter tria, perfectus numerus. Ita veteres aut tres, aut ter tres Musas esse dixerũt, nam sex dicere illis religio fuit. ¶Lege etiã, *Illa etiam*, nõ *Ille*. ¶Sed idẽ interpres multũ hallucinatur in illis versibus,

Tris coit in partes, &c. putat enim in septem illis versibus continuari idem, & in illis de eodem loqui Ausoniũ. sed longe fallitur. Commendauit ternarium in multis. nunc etiam in ipsa arithmetica. Primo quod sit perfectus numerus ter tria, hoc est nouem. qui idem in suos terminos, hoc est in ter tria itidem resoluatur. Secundo commendat, quod τριὰς, seu ternarius, primus omniũ numerorũ habet par, impar. Constat enim ex monade, & dyade. Primúsque initium, medium, finẽmque habet. Nã centrum suum æqualibus spatiis ad initium, & finem componit. Tertio laudat ternariũ duplicitet: primum in numeris imparibus, quòd centrũ eius, seu mediũ, hoc est vnitas sola potest diuidere quinarium, & septenarium. Nã in primo versu numerorum, hoc est in ipsis numeris, qui vulgo dicũtur articuli, duo illi numeri, quinarius, & septenarius primi dicuntur, quoniam à nullo numero, sed à seipsis nascũtur, nec æquis portionibus diuidũtur, & à nullo numero diuidi possũt, nisi ab vnitate. Deinde eadem vnitas, hoc est centrum ternarij, sola cubum ex impare terno in æquales trientes resoluit: puta cubum nouem, qui est ex impare ternario, resoluit in tres trientes æquales. Nam æquipares id significat. quia in tres partes æquales dirimit cubũ.

Æquales

Æquales enim sunt, cum vnaquæq; habeat tria. In paribus autem, quod tria media in numeris paribus sint, in quibus idē omphalus, vt ipse dicit, secernitur. Sunt autem tria illa media, quatuor, sex, octo. Primi enim numeri ex monade efficiuntur duo, tria, quatuor. Si ex eodem vmbilico seu cētro duplicentur, hoc est, ex binione, efficient tria illa prædicta, quatuor, sex, octo. Quid istis clarius, obsecro vos? Tamen ex istis verum griphum, qui ita perplexus erat, vt inde se extricare non possit, cōfinxit nobis idem Franciscus Siluius. ¶Legendum verò est, *Congrege ter trino*, non *Cum grege*. Sic in epistola ad Paulum:

-& congrege volgo
Augustus feruere vias-

Idē error hactenꝰ in Horatio animaduersus nō est, ne ab ipsis quidē eius poetæ anxiis interpretibus:

-Dum capitolio
Regina dementes ruinas
Funus & imperio parabat.
Contaminato congrege turpium
Morbo virorum -

Malè enim hactenus legitur, *cum grege*. Atqui intelligit morbosos, hoc est, effeminatos & contaminatos viros. Morbus virorū, & morbosi viri: vt scelus viri, scelestus. Morbosis igitur ac contaminatis viris ex omni colluuie collectitiis, hoc est enim, congreges viri, funus imperio parabat Cleopatra. Notum enim malè audire hoc vocabulum, *Morbosus*. Catullus:

Morbosi pariter, gemelli vtrique.

At vulgatam lectionē quis sanus volet tueri? Quomodo inde bonum sensum efficiet? Miror ergo minutos istos, καὶ ἀκανθολόγους interpretes, hoc non vidisse.

In technopægnio Monosyllabarum quædam emendantur, Prouerbium non vsitatum indicatur. Varam vibia sequitur. ψογισμός *Titulus Varronianæ satiræ emendatur.* CAP. XVIII.

NOn minus operosum poëma est Technopægnium Monosyllaborũ, quàm Griphus ternarij. In eius præfatione ad Pacatum procos. legendum, *Afranius in Thaide*:

Maiorem laudem, quàm laborem inuenero.

Est enim senarius ex Togata Afranij, cui titulus fuit Thaidi. ¶In tertia præfatione lemma est in veteri libro:

Præfatio monosyllabarum tantum in fine positarum.

¶In eadem Prouerbium illud,

Sequitur ver hiemem.

subdititium, & adulterinum est. Neque vnquã eius in mentem Ausonio venit. ¶In illo enim peruetere libro planè exaratum extat:

Vt in vetere verbo est. Sequitur vara vibiam, similium nugarum subtexero nequitiam. Quod prouerbiũ è situ iam primum erutum qui mihi explicauerit, magnam à me iniuerit gratiã. Sed ne quid in hoc ἑρμαίῳ desideraretur, incidi in optimas & vetustissimas glossas, quæ nondum editæ sunt. In illis ita scriptũ inueni: Varã vibia. Perticæ duæ sũt inter se colligatæ, quæ asserem sustinent. vnde prouerbium: Vibia varam sequitur. Hactenus glossæ illæ, quæ melius, meo iudicio, cõcipiunt prouerbiũ, quàm codex Ausonianus. Nã *Vara* significat perticam ab summo furcillatam, vt colligimus ex illis glossis: *Vibia* autem perticã transuersam, quæ furcillæ illi imposita, & colligata est. Quare si Vara cadat, & Vibiam simul cum illa cadere necesse est. Vnde recte dictum, Varam vibia sequitur. Sane Varã

id significare, præterquam quod ex glossis illis cognoscimus, etiam Vitruuius confirmat libro x. cap. xix. loquens de arietis inuentione: *Cetras*, inquit, *Chalcedonius de materia primum basim subiectis rotis fecit: supráque compegit arrectariis, & iugis varus, & in his suspendit arietem.* Ex his videmus varam, quæ arrectaria statuitur. Vibiam verò quæ transuersaria, vt iugum superponitur. Sed vnde dicta sit Vibia, & quæ ἐτύμου caussa, & vtrũ *bibia*. vt in Ausonio, an *Vibia*, vt in Glossis, scribendum sit, nescio. Mihi sufficit & prouerbiũ, & eius interpretationẽ ex veteri Grammatico indicasse. Prouerbium quadrat in eos, qui cũ vni vitio indulserint, deplorata omni verecundia, & profligato pudore ad alia præcipites feruntur, quasi omni iacta bonorum alea. Cui non absimile Hispanorum, qui arguti in his vulgaribus dictis sunt. In eodem enim sensu dicũt, *funis secutus est situlam.* Cum enim situla decidit in puteum, & funis quoque. quo illa apta pẽdebat, sequitur. ¶Sed præstiterit duo nomina propria interpretari *Vibiam*, & *varã*. Nam Vibij, & Vari, nomina gentilitia Romæ. *vara vibiam*: hoc est τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ ἕπεται. ¶In eadẽ epistola vetus liber habet, *Inepta venerem*, non *inamena*. ¶Item, *Mutuum muli scalpant*: non autem *scabant*, quanquam bonum est *scabant*. Scabo κνῶ, κνήθω. Lucillius:

Scaberat vt porcus detritis arbore costis.

Itaq; defricatio illa scabiei dicitur ψωρισμός. Quare emenda titulum Varronianæ Menippeæ, Mutuum muli scabunt, περὶ ψωρισμοῦ. Quod emendauimus ex duabus vitiosis scripturis, quarum altera habet, ἀφορισμοῦ, altera χωρισμοῦ. neutrum bono sensu.

Sicca rupes. index grus. versus retractus, è tenebris erutus. ἐν καρὸς αἴσῃ. ὗ. V ferale. Φ Palamedica Pax. πάξ. Correcta quædam in Monosyllabis litterarum Græcarum, & Latinarum.

CAP. XIX.

Inuenio in veteri libro:

Vrbibus in tutis munitior vrbibus est Rex.

at in vulgatis non *Rex*, sed *Arx*. ¶Item:

Threiciũ, Libycũ freta, Cimmeriũq; secat bos,

Libycum intelligit Ægyptum: Nam vulgata lectio est Hieronymi Auantij. ¶Item:

Sicca interrupes Scythicas stetit alitibus crux. vbi *Sicca* loca dicũtur, vt alibi notamus, frigida. ¶Item

Ibycus vt perijt, index fuit altiuolans grus.

non *Vindex*. Quod sane verum est. Nam index fuit, non vindex. ¶Item lege:

Indulge Pacate. non, vt in excusis, *Pauline*. Nam hoc Technopægnium Pacato dedicatum est, sed Paulino missum. ¶Item:

Barbarus est Lytus, pellax Geta, femineus Phryx.

¶Post eũ versum ex fide veteris codicis versum fugitiuum retrahimus:

Fallaces Ligures, *nullo situs in precio Car.*

Notum ex Homero. ἐν Καρὸς αἴσῃ. Item vulgatum illud: ἐν Καρὶ κίνδυνος. ¶In Grãmaticomastige quo modo intelligenda sint illa, *Al*, *Min*, *Tau*, alibi explicamus. ¶In literis Græcis, ac Latinis diligenter consideranda est castigatio nostra in eo.

Hoc tereti argutóque sono negat Attica gens οὔ.

Quis enim hanc veram lectionem neget: contra, illam vulgatam, falsam? In hac castigatione adiuti sumus veteri scriptura, quæ habebat pro. *ligat*, *egat*. nos *negat* fecim⁹. vt eo ad verũ sẽsũ deducti simus. De eadẽ enim litera intelligit ad Paulinũ scribens:

Vna

Vna fuit quondam, quæ respondere Lacones
Litera, & irato regi placuere negātes. Lego ex eodē:
Ω, quod & OY Græcum compensat Romula vox O.

Quibus verbis allusum ad verba Nigidij apud Gellium, qui inscitiæ arcessebat Græcos, quod οὐ ex ο, & υ fecissent. ¶Lego ex eodem:
-ferale sonans V. ferale vocat: quia ab eo Vlulare verbum incipit. ¶Item *-imitata vagor ξ.* ¶Item,
Ausonium si Pe scribas, ero Cecropium P.
Nam Latini pronunciant Be, Ce, De, Ge, Pe, Te. ¶Habet idem liber:
Hæc crucis effigies Palamedica porrigitur Φ.
Nam inferiora eius literæ veram crucem efficiunt, non gruem. Imo potius literam Y excogitauit Palamedes ex gruum ordine. inuenisse & eundem φ, testes sunt veteres. Dici autem non potest non solú, quàm ingeniosè, sed etiam quàm festiuè opus hoc concludat ex Heautontimorumeno Terentiana: tū vt opus suum clauderet, tum vt monosyllaba terminaret. Ait enim:
Totū opus hoc sparsum, crinis velut Antiphilæ, Pax.
Nā *Pax* semper interponebatur ad interpellandū vel truncandum sermoné, vt licet colligere ex Plauto infinitis prope locis. Qui enim admirātis esse dicunt, non mihi persuadent: & cum id mirer ab illis dici, eo tamen non vtar in ea admiratione. Sed cō sulant Plautum, qui toties eo vsus est. Quin, quod magis admirentur, non est vox Romana, sed Græca. eáque vtebantur, cum sibi silentiū imponebāt, opposito ad os digito. Atque id ita esse vero vincā ex Diphilo. Cuius hæc verba sunt:
Δειπνεῖ τε καταδύς, πῶς δοκεῖς; λακωνικῶς.
Ὄξους δὲ κοτύλην. πάξ. τί πάξ;
An non satis constat tum Græcum esse, tum etiam silentij esse, non admirationis? Cum enim sibi silē-

tium imponebant, tanquam vlterius sermoné procudere vererentur: aut cum quæ dicta erát, indicta vellent: aut cum ex sermone præsentes dimitterét, tú πάξ dicebát. Hesychius πάξ ἐπὶ τῷ τὸ τέλος ἔχειν. Quomodo iam vsurpat poeta noster.

Corrigitur epicedium patris. chria. scitum. index. opulens. CAP. XX.

Lvcilliano stilo, patris sui, itémq; prædioli Elogiú scripsit. In quo mihi videtur omnium, quicunq; idé tentaturi sút, conatus posse deterrere. De industria enim veteré illá simplicitatem affectat. & quantú potest, ad eius characterem stilum suum componit. Paucula igitur analecta in epicedio patris, tanquam aliud agétes euerremus. ¶ Habet vetus liber, *Non opulens, neque egens.* vt in ordine clararum vrbium:

-opuléns que moneta. ¶ Item, *semper eadem habitus* hoc est, ταὐτῇ, ὁμοιοτρόπως. vt apud Plautum, Lucretium, Varronem, & alios. ¶ Illud verò non oscitanter legendum:

Indice me nemo, sed neque teste perit.

Inepte enim *iudice* legebatur. Ná iudex de aliquo crimine captus, qua conscientia potuit scelerosum absoluere? At illa sæpius iuncta legas: index, & testis. vt *-quibus indiciis quo teste perisset?*

¶ Postea ex eodem libro plane legendum:

Factio me sibi non, non coniuratio iunxit.

Quæ sane longe concinnior, & verior est sentétia.

¶ Quin illud elegantissimè ex eodem:

Felicem sciui, non qui, quod vellet, haberet:
Sed qui per fatum non data non cuperet.

¶ Quas Græci vocant χρείας eas Latini *scita*, & *oracula:* vt, *Scitum* illud Catonis: *Oraculum* illud Catonis.

nis.Ergo hanc chrian suam fuisse dicit Iulius Ausonius: *Felix est,non qui habet, quæ vult: sed qui non vult,quæ non habet.* Propterea vsus est verbo *Sciscendi.*quia videlicet ipse sciuit & auctor fuit eius gnomæ,seu chriæ.Nam chriæ, & oracula,cũ citantur, semper referuntur ad auctores suos. ¶Porrò ita illa legito:

Famam,quæ posset vitam lacerare bonorum,
Non finxi.&,veram si scierim,tacui.

Hæc enim omnia ita habet vetus liber.¶Ex eiusdẽ fide,& auctoritate reponimus:

-gnatos quatuor edidimus.

Quod confirmatur postea ex illa enumeratione liberorum susceptorum. Prima Æmilia Melania in cunis decessit: Vltimus Auitianus vix pubertatem egressus obiit. Secundus est D.Ausonius poëta noster.Tertia IuliaDryadia nupsit,&liberos suscepit. Vera igitur est scriptura illa.¶In lẽmate prædij legendum *Lucilliano stilo.* Idem error in Petronio Arbitro : *Luciano schedio* pro *Lucilliano.* Est autem poëmatium illud in herediolum elegantiæ priscæ, & venustatis plenissimũ.De quo hoc possum serio affirmare:si sine nomine, aut titulo in veteribus cõmembranis repertum fuisset.idem illi potuisse cõtingere, quod multis aliis poëmatis Ausonianis, Rosis,Viro bono, Literæ Pythagoræ,& aliis.Nã vt illa sine nomine auctoris in veteribus libris reperta, Virgilio diu attributa fuerunt: ita hoc delicatũ elegidiõ nõ nisi veteri cuidam , ac etiã vltra ætatẽ Virgilij poëtæ adscriptum fuisset.Sed non omnium est de his sententiam ferre.Odi profanum vulgus, & arceo.quid mirum si mysteria hæc non norunt, qui ad eorum penetralia nunquam accesserũt?Quare taceant,si sapiunt.quorum ego iudicia de Poëtis non pluris facio,quàm ipsorum poëmata. quãquã,

vt ingenuè fatear, pro illis ne manum quidem verterim: Eos igitur missos faciamus. Vnum addam. omnia ferre possum. Pædagogicum iudicium ferre non possum.

Annotata in Epigrammatis. locus Columellæ stigmatiæ fugitiui. CAP. XXI.

NOn alienum erit, & quædam in epigrammatis discutere. In epigrammate de fera à Cæsare interfecta, non dubium est expungendum illum versiculum.

Quas ferat à celeri vulnere dextra valens.

Est enim ineptissimus, & ab illis audacibus Correctoribus, qui nihil non cõtaminant, importune hîc obtrusus. Reponendus autem ille, quem in veteri codice reperit Mariangelus:

Quæritur, & fallit lumina plaga recens.

Non dubito, quin primis tẽporibus ille versiculus in libris Ausonij desideraretur. Et ad eam lacunam explendam munificos Correctores de suo illũ versiculũ Ausonio donasse. ¶In tumulo hominis felicis aliter conceptus est vltimus versiculus, hoc est concinniùs, ac meliùs:

Seu meminisse putes omnia, siue ni hil.

¶In epigrãmate de venenaria vxore, lõge aliter habet lemma in veteri membrana, IN EVMPINAM ADVLT. Puto scribendum, IN EVNAPIAM ADVLTERAM. ¶Scribendum etiam ex eodem, In tumulum sedecennis matronæ: Item:

Quis mortem accuset? quis non accuset in isto
Aetatis? meritis anus est, ætate puella.

Quis neget vulgatam lectionem ineptissimam esse? Non dissimulabo, quid secutus sim in illo vetere exemplari. In eo scriptũ erat, *quis non accuset insta.*

nos

nos fecimus, *in isto.* ἀρχαϊκὰ sunt, *Istud ætatis*, *Id ætatis.* Et ita pristinæ venustati suæ restitutum est epigramma. Quis, inquit, accuset mortẽ, cum meritis anus sit? quis non eandem accuset in illa tenera ætate, cum adolescens moriatur? Sic Martialis:

Dum numerat palmas, credidit esse senem.

¶Epigramma in Pergamũ scriptorem fugitiuũ retractum è fuga, non est singulare: sed sunt duo epigrammata. Nam primum continetur duobus distichis, alterum tribus. Notũ est vestigia imprimi solita frontibus seruorum fugitiuorũ. Propterea ait:

Ergo notas scripto tolerasti Pergame vultu.

Propterea apud Columellam in Hortulo, loquentem de lepidio, puto legendum:

-fronti data signa fugarum.

quia hoc propius accedit ad veteres editiones, quæ habẽt *fucarum.* Quod tamen placuit doctissimis viris, *focorum.* nec mihi displicet. Et, vt verum fatear, vetus codex habet:

Deletura quoque est fronti data signa focorum.

¶Epigramma de sene Myrone, qui Laidis noctẽ rogauerat, confectum est ab Ausonio ex Apophthegmate notissimo Adriani imperatoris. Vide in eius vita. ¶Ad libellum suum: repone *- bene ais: Caussa sed ista mea est.* ¶Quod scribitur in eleganti epigrãmate de duobus fratribus Chresto, & Acindyno, nõ absimile est ioco Philippi Macedonis, prĩcipis, meo iudicio, maximi. Duo fratres erant in eius satellitio, quorum alter ἀμφότερος vocabatur segnis, & nullius precij, alter ἑκάτερος, homo strenuus, & vigilax. Itaq; dicebat Ἑκάτερον esse Ἀμφότερον, Ἀμφότερον autẽ οὐδέτερον. ¶In epigrãmate Latino de iisdẽ fratribus, secundus versus concinnatus est à correctoribus. quia, vt puto, vacabat ibi spatium, & lacuna in veteri libro. Nam id facile probatur, tũ quia

pentameter non est, vt vltimus: tum quia coactus, neque liber est. &, si verum profiteri licet, primum illud distichon, nó puto esse Ausonij. Sufficit enim vltimum lemma epigrammatis,

Incipe: dimidium facti est cæpisse.

ita expressum est in mébranis: Ex Græco, ἀρχὴ τὸ ἥμισυ παντός. ¶In eodem libro scriptum erat, *Dadralis potio?* non *Dodra.* ¶Epigramma in Britonem nó est vnicũ, sed singularia disticha sex. Vnũ quodque legendum est separatim eodem titulo, *In eundem.* Varie enim eadem materia lusit. Cognominabatur autem Brito iste *Bonus.* Vnde captat argutiæ opportunitatem. ¶Epigrãma de Penelope fragmentũ est, & reliquiæ iusti poëmatis, vt apparet. in quo castigat stili sui vbertatem, & luxuriem Ausonius. ¶Deniq; nihil fere in eius poëmatis reperias, quod eius sæculi scholasticum tumoré referat. Ita omnia ad imitationévveterum, tanquam ad examen quoddam exiguntur. ¶Est & epigramma Fastorum ad Hesperiũ filiũ, quoddam ipsorum Fastorũ ὑπομνημάτιον. ¶Idque recte præfert lemma in antiquo libro. ¶Conclusio:

Ausonius Hesperio filio suo S.

¶Sequenti epigrammate ex eodem lege:

Vndecies, vnámque super trieterida necte.

Epigramma Græcum indicatum. Talis, ὁ δεῖνα. Verba Nigidij de diphthongis Græcorum indicata.

CAP. XXII.

NOndum omnes epigrammatum rationes putauimus. Est enim de ratiuncula reliquum pauxillulum mendorum. ¶In Niobe vetus liber habet:

Thebarum Regina fui, Sipyleia cautes

Quæ modò sum. læsi numina Latoidum.
Est enim quasi quædam cōiectio caussæ, quam exponit Niobe. ¶Epigramma in hominem vocis absonæ non vsquequaque bona fide excusum est. Nam ita Pentameter ille restituendus:

Quum vis Arcadicum fingere, Marce, pecus.

Quod quare mutauit Lugdunēsis corrector? ¶Deinde: *Et quicquid vocum bellua talis habet.*
Eleganter. Nā *Talis* ibi est, ὁ δεῖνα. vt Iurisconsulti, illæ Kalēdæ, & illæ, ἡ δεῖνα νεμηνία. Ergo Talis, & ille, ὁ δεῖνα apud Latinos. ¶In eleganti epigrammate de sepulchro vacuo lego: *-sic quæso querela Longius-* non *Longior*. Est autem ad verbum mutuatum ex illo Græco:

Αὐτῷ, καὶ τεκέεσσι, γυναικί τε τύμβον ἔδ ξυῶν
Ἀνδροτίων. ἔπω δ᾽ οὐδενός εἰμι τάφος.
Οὕτω καὶ μείναιμι πολὺν χρόνον. εἰ δ᾽ ἄρα καὶ δεῖ,
Δεξαίμην ἐν ἐμοὶ τοὺς πρετέρους, πρετέρους.

¶Lege etiā, in *Auxilium*. Nam rectus casus *Auxilius* erit solœcismus. ¶In eo epigrāmate vetus liber agnoscit *solicismus*, non *solæcismus*, vt consulatur vet sui. In diphthōgis literæ eæ tolluntur, quibus sublatis, idē semper sonus manet: vt in οι, ει, quæ sunt ferè eiusdem soni, nō ἰῶτα demendum, sed altera vocalis, qua absente nihil sono deperit. Nam illæ duæ diphthongi propius accedunt ad, ι, quàm ad ε, aut, ο. Et hoc est, quod Nigidius dicebat: se Græcos non tantæ inscitiæ arcessere, qui ου, ex, ο, & υ, scriberent, quantæ, qui ει, ex ε, & ι. Illud enim inopia fecerunt: hoc nulla re subacti. Quæ verba facilè indicant nullam differentiam inter ει diphthongū, & ἰῶτα simplex fuisse. Sunt autem ea fideliter memoriæ commendanda, vt quæ non vulgarem doctrinam in se contineant.

Maceta. Macetia. Ingenuum signum. Hercules Mediolani Tutela. labrum fossæ. pagus. Gessoriacus pagus Bononia. Olympiodori historia. plateæ nomen seruant. Duiona. CAP. XXIII.

Libelli de claris vrbibus titulus in vetere libro est, ORDO NOBILIVM VRBIVM. In eo Alexandriam, & Antiochiam ita alloquitur eruditissimus poëta:

Et vos ite pares, Macedúmque attollite nomen.

Sed vetus ille nunquam satis laudatus liber aliam lectionem præfert:

-Macetúmque attollite nomen.

Quæ vera est. Nam Macetia, Macedonia. & Macetæ, Macedones. Gellius lib. IX. cap. III. ex veteri scriptura *Philippus Amyntæ, terræ Macetiæ Rex, cuius virtute, industriáque Macetæ locupletissimo imperio aucti, gentium, nationúmque multarum potiri cœperant.* Hesychius: μακετία, ἡ μακεδονία ¶ Tertius versus ab istis carnificibus, & tortoribus librorum varie cruciatus fuit. Sed ex prisci libri auctoritate ita legendus est:

-ingenuum cuius fuit anchora signum.

Ingenuum signum vocat αὐτοφυές, vel potius, vt ex Aristotelis poëticis interpretemur, σημεῖον σύμφυτον Id enim valet, ingenuum. vt alibi: *Vsque sub ingenuis agitatæ fontibus vndæ.* Ingenuos fontes, vocat τὰς μὴ χειροποιήτας. Nam ingeniũ, est natura ipsa. Næuius in Lycurgo:

-ite actu in frondiferos lucos, vbi
Ingenio arbusta nata sunt. non obsita.

id est, vbi sunt ingenua arbusta, non manu, aut arte sata. ¶ Quod ait:

Qualis inusta solet generis nota certa-

intelligit de notis pecudum. Virgilius:

Continuóque

Continuoq; notas: & nomina gentis inurunt.
Vide quæ olim in Coniectaneis notauimus. ¶In Mediolano:

Et regio Herculei celebris sub honore lauacri.
Regionem Mediolani indicat fuisse, quæ diceretur *Herculeum lauacrum*, aut *Hercula balnea*. Sanè Herculem tutelã Mediolanensium fuisse patet ex istis inscriptionibus Mediolanensibus :.

HERCVLI
Q. EVPHEMVS
Q. F. O V F
LVCVLLIVS. AED.
VIVIR
V. S. L. M.

HERCVLI
L. VALERIVS
TERENTIVS
V. S. L. M.

¶Legendum autem est:

Mœniaq; in valli formam circundata labro.
non, vt interpolatores reconcinnarunt, *circundata limbo*. A parte totũ intelligit, fossã scil. quæ posterioribus temporibus in castris vocabatur *fossatum*. labra enim fossæ dicuntur à Columella, & aliis imitatione Græcanica. Nam Græcis χείλη τῆς τάφρυ. Neque dubitãdum est de hac interpretatione. ¶Mirũ autem veterem librum non Emeritæ, sed Hispalis

E

nomen præferre.

Clara mihi post has memorabere nomen Iberum
Hispalis. Sed falsum puto. Nam non illam æquoreus præterlabitur amnis, sed Emeritam. Quare alibi dicit:

Emeritaq; amnes, lataq; fluenta Garumnæ. ¶In Narbone: *Qui Pyrenaicis niuibus dirimuntur Iberi.* ¶Item: *Vsque in Tectosagos paganáq; nomina Belcas.* Belcas seu Bolcas vocat pagana nomina hoc est pagos, vt, Nomen Aquitanum, hoc est Aquitanos ipsos: quod habitarent per pagos, vt Heluetij. latè enim patet pagi appellatio, vt & ciuitatis. Sic in veteribus monimentis Christianorũ martyrũ semper legitur. Pagus Velaunus. hoc est tota præpositura Velaunorum: & pagus Gabalus & sic de aliis: Vnde Gallica lingua retinuit, sed corrũpens more suo. dicit enim *Pays*. Non enim pronunciat g, ante vocalem. vt pagare, quod ductũ est à pacare, *payer*. plaga *playe*, &c. Pleraque Gallia olim non solùm per ciuitates, sed & per pagos habitabatur. Sic apud Plinium pagus Gessoriacus, intelligitur non de vno vico, sed de magno modo agri, atque adeò de vna gente quantumuis numerosa. Nam sine dubio totus ille tractus, qui pertinet à Normannis Belgis ad Bononiam, dicebatur Gessoriacus pagus. Hodie oppidum in eo tractu retinet nomen. Nam dicitur *Fissore*. Bononiam verò Gessoriacũ dictam fuisse charta notitiæ imperii, quam Peutingerus communicauit Beato Renano, facile declarat, *In ea enim*, inquit Renanus, *scriptum fuit, Gessoriaco, quod nunc Bononia*. Ne credas vnquam Bononiam Gessoriacum dictam fuisse. Semper enim eam appellationem habuit. sed esse vrbem seu ciuitatem pagi Gessoriaci. Sic possumus dicere Bituriges Vibisci, quod nunc Burdigala: non quod Burdigala sit Bituriges Vibisci: sed

sci:sed quod Biturigum Vibiscorum. Sic Bononia non est Gesloriacus, sed Gesloriaci pagi. Et non est, quod aliud nomẽ ei attribuamus, cùm vetus illud, sit, vt patet ex Ammiano, & Olympiodoro, qui scripsit historiã Honorij senioris, & Theodosij, & Honorii iunioris. Is loquens de Constantino tyranno, cuius postea constitutionẽ producemus, ita scribit: τὰς ζρεστλανίας ἰάσας περαιοῦται ἅμα τοῖς αὐτοῦ ἐπὶ βονωνίαν πόλιν οὕτω καλουμένην παραθαλασσίαν, καὶ πρώτην ἐν τοῖς τῶν Γαλατῶν ὅροις κειμένην. Ea verba protuli, quia is auctor adhuc in scriniis & armariis Bibliothecarum delitescit. Quare apud Sozomenum lib. ix. loquentem de eadem re error est. βυζοvίαν pro βονωνίαν. Verba sunt hæc. περαιωθεὶς δὲ Κωνσταντῖνος ἀπὸ βρεττανίας ἐπὶ Βουζονίαν πόλιν τῆς Γαλατίας παρὰ θάλασσαν κειμένην ὠρεσηγάγετο τοὺς παρὰ Γαλάταις καὶ Ἀκυιτανοῖς στρατιώτας.

¶ Ad rem. In Burdegala lege:

Distinctas interne vias mirêre.

Interne pro internus, quod non semel supra in Ausonio notauimus. Nũc enim internum situm Burdigalæ describit, cum superius externum designasset.

¶ Deinde ex veteri libro: *-domorum.*

Dispositum, & latas nomen seruare plateas.

Nam πλατεῖαι Græce. Sic ad Axium Paulum scribẽs cõqueritur plateas nomen perdere propter volgũ vt ipse loquitur, cõgregem. ¶ Pro *Diuóna* veteres libri habent *Duionam* quod videtur magis Gallicũ, non enim à Diuis dicitur. Nam eo etiam nomine ciuitas Caducorum dicta fuit. Apud Ptolemæum legitur Δουήονα. ¶ Et: *Ciuis in hac sum.*

Consul in ambabus. ¶ Omnino autem ex ve-

teri libro reponendum *quanta vmbra profundi,* non *vnda,* vt vulgò.

Fl. Constantinus Tyrannus. Arelas vrbs Constantina. Septimania. tres vicarij Galliarum.

CAP. XXIIII.

ARelatem non immeritò Gallulam Romã vocat poeta, quod esset & celeberrimũ & opportunissimũ emporium. Quibus commoditatibus inuitatus Fl. Cõstantinus tyrãnus, qui tempore Honorii iunioris imperator in Britãniis declaratus fuit, Arelate fixit sedẽ imperii sui, sanxítq. *Constantinam vrbem* vocari: prætereа vt in ea septẽ prouinciarũ conuentus agerentur, hoc est Viennensis, vtriusque Narbonensis, vtriusque Aquitaniæ, Nouempopulaniæ, Alpiũ maritimarũ. Vnde imperiũ illud *Septimania* vocabatur. Quare & κατ' ἐξοχὴν Narbonensem prouinciã in veterũ Martyrum historia *Septimaniam* vocatam sæpe memini, & à Sidonio Apollinare Epistola 1. lib. 111. Nam præfectura prætorii Galliarum tres vicarios habebat. Primus vicarius septem prouincias administrabat, vtranque Germaniam, vtranque Belgicã, & in Britanniis vtranque Britanniam, & Flauiam Cæsariensem. Secundus quinque: quatuor Lugdunenses, & Maximam Sequanorum. Tertius septem has, de quibus iam locuti sumus. Constantini autẽ de Arelate cõstitutionem communicauit mihi Fr. Roaldus, Doctor meus, vir totius antiquitatis peritissimus, & fidissimus iuris interpres. Nolui igitur lectorẽ tam egregio antiquitatis monumento fraudare, vt præter luculentos locos in illa, quibus Ausonius non parum illustratur, sit, quo plurimũ illi viro se debere omnes studiosi fateantur. plus enim auctoritatis ei accessurum spero, quoniam à tanto

anti

antiquitatis inueſtigatore ad nos peruenit. Simul hanc occaſionem arripui, vt pro eius multis in me beneficiis, amorem meum, quo eum vt amicum: reuerentiam, qua vt doctorem meum: pietatem, qua vt alterum parentem proſequor, apud illos teſtatā relinquerem. Conſtitutio hæc eſt.

IMP. FL. CONSTANTINVS AD AGRICOLAM PRAEF. PRAETORIO GALLIARVM.

SALLVBERRIMA magnificentiæ tuæ ſuggeſtione inter reliquas Reip. vtilitates euidēter inſtructi, obſeruanda prouincialibus noſtris: id eſt, per ſeptē Prouincias mā̃ſura in æuū auctoritate decernimus, quod ſperari plane ab ipſis prouincialibus debuiſſet. Nam cùm propter priuatas & publicas neceſſitates de ſingulis ciuitatibus, non ſolum de ſingulis Prouinciis vel Honoratos confluere, vel mitti legatos aut poſſeſſorū vtilitas, aut publicarum ratio exigat functionum: maximè opportunum & conducibile iudicauimus, vt ſeruata poſthac quotannis cō ſuetudine, in cōſtituto tempore, in Metropolitana id eſt, in Arelatenſi vrbe incipiant ſeptē prouinciæ habere cōcilium. In quo plane tam in ſingulis, quā in cōmune conſulimus: primum, vt optimorū conuentus ſub illuſtri præſentia præfecturæ, ſi id tamē ratio publicæ diſpoſitionis obtulerit, ſaluberrima de ſingulis rebus poſſint eſſe concilia. Tū quicquid tractatum fuerit, & diſcuſſum ratiociniis conſtitutum, nec latere potiores prouincias poterit, vt parē neceſſe eſt inter abſentes æquitatis formam, iuſtitiæque ſeruari. Hinc plane præter neceſſitates etiā humanæ conuerſationi non parum credimus commoditatis accedere, quòd in Conſtantina Vrbe iu-

„ bemus annis singulis esse conciliū. Tanta est enim
„ loci opportunitas, tanta est copia commerciorum,
„ tanta illic frequentia commeantium, vt quicquid
„ vsquam nascitur, illic cōmodius distrahatur. Neq.
„ enim vlla prouincia fructus sui facultate lætatur, vt
„ non nisi hæc propria Arelatensis soli credatur esse
„ fœcunditas. Quicquid enim diues Oriens, quicquid
„ odoratus Arabs, quicquid delicatus Assyrius, quod
„ Africa fertilis, quod speciosa Hispania, quod fœcū-
„ da Gallia potest habere præclarum, ita illi exhibe-
„ tur affatim, quasi sibi nascantur omnia, quæ vbiq;
„ constat esse magnifica. Iam verò de cursu Rodani,
„ & Turoni recursu, necesse est, vt vicinum faciāt &
„ pene conterminū, vel quod iste præterfluit, vel ille
„ quod circuit. Cum ergo huic seruiat ciuitati quic-
„ quid habet terra præcipuum; ad hanc vel naui, vel
„ vehiculo, terra, mari flumine deferatur quicquid
„ singulis nascitur: quomodo nō multum sibi Galliæ
„ nostræ præstitum credant. cùm in eadem ciuitate
„ præcipiamus esse conuentum, in qua diuino quodā
„ munere commoditatum, & commerciorum oppor
„ tunitas tanta præstatur? Siquidem hoc rationabili
„ plane, probatóque consilio iā & vir illustris Petro-
„ nius obseruari debere præceperit Quod interpola
„ tum vel iniuria temporum, vel desidia Tyrannorū
„ reparari, solita prudētiæ nostræ auctoritate decerni
„ mus, Agricola Parens charissime, atque amātissime.
„ Vnde & illustris magnificentia tua & hanc præce-
„ ptionem nostram & priorē sedis suæ dispositionē
„ per septē prouincias in perpetuo faciet custodiri,
„ vt ab Idib. Augusti quibuscunque mediis diebus in
„ Idus Septemb. in Arelatēsi vrbe nouerint Honora
„ ti, vel Possessores iudices singularum prouinciarū
„ annis singulis concilium esse seruandum: ita vt de
„ Nouempopulonia, & de secunda Aquitania, quæ

Prouin-

Prouinciæ longius constitutæ sunt, si eorum Iudi-„ ces occupatio certa detinuerit, sciant legatos iuxta consuetudinem esse mittẽdos. Qua prouisione plu" rimum & prouincialibus nostris *nos intelligimus,„ vtilitatísque præstare: & Arelatẽsis vrbis, cuius fidei secundum testimonia atque suffragia Patritii parẽ" tísque nostri multa debemus, non parum adiicere,„ nos constat ornatum. Sciat autẽ magnificentia tua, quinis auri libris Iudicem mulctandũ esse, ternis" Honoratos, vel Curiales, qui ad cõstitutum locum„ intra definitum tempus venire distulerint.

Ex hac constitutione non obscurè possumus colligere, quæ Ausonius de opportunitate huius Emporii canit his versibus:

Per quem Romani commercia suscipis orbis,
Nec cohibes, populósque alios, & mœnia ditas,
Gallia queis fruitur, gremióque Aquitania lato.

De hoc Constantino, vt coactus à militibus in Britanniis, suscepit imperium, & filium suum Iulianũ Nobilissimũ declarauit, vt missu Honorii Iunioris Constantius, & Gerontius cum Arelate obsederint déque eius exitu miserabili non pauca Olympiodorus Græcus historicus, cuius suprà memini, cõscripsit; Sed ea nihil ad rem.

Pons Arelatis. Soricum auspicium. Crepitus ventris pro omine. De senario numero duodecim ostia Circi. Hermulæ in Circo. Claranus Grammaticus.

CAP. XXV.

SEquitur in eodem Elogio de Arelate:

Præcipitis Rhodani sic intercisa fluentis.
Vt mediam facias nauali ponte plateam.

Põtis eius meminit Atalaricus Rex in quadã Epistola ad Senatũ vrbis Romæ. *Arelate,* inquit, *est ciuitas supra vndas Rodani constituta, quæ in Ori-*

entis prospectum, tabularum pontem per nuncupati fluminis dorsa transmittit. ¶Quod interrogat Ausonius in Technopægnio:

Quadrupes auspiciis quis iungitur oscinibus? Mus.

Hoc etiam testatur Plinius lib. I X. *Soricum*, inquit, *occentu dirimi auspicia, annales refertos habemus.* Quare (vt videtur) ita mures aut sorices oscinum auspiciis iunguntur, vt auspicia vitient, non vt ipsi auspicium faciant. Nam & alia quoque vitium auspiciis faciebant, vt morbus Comitialis: Et, quod ridiculũ est, crepitus ventris. Cato: *Domi cùm auspicamus (honorem Deûm immortalium velim habuisse) serui, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. Si cui ibidem seruo, aut ancillæ dormienti euenit, quod comitia prohibere solet, ne is quidem mihi vitium facit.* At Græcis idem ac sternutamentum poterat, hoc est, bonum omen faciebat. Quod in Hymno in Mercurium canit ita Homerida quidam:

Σὺν δ' ἄρα φρασσάμενος τότε δὴ κρατὺς ἀργειφόν(της
Οἰωνὸν προέηκεν ἀειρόμενος μετὰ χερσὶ,
Τλήμονα γαστρὸς ἔριθον ἀτάσθαλον ἀγγελιώτην.
Ἐσσυμένως δὲ μετ' αὐτὸν ἀπέπταρε.-

Quare Apollo illis omnibus fretus bene sperat de bobus. Ait enim:

Εὑρήσω καὶ ἔπειτα βοῶν ἴφθιμα κάρηνα
Τούτοις οἰωνοῖς;

¶In Epistola ad Vrsulum Grammaticum, ita distinguendi sunt versus illi, & legendi:

Quot teleos primus numerus, solúsque probatus,
Quod par atque impar partibus æquiperat,
Bis ternos, & ter binos, quia conserit vnus,
Qui solus totidem congeminatus habet.

Quot

Quot, inquit, partes cõferit numerus senarius, qui primus & solus τέλειος, iure ob id probatus est, quod partibus suis æquiparat par, atq. impar. Quomodo? quia bis ter, & ter bis vnus facit, & seipsum geminat. Nam bis per ter geminat, ter autem per bis. ¶ subiungit:

Quot faciunt iuncti subter, supráque locati,
Qui numerant Hyadas, Pleiadásque *simul.*

Ænigma sane est istud. Vult autem, nisi fallor, duodenarium numerũ per sextãtes diuidi. Ita erit semper senarius numerus. Nam Hyades sunt quinque, Pleiades septem. Iungantur hi numeri, erũt duodecim: locentur subter supráque, hoc est, duo in vnũ ponantur, erit sextans, nempe ex duabus partibus duodenarii. Ita sex sextãtes reperientur. Nã per sextantes, ita subter supráque locabũtur, si duo ordine per rectam lineam collocentur. Per quadrãtes autem, si tria: vnum scilicet supra, alterũ subter, tertium in medio ad eandem lineã. Per trientes verò si quatuor. ¶ Sed quod suprà posuit:

Ostia quot pro parte aperit stridentia circus,
Excepto medium quod patet ad stadium.

Id ita accipiendum est: amphitheatrum oui figura fuisse, vt & medioctiter docti sciunt. id autem duodecim ostia habebat, vt & pauci quoque eruditi ignorant. Igitur dimidiũ amphitheatri semper habebit septem ostia, vt dimidiũ Zodiaci semper habet septẽ signa. Igitur Circus diuidatur in decumanum & cardinem. ab A, ad B, decumanus sit: à C, ad D, cardo. Ego aio ab A, ad B, septem ostia esse, sicuti à B, ad A. Sic etiam à C, ad D, & à D ad C. Aperiebãtur autem miro artificio omnia simul, sigillariorũ automata machinatione. Cassiodorus: *Bissena quippe ostia ad* XII. *signa posuerunt. Hæ ab Hermulis funibus demißis subita æqualitate panduntur.* Qua-

re iã intelligis, quid voluerit Ausonius, cùm dixit, *pro parte.* intelligit enim, dimidium Circum. Item per *septem ostia* totidem enim habet dimidium am phiteatri. Postremo quid per *apertionem ostiorum.* Intelligit enim machinatam ostiorum laxationem per *hermulas illas* seu *sigillariola.* Porrò Clarani Grammatici veteris, cuius hic circa finem mentio fit, meminit etiam Martialis lib. x.

Scribere te, quæ vix intelligat ipse Modestus.
Et vix Claranus, quid, rogo, Sexte, iuuat?

Nã Asper & Scaurus satis noti ex veteribus Grammaticis, qui eorum auctoritate sæpe vtuntur.

De Lampetra multa hactenus nemini animaduersa. Mustella Ausonij. Exormiston, locus Cassiodori corrigitur ἔγχελυς ἀπύρηνος μύραινα ποταμία. *aristæ.*

CAP. XXVI.

NOn minus errant, qui Ausonii Mustellam nostrã Lampetrã esse negant, quã qui vel veteribus ignotã, vel saltẽ ab illis silentio præteritã volunt. Vtrũque enim aliter se habere vero vincã. Sed illud prius nõ possum non mirari, adeo nobilẽ piscem proprium nomen non habuisse, sed mutuatiuum. Nã & Ausonio, vt videmus, *Mustella* vocatur, cùm alia tamen sit Mustella, & diuersa: & ex vetustissimis Græcis Archestrato quidẽ ἔγχελυς ἀπύρηνος Dorioni aũt ποταμία μύραινα dicitur. Archestratus ideo vocat ἀπύρηνον, hoc est, *exossem*, quia donec adhuc est in mari, post brumã ad æquinoctiũ vsq; vernũ, est ἀνάκανθος Dorioni aũt dicitur ποταμία μύραινα, quod post id tẽ pus, cũ aduersis fluminib. è mari excipitur, habeat μίαν ἄκανθαν μόνην ὁμοίαν τῷ ὀνίσκῳ τῷ χαλκιδικῷ γαλλαρίᾳ. quã quidem ἄκανθαν omnes Galli vocant *Chordam*, quia incipit tunc callum facere, & semper

per ab eo tẽpore aduerſis fluminibus obnititur, vt multæ etiã nõ ſolùm ad capita magnorũ fluuiorũ, ſed etiã in riuulis, qui in magnos fluuios exonerãtur, inuentæ ſint, neque vnquã priſtinas ſedes repetant. Verba Dorionis ita citat Athenæus: Doriõ de ἐν τῷ περὶ ἰχθύων τὴν ποταμίαν φησὶ μυραίναν ἔχειν μίαν ἄκανθαν μόνην ὁμοίαν τῷ ὀνίσκῳ τῷ καλουμένῳ γαλλαρίᾳ. Archeſtrati autẽ verba ſunt hæc, quæ omnibus naturæ ſtudioſis diligenter perpendenda cenſeo. Loquitur autem de anguillis:

Οὐ μὴν ἀλλὰ κλέος γ' ἀρετῆς μέγα κάρτα φέρουσι
Κωπαῖαι, καὶ Στρυμόνιαι. μεγάλαι τε γάρ εἰσι,
Καὶ τὸ πάχος θαυμασταὶ ὅμως δὴ, οἶμαι, βασιλεύει
Πάντων τῶν περὶ δαῖτα, καὶ ἡδονὴ ἡγεμονεύει,
Ἔγχελυς, ἣ φύσει ἐστὶν ἀπύρηνος μόνος ἰχθῦς.

Vides poſtquàm laudauit anguillas, poſtea inferre quanuis præſtantiſſimæ ſint anguillæ Copææ, & Strymoniæ: omnibus tamẽ præſtare eos piſces, qui dicuntur ἐγχέλεις ἀπύρηνοι, hoc eſt, *anguillæ exoſſes.* πυρὴν enim *o. prunorum* aut *ceraſorum.* At anguilla vulgaris, ἄκανθαν etiam prædurã habet, vt ἀπύρηνος vocari non poſſit. Hanc ipſe Auſonius in magno precio ſuis temporibus fuiſſe teſtatur, cũ ait:

-ne lata Moſellæ
Flumina tam celebri defraudantur alumno.

Secundum ætatem Auſonii inuenio piſcem hunc *Exormiſton* vocatum fuiſſe à Græcis illis, qui vltimã oram magnæ Græciæ in Italia accolebant, præſertim à fretenſibus, vbi eius piſcis etiam hodie frequens captura eſt. Caſſiodorus deſcribens oram litoris Rhegini, inter alias eo tractu naturæ dotes, & hæc addit: *Exormiſton quoque inter piſces regium genus, compar murenis corpore, colore diſtans, naribus ſetoſis, coloſtrea delicatudine præditum, oleoſo*

ac suaui liquore coagulatum, appetibilis gratáque pinguedo, cum spumis fluctuantibus inter aeris confinia cœperit enatare, nescit ad cubilia redire, quæ deserit: credo, aut immemor reuersionis, aut teneritudine summa mollitus nequit vndis eleuantibus contraria obluctatione demergere; Fertur corpus exanime nullis nisibus periculum, nulla arte deuitans: & hinc viribus destitutus redire non creditur, quia nec fugere posse sentitur. Hic planè tantæ dulcedinis esse dignoscitur, vt ei nemo piscium comparetur. Communica hæc igitur, quisquis es, cum piscatore Vibisco, aut Aremorico, ni Lampetram statim esse quouis pignore contendet. Cōpara & cum Ausonianis, ni Ausonij Mustella sit, vel ex vno spumarum indicio. Præterea quàm rectè cōuenit nomen ἐξορμιστόν, quia fundum maris deserunt, vt in summum enatent; quod dicitur propriè de naui, sublatis anchoris: & contrà, cùm est fundata anchoris, dicitur ὁρμισθῆναι. Hoc & Ausonius videtur indicare, cùm dixit:

In nostrum subuecta fretum.-

Nam est piscis, qui semper migret, & multū à natalibus aberret. Propterea, vt dixi, vocatum est genus id piscis, ἐξορμιστὸν, quod cùm in neutro genere efferatur, videbatur potiùs vniuersum genus complecti. Alibi locus ex eodem libro Cassiodori, hoc est, ex XII. corrigendus est, in Epistola ad Canonicarium Venetiarum. Hodie enim legitur: *Destinet Carpam Danubius, à Reno veniat Ancorago exormis, Tonsicula quibuslibet laboribus offeratur*, &c. Cum sine dubio legendum sit: *à Reno veniat Ancorago: Exormiston Sicula quibuslibet laboribus offeratur.* vbi notabis, *Exormistum* fœminino genere enunciari. *Setosas nares* vocare videtur propter molle illud, quo prætextus est margo oris Lampetræ. Atque hæc sunt, quæ de Lampetra post multos ætatis nostræ

doctiſſimos viros notamus ; vt eorum de Muſtella Auſonij, aut pertundat δυσπιστίαν, aut confirmet aſſenſum. ¶Notabis autem paulò pòſt ab Auſonio, *ariſtas* ἀντὶ τῶν ἀκανθῶν vſurpari. Quod hodie res manſit in vulgari ſermone Gallico. *Areſtas* enim vocamus. Verba Auſonij:

Segmentis coeunt, ſed diſſociantur ariſtis. Et alibi:
Viſcere præ tenero fartim congeſtus ariſtis.

Pullaria dextra. Marcus, ὁ δεῖνα. Puerile ſecus. Pulliprema. Virum quærit. Cinnæ diſtichon in Pompeium.

CAP. XXVII.

Qvare *feles pullaria* dictus ſit *Marcus* in Epigrãmate Auſoniano, iã à doctiſſ. Turnebo notatũ eſſe video. Eiuſmodi feles pullarias Græci παιδοπίπας vocarũt. Ad id exemplũ Plautus *pullariã* dextram manũ vocauit, quã Ariſtophanes dixiſſet σκιμαλίσειαν. Non puto autem fuiſſe verũ nomen huius impuri hominis, Marcũ. ſed ita dictũ, vt Iuriſconſultis Seium, Mæuium, Titiũ: Philoſophis, Θέωνα, Δίωνα. Nam ea nomina ponuntur, quoties τὸν δεῖνα, & perſonã, qua de agitur, intelligũt. Quod ſanè & in Marco hic facit. Nam & hominẽ vocis abſonæ Marcum vocat, hoc eſt, τὸν δεῖνα. & δυσέρωτα eodem nomine quoq; deſignat. ¶Legendũ verò in eodem Epigrammate:

Corrupit totum qui puerile ſecus.

Nam malè hodie, *puerile decus.* Secus enim dictum, vt alibi:

Iuno, Ceres, & Veſta, ſecus muliebre ſorores. Et:
Nota Caledonijs nuribus muliebre ſecus Strix.

Qui tamen verſus abeſt à noſtro veteri exemplari. Sed & *pulliprema*, non *pullipremo* legendum. Neque eſt id, quod vult Turnebus. Significat enim potius puerorum plagiarium. Nam *premere* id ſignificat,

hoc est ἀποκρύπτειν *furto clepere.* ¶Quod dicitur in fine, ipsũ scarabæũ fore, hãc sentẽtiã habet duplicẽ: καὶ ὅτι ἐν τῷ κυλίειν τὴν κόπρον ἀποσπερμαίνει. καὶ ὅτι κάνθαρος θῆλυς οὐ γίνεται ἀλλὰ πάντες ἄρσενες γεννῶνται. ¶Epigrãma verò, q̃ præcedit, scriptũ est μιμητικῶς in puerũ muliebris patientiæ. Ex eius enim persona dicitur, nõ ex persona Ausonij, cùm de puero se fœminã factam scribit Vt ille cõtra in Epigrãmate Luciani de Lupo factus dicitur hœdus. Patet igitur, quis hîc loquatur, tum quare fœminã se vocet. Eiusmodi enim dicebantur virum quærere. & quem videbant mollẽ victu, vestitu, incessu, ore, & aliis, de eo dicebant, Hic virum quærit. Arbiter:

Quærit se natura, nec inuenit. Omnibus ergo
Scorta placent: fractique eneruі corpore gressus,
Et laxi crines, & tot noua nomina vestis.
Quæq; virum quærunt.

Propterea & idem olim de Pompeio magno dictũ est, qui cũ omni corporis habitu & incessu mollitiam præferret, hanc suspicionem effugere non potuit. Ita enim à Cinna poeta perstrictus fuit:

Fasciola qui crura tegit, digito caput vno
Scalpit: quid credas hunc sibi velle? virum.

Ita enim olim hoc elegantissimũ distichon, & suppleuimus, & distinximus. cùm vulgò apud Senecam legatur: *quia credas hunc sibi velle virum?* nullo sole, nulla venustate. Suppleuimus autem ex Marcellini lib. XVII. cuius verba hæc sunt: *Nec non etiam in Pon[illegible]ium obtrectatores iniqui multa scrutantes, quum nihil, vnde vituperari deberet, inueniretur, duo hæc obseruauerunt ludibriosa & irrita, quod genuino quodam more caput digito vno scalpebat: quódque aliquandiu tegendi vlceris causa deformis, fasciola candida crus colligabat, quorum alterum factitare, vt dissolutum: alterum, vt nouarum rerum cupi-*

dum asserebant. nihil intereße oblatrantes argumento subfrigido, quam partem corporis redimiret Regiæ maiestatis insigni. Hactenus ille. In quibus fascia pertinet ad suspicionem affectati regni: Scalpere autem caput vno digitulo, spectat ad hominis mollitiem, vt hoc diceretur, videlicet, eum virum velle, seu quærere. Sed vt ingenue fatear, hoc distichon in veteri quadam scheda aliter suppletum vidi:

Magnus, quem metuunt homines, digito caput vno
Scalpit. quid credas hunc sibi velle? virum.

Quid potius eligamus, dubito. Hinc Marcellini, hinc mēbranæ veteris auctoritas diuersum capit. Iudicent ergo eruditi. Cum interea non dubitemus, *vtrum quærere* aut *velle*, dictum fuisse in eos, quorum pudicitia ad eum modum, quem suprà notamus, suspecta erat.

Salmacis. Salmacida spolia. Homines. AEolum annus decem mensium. Pheaces. funus indictiuum. funus simpludearium. κωμάγερος. CAP. XXVIII.

NEc minus ad eosdē molles & effœminatos pertinet versus ille in eodē Epigrāmate: *Vidit semiuirū fōs Salmacis Hermaphroditū.* Obtinuit enim apud veteres, eū fontē effœminatos, & cinædos efficere. vnde locus fabulæ de Hermaphrodito. vnde etiā Ennius videtur dixisse *Salmacida spolia.* Ita enim legendū, nō disiūctim, *Salmacida spolia,* hoc est, victoria non virilis, sed effœminata. At vetus Glossariū *Salmacidū* interpretatur ἁλμυρόν. Ita apud Enniū *Salmacida spolia,* nō θήλυκα sed ἀλιθήρατα erūt. Nam captura marina facilior est, quàm venatio. ideóq; ἀναίμακτος. cùm tamen venatio ferarū neq; ἀναίμακτος, neque ἀκίνδυνος sit. Ita igitur Ennius interpretandus erit. ¶ In Epistola ad Paulinū de Philone Epitropo ita scri-

bit: *Qui apud Hebromagum conditis mercibus, quas per agros diuersos coemit, concesso ab hominibus tuis vsus hospitio, immaturè periclitatur expelli.* Homines vocat Ausonius, qui pertinent ad domum alicuius. Vnde Gallicè *Homagium* dicimus. Ita vocantur ab Impp. Constantio, & Constante Augg. L. IIII. C. de dignitatibus. Si vis amplius de ijs noscere, consule Epistolam Theodahadi Regis Gottorũ ad Theodosium hominem suum, lib. x. variarũ Cassiodori. ¶ Sed quid sibi vult γειρῶδες illud in Epistola arithmetica ad Theonem, de ostreis ad se missis? In ea enim hoc legitur:

Aut ter vt Aeolidi mensis tenet ignicomus Sol.

Innuit, nisi fallor, sibi tot ostrea missa, quot mẽses tenebit Sol, si ter tot mensibus constet annus, quot olim in Aeolide constabat. Decem enim mensiũ, nec amplius, annum apud Aeolas fuisse tempore Homeri veteres Græci testantur, vt & apud Romanos sub Romulo. Ad eámque rem vtuntur testimonio ipsius Homeri, apud quẽ Neptunus Nymphã à se compressam ita alloquitur:

Χαῖρε γυνὴ φιλότητι. περιπλομένου δ᾽ ἐνιαυτοῦ
Τέξεις ἀγλαὰ τέκνα. -

Homerum autem Aeolem fuisse, & in Aeolide scripsisse, puto, nemo dubitabit, qui eum aut Cumeũ aut Smyrnæum fuisse mihi concedet. ¶ Mirum est, ꝙ ego legi in veteri exẽplari ex gripho Ternarij:

Tres primas Pheacum pugnas tribus ordine bellis
Iuniadæ patrio inferias misere sepulcro.

Non enim potest dici commentitia lectio, aut ficta esse à librario, neque frustra à vulgata discrepare. Quare enim Thracas vel gladiatores vocat *Pheacas*? Sciẽdũ est, duo funerũ genera apud veteres Romanos fuisse: alterum indictiuum, alterũ simpludearium,

dearium. Indictiuo funeri ludi adhibebãtur. Simpludeario nõ adhibebãtur. Vnde dictũ videtur à ſimplo, quod ſimplex eſſet. Imò potius (vt verius loquar) indictiuo funeri duo adhibebãtur: ludi, & deſultores. Simpludeario ludi tantũ. Vnde dictũ, quaſi *simpliludiarium*. Quæ ſanè ratio & huic rei apta & vera eſt. Iam in iis ludis omnia exerceri ſolita Græcanico more nõ dubito, quæcunq; apud Homerũ Pheaces exercent, curſum, luctam, & huiuſmodi, quos propterea *Phæacas* vocat Auſonius. Eorum verò exercitia in munus gladiatoriũ primum à Iuniadis mutata fuiſſe nunc teſtatur. Quid ſi primum Phæacibus ad munus gladiatorium prius vſi ſunt, vt poſtea Thracibus? Sed quid nugamur? A Phæacibus tales ad hoc munus capi non potuerũt. qui quidem de ſe ita teſtentur apud Poëtam:

Οὐ γὰρ πυγμάχοι εἰμὲν ἀμύμονες, οὐδὲ μαχηταί,

& quæ ſequũtur. Sed Auſonius vult ſpectacula mollia funerũ, ſaltationem, & fidicines, quales Phæacũ fuerunt, mollium, & remiſsioribus exercitamentis fractorum hominũ, ad cruentum munus traducta fuiſſe: vt qui prius Phæaces, poſtea cruenti gladiatores fuerint. Certè ego tantũ illi veteri exemplari tribuo, vt melius neque fidelius me nanciſci poſſe ſperem. Erat enim vetuſtiſſimis Longobardorum characteribus exaratũ. ¶ Porro φέακας dixit Auſonius non φαίακας: vt alibi κιθέρων, κλυτέμνηστρα. Quod multi poëtæ eo tẽpore in eiuſcemodi diphthongis cõmittebant: adeò, vt qui hoc facerent, irriderentur ſalſiſſimo hoc Epigrammate Græco:

Ὦ τλῆμον Κυνέγειρε καὶ ἐν ζωοῖς καὶ ἀπελθών.

Ὡς αἰεὶ κόπτῃ ῥήμασι καὶ κοπίσι.

Πρόσθε μὲν ἐν πολέμοισι τεὴν πέσε μαρνάμενος

Νῦν δέ σ' ὁ γραμματικὸς καὶ πόδας ἐς

Vt enim pedem anapæstum cóficeret, abstulit illi pedem iambú. nam κιναίγδρος dicendú erat. ¶ Sed idem Ausonius σολικισμὸν dixit, vt alibi notamus. ¶ Secundam quoq; quare corripuerit, alibi caussas reddimus, quia quantitas hîc accentú sequitur, vt ibi fusius à nobis disputatur. ¶ Ergo Phæaces hîc molliú ludorú exercitores (vt iam diximus) quorú pugnas tunc primùm spectauerunt Romani, id est, traducti fuerunt ad cruentú gladiatorum munus.

Vtraq; nominatiuus media producta. de Harpocrate. περὶ τοῦ δακτύλου κατασιγάζοντος. Abare. Măma. Tata. τέτλα. Abba. CAP. XXIX.

SVperius attigimus aliquid de Epigrámmate δυσέρωτος. Diximus enim ibi Marcum esse τὸν δεῖνα. ¶ Sed quid faciemus illo versu in eodem Epigrammate?

Odit vtraq; aliud da modo consilium.

Nam alioqui media natura corripitur in voce *vtraque*. An mendú esse dicemus? Minimè gentium. Et in hoc quoq; Ausonius sequitur morem temporum suorum, vt scilicet ibi producat syllabam, vbi prosodiá erat. Nam in eadem syllaba est in nomine fœminino, in qua erat in masculino, vterque. Quare illa ætate hoc faciebant poetæ, & in ista voce, & in aliis, vt alibi docemus. Sic Prudentius in Elogio Eulaliæ Virginis:

Friuola vtraq;, & vtraq; nihil. Est enim dactylicus. ¶ Et in Cathemerino, hymno x.

Tua sunt, tua, Rector, vtráque. Est anapæsticus.

t in Apotheosi:

gebat Dominus. sunt vnum fulmen vtráque.

pse Ausonius ad patrem:

acuisse reor geminis ætatibus, vt se

festinabo tempore vtráque daret.

¶ De Si-

¶De Sigalione, hoc est Harpocrate, nō pauca olim adolescentes diximus apud Varronē in Coniectaneis nostris. Sed nondū tamen mendum omne ex Varronis verbis sublatū est, nam vnius literulæ mutatione pro ET, legendum AT. *Hi Dei*, inquit, *idē qui in Aegypto Serapis, & Isis. At si Harpocrates digito significat.* Dicerē plura, quasi diceret, de iis Diis, sed Harpocrates prope est, qui digito imperat mihi silentiū. Nam vbicunq; colebantur Serapis & Isis, ibi & semper Harpocratis simulachrū erat. Caussam ex Varrone reddit piissimus ac eruditissimus scriptor Aur. August. lib. XVIII. cap. v. de Ciuit. Dei. ita loquens de Serapide: *Constitutum est etiam de illo, vt quisquis hominem eum dixisset fuisse, capitalem penderet pœnam. Et quoniam in omnibus ferè templis, vbi colebatur Isis, & Serapis, erat etiam simulachrum, quod digito labijs impresso admonere videretur, vt silentium fieret. Hoc significare idem & Varro existimat, vt homines eos fuisse taceretur.* Hæc Augustinus. Quin etiam, quod magis miremur, aliquid diuini ponebant ἐν δακτύλῳ κατασιγάζοντι. Quod dicerent quosdam Deos natos esse eo digito labris non solum admoto & impresso, sed etiam annexo. Suidas de Heraisco Ægyptio:

Ἦν δὲ αὐτῷ καὶ ἡ πρώτη γένεσις τῷ ὄντι μυστική. λέγεται γὰρ κατελθεῖν ἀπὸ τῆς μητρὸς ἐπὶ τοῖς χείλεσιν ἔχων τὸν κατασιγάζοντα δάκτυλον. οἷον αἰγύπτιοι μυθολογοῦσι γενέσθαι τὸν ὧρον, καὶ πρὸ τοῦ ὥρου τὸν ἥλιον.

Et quæ sequuntur. Vt veram caussam hanc putem, quare Harpocrates digito labris impresso pingeretur. Eam autē quam reddit Varro, ἀλληγορικὴν puto. Testimonium, quod paulò antè produximus ex Epistola ad patrē, monet me, vt veterē scripturam

in eadem indicem, atq; exponam. Ea ita in illo nũquam satis laudato exemplari concepta fuit:

-nam supparis æui
Sum tibi ego, & possum fratris abare vicem.

Corrector mutauit *-fratris habere vice.* At ego puto verum esse, *Abare*, & esse ὑποκοριστικὸν, quo frater aut soror, fratrem aut sororem compellat. Suidas:

Ἀπφὰ, ἀδελφῆς, ἢ ἀδελφοῦ ὑποκόρισμα.

Απφὰ igitur fratris appellatio, vt τέττα minoris ad maiorem. Sic Latinè *Aba*, quo frater fratré: *Mamma*, quo iunior anum appellat: *Tata*, quo iunior senem. Martialis:

Mammas, atque Tatas habet Afra. sed ipsa Tatarũ
Dici, & Mammarum maxima Mamma potest.

At *Tata* planè Græcum est, τέττα. τέττα γέρων Homero. Et in inscriptione veteri:

M. ELPIDIVS PAMPHILVS PLATONI TATÆ SVO BENEMERENTI FECIT.

Item:

TI. CLAVDIO EPAPHRODITO TATÆ BENEME.

Item:

FLAVIA TROPHIMÆ CVMMVDIO EVAFETI PATRONO, ET FLAVIO ONESIPHORO TATÆ SVO BENEMERENTIBVS FECIT.

Vt ergo à *Lallo* puerile verbum *Lallare*, à *Pappo*, *Pappare*: sic ab Aba, *Abare*. Alioquin *Abba* quoque est

est τέτλα. in Glossario Abba τίτλα lege *Abba*, τέτλα. ἄππα πάτερ. Callimachus. Vicem fratris dictum ἀρχαϊκῶς, vt apud Plautum:

Si tu vis excruciari meam vicem.

Iterum de Druna. Locus Strabonis diligenter perpensus, & correctus. Sulga. Vindelicus fluuius. Sorga. Portus Tralliæ. Nautæ Druentici. Ernaginum.

CAP. XXX.

CVm superiùs de Druna fluuio ageremus, non omnia attigimus, quæ ad eam rem pertinebant. Strabo enim eius meminit lib. III. Sed verba eius scriptoris ita dubia, aut potius manca mihi videntur, vt quid de iis statuam, nesciam. verba hæc sunt lib. 4.

Μεταξὺ δὲ τοῦ Δρουεντία, καὶ τοῦ Ἴσαρος καὶ ἄλλοι ποταμοὶ ῥέουσιν ἀπὸ ἄλπεων ἐπὶ τὸν Ῥοδανόν. δύο μὲν οἱ περιρρέοντες πόλιν κουάρων, καὶ οὐάρων κοινῷ ῥείθρῳ συμβάλλοντες εἰς τὸν Ῥοδανόν τρίτος δὲ Σούλγας. ὁ κατὰ Οὔνδαλον πόλιν μισγόμενος τῷ Ῥοδανῷ, ὅπου Γναῖος ὁ Αἰνόβαρβος μεγάλῃ μάχῃ πολλὰς ἐτρέψατο κελτῶν μυριάδας.

Mirum est, Strabonem suum nomē Sulgæ dedisse: duobus autem fluuiis illis, ex quibus vnus est Druna, non dedisse. Sed quænam illa vrbs est, quæ vocatur ab illo πόλις κουάρων, καὶ οὐάρων; quare omisit nomen fluuiorum, vrbem autem, seu oppidum attribuit duobus populis Cauaribus, & Varis? Deinde qui sunt isti Vari? Profecto neque Vari vlli sunt in ea prouincia populi, neque Cauarum nomen satis opportunè hîc intrusum est. Sed quia de Cauarib⁹ mentionem iam fecerat, nomen fluuij, quod pro-

ximè ad Cauares accedebat, in Cauares ipſos mutatū eſt. Quare ſine vllo dubio κυάρων & οὐάρων ſunt nomina eorum fluuiorum, ſed corrupta. nam non πόλιν, ſed πολλὴν legendū eſt. Duo enim illi fluuij, Druna, & alter, cuius nomen nūc non teneo: immiſcentur cōmuni alueo, & πολλὴν περιῤῥέουσι, multis ſcilicet anfractibus multū agri pererrant. quod vc-rum eſt, & nos ſcimus. Quare κυάρων, & οὐάρων, ſunto nomina illorum fluuiorum, quanquam corrupta. vt ita verba Strabonis legantur:

Δύο μὲν οἱ περιῤῥέοντες πολλὴν Κυάρων, καὶ Οὐάρων.

Ex iſtis duobus alter eſt Druna, alter eſt fluuius ille, ſed minor ipſo Druna, qui Drunæ immiſcetur in montanis Cauarū, infra vicū Caſtillonem. Et ita, vt ait Strabo, communi alueo in Rhodanum defexuntur. Neque putemus Strabonem tam negligentem fuiſſe, qui horum fluuiorum nomina tacuerit. Nam hoc certiſſimum eſt, ab Iſara ad Druentiam, hos tantum fluuios in Rhodanū conuenire: Drunam ſcilicet cum eo, qui eius alueo excipitur. Et Sulgam, qui hodie dicitur *Sorga*, retinens certiſſimas priſcæ appellationis notas. Quem Florus vocat Vindelicum fluuium, quia alluebat oppidum Vindelū, Straboni οὔνδαλον dictū, vel potius οὐίνδαλον. Epitome etiam Liuiana LXI. loqués de eadem re, vocat ipſum oppidū Vindalium: vt manifeſtò appareat apud Strabonem, non οὔνδαλον legendū eſſe, ſed οὐίνδαλον à quo Vindelicus fluuius *Sulga* dictus eſt. Id oppidum intercidit. eiúſque loco hodie eſt portus Tralliæ. Tralliam nautæ Rhodanici vocant tranſennam, quæ in vtranque fluminis ripā extenditur, qua pontonibus traiicitur Rhodanus, eáque poſita eſt propter fluuij rapiditaté, ne ab eius impetu pontones, vel potius traiectoria nauigia abripiantur. Qui legerunt Petrarchā, quis ſit Sorga, du-

bitare,non possunt. Apud Strabonem perperã legitur γνάιος ὁ βάρβαρος, pro, γνάιος ὁ ἀηνόβαρβος. Mirũ est verò tantam veterum Romanorum fuisse solertiam, vt Druentiam nauigiorum patientem reddiderit. qui hodie tamen vix pontones ipsos aliquando in traiectu patiatur. At olim ibi nõ solùm nautarũ negotiatio fuit, sed & classis præsidijRomani: Ita enim legimus in Notitia imperij Romani. *Præfectus classis Barcariorum Ebroduni Sabaudiæ.* Et Nautæ Druentici memorãtur hoc elegãtissimo monumẽto, quod in agro Arelatensi hodie reperitur:

M. FRONTONI. EVPOR
IIIIIVIR. AVG. COL. IVLIA
AVG. AQVIS. SEXTIS. NAVICVLAR
MAR. AREL. CVRAT. EIVSD. CORP.
PATRONO NAVTAR. DRVENTICORVM. ET. VTRICLARIORVM
CORP. ERNAGINENSVM
IVLIA. NICE. VXOR
CONIVGI. KARISSIMO

Portò Ernaginenses, qui hic vocantur, erãt ex oppido Ernagino, quod Ptolemæo dicitur ἐρνάγινον, inter Aquas Sextias, & Arelate.

FINIS LIBRI PRIMI.

IOSEPHI SCALIGERI IVLII CÆS. F.

Ausonianarum lectionum liber secundus.

Emendatur ludus septem Sapientum. Q. Gallius. Theatrum tumultuarium Romæ, Athenis. Theatri tumultuarij lex Romæ, in, ia Athenis. Cinnus. Prudentij locus emendatur. Responsum Apollinis. CAP. I.

IN prologo lepidissimi ludi septẽ Sapientum, legendum ita ex vestigiis priscæ scripturæ:

Nobis pudendum est hoc? Et Atticis quoque. Optimo sanè sensu, cùm antea nullo legeretur: *nõ & Atticis.* nam negatiuam illam *non* habet codex. ¶ Sed & illo corrigendo idem codex facem nobis prætulit: *Forum, atque Rostra separat ius ciuium.* Literula addita adiuui priscã lectionẽ quæ habebat-*separatis ciuiũ*, Malo etiã: *Subitò excitatam.* ¶ Gallius, cuius meminit, est is Q. Gallius. qui præturæ cãdidatus cnm esset, quia in ædilitate sua, quam ante annum gesserat, bestias nõ habuisset, gladiatoriũ munus dedit cùm hoc titulo, *Se patri hoc dare.* Non dubium igitur, in ea ædilitate theatrum saxeum ex struxisse. Porrò diligenter notãda sunt, quæ hic Au

sonius

ſonius ſcribit de ijs, qui primi Romæ theatrum ex lapidibus excitarunt, cùm antea tumultuaria de ligno erigerétur. Imò lex propoſita fuit, vt tumultuaria theatra eſſent, non perpetua. Tertullian. in Apolog. *Vbi ſunt leges, quæ theatra ſtuprandis moribus orientia ſtatim deſtruebant?* Quin & Athenis ipſis tumultuaria fuerunt, antequã θέατρον τὸ ἐν διονυσίῳ conſtructum fuiſſet, dicebantúrque eo tempore ἴκρια. Ariſtophanes Θεσμοφοριαζούσαις.

Ὥσθ' εὐθὺς εἰσιόντες, ἀπὸ τῶν ἰκρίων
Ὑποβλέπουσ' ἡμᾶς -

Notanda, inquam, diligenter quæ hîc ſcribit Auſonius. Nuſquam enim ea apud vllum alium auctorẽ temerè repetas: tanta bonorum librorum eſt penuria: ¶Infrà lego: *Quis condidiſſet priuas partes mœniũ.* non *primas*. Idem vetus liber rectè habet *Prægrederer*, non *progrederer*. Sed verſus claudicat. Sed huic malo ita ſuccurrendum puto,

Sed vt verendos, Dijsque laudatos viros
*Prægrederer. ægre * quid velint ſibi.*

Pro illo *agere*, inuerſo ordine feci, *ægrè*. deeſt autẽ verbum aliquod, puta, *dixim*, aut *dicam*. Aegre, inquit, ac vix dixerim, vix diuinare poſſim, quid ſibi velint. Hoc vnum ſcio, eós pronunciare ſolere ſuas ſententias, quas tamẽ, ſi quis memoria anteuertat, vnuſquiſque nouit. Sunt enim vulgatiſſimæ. ¶In Ludio ex arctoritate optimi codicis lego:

Γίγνωσκε καιρόν. *tempus vt noris, iubet.* ¶Et:

Bias Prieneus dixit, οἱ πλεῖστοι κακοί. Illud ex opinione dixit: *Thales,* ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη *protulit*. Neque aliter poteſt cõſuli verſui, etiãſi omnẽ lapidẽ moueris. Oſtendam alibi, quomodo tempore Auſonij Thales vltimã corriperet. Ineptiſſimè illud vulgò editur: *Dixêre quidam. legifer venit Solon.* Et hãc

quoque lectionem vetus liber retinet. Ego sanè lego: *Dixi. recedam.* nam ex vitiosa scribendi consuetudine natum est hoc mendum, cum scriberent: *Dixi. requedam.* Idem error apud Prudentium in vita Romani Martyris:

Quinos supinat, obuias offert genus.

Legendum enim: *Cinnos supinat* vel *cinos*. Glossariū: *Cinum, ὀπισχιώιον. Cinnus νεῦμα.* Et Italica lingua, & vetus Gallica vsurpant, *Cenno, accennare, accenner.* Quod igitur rectè à nobis hæc emendata sint, habes exemplum infra in Cleobulo:

Dixi recedam, vt sit modus. venit Thales.

¶In Solone de industria emendaui, cū & hac parte vetus codex vitiosus esset:

Neque me esse primum vestrum, aut imum existimo.

Sequens versus confirmat coniecturam nostrā. sed præsertim ille:

Ne primus esset, ne vel imus quispiam.

¶Ex libro veteri luculenter illa emendantur:

Vt in orbe tereti nomina eorum incideret.

Hoc vult: sciscitante quodā quis septem Sapiētum illorum primus esset, Apollinem iussisse, vt in pila eorum nomina inciderētur. Ita nullus erit primus, nullus vltimus, quia in sphæra neque πρῶτον, neq; ἔσχατον est, inquit Plato. ¶Concinnius etiā ex eodē libro puto:

Græcè coactum: ὅρα τέλος μακρῦ βίου.

Plurima in septem Sapientibus emendata Quisque.

CAP. II.

IN eodē Solone lego: *Rectè olim ineptū Delphicus iussit.* Melius enī, q̄ vulgatū, *iusit.* sed ἀρχαϊσμὸς est, iussit illū vt incideret, pro, *iussit, vt ille incideret.* De quo loquēdi genere, quia plena sunt eo Plauti, Terentij, Lucretij,

Varro

Varronis,& aliorum,præsertim Græcorum monumenta,nihil præterea addã.¶Lege ex veteri libro:

Proinde miseros,aut beatos dicere
Euita:quod sint semper ancipiti statu.

Tantum in veteri *dicier* scriptum erat, non *dicere.* quod excusari,quanquam satis frigide,posset.At vt hodie editur,quis intelligat?¶In sequentibus egregiam opem nobis præstitit vetus liber,quanquam ne is quidem omni ex parte incolumis & integer. ¶Legimus enim:

Rex,an tyrannus Lydiæ Crœsus,fuit
His in beatis,diues insanum in modum.

Quo quid melius excogitari potest?Crœsus,inquit, siue eum tyrannum,siue Regẽ Lydiæ mauis appellare, annumeratus fuit inter hos beatos,quos vulgus ante mortẽ μακαρίζει.In veteri libro erat, *His inbeatus.*¶In eodẽ scriptũ est,*Tellana.*Alij tamẽ τέλλον vocãt.¶Emẽdo:*Dictũ moleste Crœsus accipit.Exeo.* ¶& illa ἀσυνδέτα eleganter concepta in exẽplari:

Profectus.victus,vinctus.Regi deditus. Vt semper elucescat in eruditissimo poeta fœlix veterũ Comicorũ imitatio.¶Sed omnium mendorum monstra superat prodigiosus ille versus,ita in veteri scriptura conceptus: *At ille captans funeru instar sui.* Nam quomodo vulgò legitur,cõmentitium est.Quid igitur illo faciemus? confugiemus ad veterem scripturam,hoc est,ad eius vestigia odorãda.Putamus enim Varronem ita scripsisse:

At illico aptant funeis.instant arsui.

Quin flamma, &c. Hoc est,præparant illum, vt ardeat.Sic Virgilius dixit:*Instabant fulmen* de Cyclopibus loquens. *arsus* idem, quod Varroni *arsura.*Instabant arsui, vt dicebat parere vestes indutui,amictui.Hæc ego censeo,vt multa alia,Ausonium imitatione priscorum autorum scripsisse. Quid quod

necesse est apparari rogũ, eiúsque fieri mentionẽ? aliter enim interruptus est sermo, neque vllũ ex vulgata editione sensum eruere possis. ¶Sic etiã lego illud: *Crœsus ad Regem illico*

Deductus lectam per ministrorum manum.

¶Deinde de industria lego:

Interrogatus quem Solonem diceret: non *quæ in Solonem* hoc est: interrogatus quem vocaret, & quare vocaret. ¶In Chilone:

Hui quàm pauca quàm diu loquuntur Attici.

Illud *Hui* non habet locũ in versu, sed est παρεμ-γραφὴ, vt φεῦ apud poëtas Tragicos. Versus verò primus est ex Plauto in Menæchmis. ¶In Cleobulo multum iuuit me vetus scriptura, quanquam corrupta, in illis *persequar*

Per ordinem Poeta dixe isthoc loco

Afer videtur vetter, vt ne quid nimis.

Et noster quidam. μηδὲν ἄγαν. Huc pertinet

Vterque sensus Italus, seu Dorius.

Vide quantum ex hac emendatione vulgatam damnare possis. *Isto loco*, hoc est, in hoc theatro. ¶Deinde sequitur:

Fandi, tac endi, somni vicinus modus,

¶In Thalete ante versiculũ tertiũ deest tale quid:

Cuique olim iussu Apollinis tripodem aureum

Dedere piscatores extractũ mari. Lego sequẽtia sic:

Quod ille munus hoc sapienti miserat,

Ego recusans non recepi - ferè ex auctoritate veteris libri: ¶lege etiam ex eodem libro: *Is igitur ego sum.* Quod scribit Ausonius, *quæ duobus ante me.* Tres tamen sunt ante illũ. sed placuit ita Ausonio dicere. Nam nihil vetãt. ¶Lege verò:

Nos ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη *dicimus.* At quia sententia hæc aliis, non etiam soli Thaleti tribuitur. & effertur, Dorice, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα, propterea sẽper

Dorice hic posita fuit. atqui si eius autor est Thales, nullo modo pôt, quia Thales Ionice locutus est: quare saltem ἄτη, non ἄτα dicédũ fuit. Et superius in Ludio velis nolis, vt constet versus, ita efferéda fuit ea chria:

Tha les ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη protulit.

Quomodo Thales vltimá corripiat, alibi dicemus.

¶Sequentem versum legito:

Latinum est Sponde: noxia est præsto tibi.

¶In Biante puto legendum:

Bias Prieneus sum. dixi, οἱ πλεῖστοι κακοί.

¶In sententiis Pittaci quod scriptum est:

Pareto legi, quisque legem sanxeris. Têporibus Ausonij & supra dicebatur *quisq;* pro *quisquis.* q̃ in Cypriano, Prudentio, Sidonio, & aliis notare potes.

¶Sic in Epigrammate in Virgilium:

Longe erit, à primo quisque secundus erit.

In hoc caput nos tot coniecimus, ex quibus fortasse homines ambitiosi plusquàm duodecim capita confecissent, vt prouerbium antiquum extollant, τὸ ἐπὶ φακῇ μύρον. i. In lenticula vnguentum.

Tituli quidam Ausonianis opusculis restituti. Garus, gyrus. Cœbus, cubus. CAP. III

CArmê in Dominicam resurrectionê hũc titulũ præfert in veteri libro: VERSVS PASCALES PROCO DICTI. Accipio autê Procũ, illũ Presbyterũ, aut Episcopũ. Apage illud illepidũ & inuenustum carmê Rhopalicis versibus conscriptum. Qui potest esse Ausonij, ineptum, insuaue, solœcismis plenum, neque à docto homine, neque seculo Ausoniano scriptum? Quin quisquis fuit ille, qui illud côposuit, nesciebat quæ lex esset horum versuũ. neque enim

eam ritè obseruat. Est ergo fœtus cuiusdã ἀσκητοῦ, aut contemplatoris de deserto Thebaidos, aut ex cella colonorum montis Cassij. Quare hoc portentum in vltimas terras deportandum, neque ciuitate Vibiscorum donandum. Titulus carminis de ætatibus animalium est in veteri libro. *De ætatibus Hesiodion.* Notissimi enim versus Hesiodi ex Plutarcho:

Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη, &c.

¶In eodê lib. De viro bono ἀνδραγρεικὴ ἀκρόασις. vt illud ναὶ, καὶ οὔ, Pythagoricũ est. ¶Itê in Ecloga de vita humana titulus habet: EX GRAECO PYTHAGORICVM, DE AMBIGVITATE ELIGENDAE VITAE. Carmen eruditissimum de ratione puerperij interpretabimur, Deo volête, in Commentarijs ac Castigationibus in Poëtã Manilium: cuius poëma Astronomicũ quot versus habet, tot habet mendorum prodigia, quæ nos, vt spero, omnia ferè sustulimus. ¶Lege autê in eo Carmine: *-transfundit lumen in ortus.* ex ipso Codice, & ex ipsa Mathesi. ¶Item: *Suadet & infusus.* hoc est, *Sol.* ¶Et, *quinti qui cardine signi* qui, hoc est, *aspectus.* ¶Et, *incutit attonitam.* nã de matre intelligitur. ¶Et illi versus ex ipsa mathesi ita distinguendi:

Ast vbi signiferæ media in regione cohortis
Septimus accepit limes rutilantia flammis
Recto castra situ, turgentia fœdera, &c. Penultimus versus interpolatus est ab audace Correctore Lugdunensi, nam in vetere libro lõge aliter erat, ita:

At si difficilis trahit hilithisidera. Ego lego:

*At si difficilis * trahit Ilythyia.* Desideratur autem vox, *nixus*, ita:

At si difficilis nixus trahit Ilythyia. ¶In nominibus septem dierum Titulus est: Eclogarium de nominibus septem dierum. vt appareat ἐκλογὴν esse, &

excepta

excepta quædam ex iusto opere Ausoniano tum hoc,tũ alia.de libra,de mensibus, & eiusmodi carmina. ¶In carmine de Kalendis versus est mutilus in scripto Codice:

Dum rursúmque iterúmque vocantur. Nam cætera sunt Correctoris Lugdunensis.Ibi lege, *vt tandem optati,* quia veteres librarij scribebãt *Obtati.* Quod scriptum est:

octo & octoginta gœris. & super trihorio. Item:
Additis ad hos priores geros geminis orbibus.

Ibi *gerus* est *gyrus,* quæ erat librariorum eius sæculi scriptura.Non alia ratione in Ternario *cœbus* legitur pro *cubus.*Gyros vocat dies naturales,quia gyro conuersionis vniuersi intra XXIIII.horas fiant. Lustrales agones vertit πενταετηρικούς.¶In eorum Epigrammate lege:

Isthmia Portuno bimaris dictat acta Corinthi. Et:
Tartalide Pelopi mœstum dicat Elis honorem.

¶In solennibusRomanorum solenni audacia recõcinnauit versumCorrector,cum vetus liber habuerit:*Vis Ope sanct e sacrum-* Suspicor,*Vis Opis,Aucte. sacrum.*Vt Auctus sit,ad quem scribit,& quem alloquitur.¶In versib.Qu. Ciceronis lego *iubare spirãs Capricorni,*Sunt autem ij versus alieno loco positi, nam debent poni post carmen, cuius lẽma:In quo mense quod signum sit. ¶Eorũdẽ versuum lemma ostendit,ab Ausonio ipso eos versus huc insertos. ¶Lege in ijsdem:*Cornua quem condunt.* Nam conditur Aries veniente Tauro.¶Sequens lẽma ita legẽdum ex eodem libro : Hic versus sine auctore est, Quoque die, quid demi de corpore oporteat.

In Epistola bilingui ad Axium Paulum Rhetorem multa corriguntur παρισώσεις Rhetorum. Lucilij locus insignis apud Gellium emendatur. Clinici.Martialis emendatur. CAP. IIII.

EPistola bilinguis, quã ad Axium Paulum Rhetorem Bigerritanũ mittit, & eruditissima, & elegantissima est. Atq; vtinã minus corrupta ad nos peruenisset, neq; in ea emaculanda potius, quàm interpretanda laboraremus. Vtrunque tamen à nobis necesse præstãdum esse video, nam primùm maculas, quas poterimus, eluemus: deinde, si qua sunt Ausonianæ eruditionis, ac reconditæ literarum copiæ vestigia, ea nobis sagaciter odoranda erunt. Principium igitur ita legendum esse non dubitamus:

Αὐσόνιος Ἀξίῳ Παύλῳ.

Ἑλλαδικῆς μετέχων μούσης, *Latiæq; Camenæ*
Ἀξίῳ Αὐσόνιος *sermone alludo bilingui.*

¶Et:

Σαντονικοῖς *Campoisin*, ὅπῃ κρύος ἄσπετόν ἐστι.
*Erramus gelido*τρομεροὶ, *rigidique poëtæ.*

¶Item:

Πάντα δ᾽ ἔχει παγετός τε *pedum*, καὶ κρυμὸς ὀδόντων.

¶Item:

Primitias Παύλῳ *nostro* πέμψω μελιηδεῖς.

¶Deinde est ἀποστροφὴ ad Musas:

Μνημοσυνῆς κρηδεμνοκόμου *poluinclita* τέκνα.

Quem versiculum ita legendum esse, nemo paulò humanior ignorabit. ¶Deinde:

Ἔνθ᾽ ἄγε μοὶ πολυπτεύετ᾽ ἔπη, καρδίᾳ μολπῶ.
Frontisin ἡμετέρῃς ἀλίγερον *præferte libellum.*

Fron τίσιν bilingui scriptura, dixit pro φροντίσιν. Imò potius φρόντibus, pro eodẽ, à φροντίς bilingui declinatione. Præferte, inquit, vestris feriis libellũ leuẽ, ac quantiuis precij, nam leuem libellũ πτέρινον vocat.

cat. Propterea iam antè dixerat κεράδεα μολπήν. Illud τολυπεύετε, ex antiquis editionibus, præsertim Aldina diuinauimus. In illis enim legitur πολὺ * ἐπικεράδεα, non πολλή, vt in aliis recentioribus. ¶Et:

Ἀσαφύλῳ ἐνὶ χείρεσ habet θυμαλγέα λέσχην.

In quo alludit ad versiculum Hesiodi: καὶ ἐπαλέα λέσχην. contrarium enim est. ¶Item pro eo:

Ὅττι ὠθελξινόοις * μέμφατο μούσαις.

lego:

- μὴν φάτο μούσαις.

vt explendum sit,

Συνέμεν φάτο.

Ὅττι ἀθελξινόοις αἰεὶ συνέμεν φάτο μούσαις.

Musas ἀθελξινόους, hoc est *morosas*, & *tetricas*, vocat artem Rhetoricam, quam profitebatur Axius Paulus. dicit igitur tanquam iuratum non diuelli à tetricis Rhetoricæ studiis. Quod sanè vel ex sequentibus probatur, præsertim vbi suadet, vt eo studio relicto ad mollius ac remissius vitæ genus sese cõferat. ¶Sequentia omnino lepida sunt, quæ ita legenda sunt:

Iam satis, ὦ φίλε Παῦλε, πόνων ἀπεπειρήθημεν

Ἔν τε φόρῳ *causais*, καὶ *ingratais* καθέδραις,

Ῥητορικοῖς *ludoisi*. καὶ ἔπλετο οὐδὲν ὄνειαρ.

Ἀλλ' ἤδη κεῖνος μὲν ἅπας *iuuenalios* ἱδρὼς

Ἐκκέχυται μελέων. τρεμερὴ λάβε βλέμμα *senectus*.

Non malè (vt equidem censeo) secundum versiculum emendamus ex prisca editione, quæ planè habet: καὶ *ingrata es* καθέδραις. ¶Quin & egregiè sequentibus ita consulueris:

Aequanimus si qua fueris, ἐς πάντα μάλ' εὔδειν
Malueris. λάθη δὲ πόνε ἔστ' ἐδὲ πενίης.

Quãta venustas est horum versuum? A diuti sumus vestigiis Aldinæ editionis Suadet Paulo, vt defungatur morosa illa professione, & ad quietem sese tãdem traducat. In quo vtitur verbo dormiendi, quo modo Martialis post longas salutationes optat ita defungi, vt dormiat. Illud verò non oscitanter prætereundum, quia scribit ad Rhetorem eũ vsum fuisse παρισώσει, nẽpe cùm dicit *MALVERIS*. & *FVERIS*. In quo acutissimus, & ad omnia ingenium in numerato habens poeta imitatus est Lucillium suum, cuius valdè studiosus fuit. nam & ipse Lucillius eodem modo ad amicum Rhetorem scribens iocatur. Cuius verba, quia obscura & deprauata apud Gellium referuntur, huc proferre & emendare non alienum duximus:

Quo me habeam pacto tametsi non quari* docebo:*
Quando in eo numero mansi, quo in maxima* nũc est*
Pars hominum, vt perisse velis, quem nolueris cum
Visere debueris. Hoc NOLVERIS, & DEBVERIS, *te*
Si minu' delectat. quòd τεχνίον *Isocratium est.*
* Λῆρ' ὧδες; *simitu tum* συμμειρακιώδες.
Non operam perdo. Si tu hic *

¶ Porrò duo isti versiculi fortasse nõ sunt imperfecti, quia perfectam sententiam continent:

ἐ γὸ ἔχει ἀπόπαμος ἀνὴρ
κλινικὸς, ἐδ' ὁ γέρων.

Quæ mihi subolet desumpta esse per parodiam ex aliquo poeta. Neque est quod miremur diuersi moduli versus huc intrusos, cum idem manifesto fecerit in fine Epistolæ. Clinicum se vocat, quòd decũberet in lecto propter senectutem, quæ ipsa morbus est, nam Clinicos homines deploratæ salutis, &

in morb

in morbo cubantes dici: qualium exempla, vt alia taceam, sunt in Euangelio, satis notum, puto. Martialis lib. III. in Vetustinam:

Sternatur à Coricle Clinico lectus.

Qui versiculus hodie deprauatissim⁹ vulgò legitur.

Reliqua in eadem Epistola & sequenti emendantur, atque explicantur, παραχλέγχεως. Aretalogi. σαπίδης κίναιδος; ἀμφοτέραθεν. CAP. V.

IN eadem Epistola supersunt nobis sētes adhuc runcandæ. vt illa ita legimus.

Κεῖνο δὲ παγκάλλιστον, ut omnibus undique mensis
Σὺν φιάλῃ, ἢ σὺν δέπαι συμποτάων μυστέων.
Θυμοῦ ἀνηχειμένου solatia blanda requiras.

In quibus purgandis aliquantum profuit nobis Aldina editio, nā apud illam ex eo, δέ τι καί, fecimus δέπαι, & ex μυστίων μυστέων. ¶Præterea lego:

Hic erit & fructus δημήτερος ἀγλαοκάρπου,
Ἔνθα σοι εἶδαρ ἔοι πολυχανδέα pocula θεῖτε
Κιρνᾶν, αἴκε θέλοις, νέκταρ vinoio bonoio

Quæ præter eruditionē incredibile quantū saporē vetustatis in se habeāt. Nā ex illo mōstro lectionis ἔνθα συ ἔδλαρε οι, fecimus ἔνθα σοι εἶδαρ ἔοι. Quam sententiam non semel repetit Theognis, cū Cyrno, vti bene se curet, auctor est. Sed & in sequēti lego παραχλέξομεν, nō παραλλάξομεν. Quæ est metaphora elegantiss. à prætерlegentibus litus, neque se in altum prouehentibus. Senem enim se meminit, & parum, & nauigationis huius ætatis exiguum sibi reliquum esse. Itaque in eo versari, vt iam potius legat oram maris, hoc est extremum vitæ,

quam vt alto ſe committat. Poſtremo concludit Epiſtolam imitatione Horatiana:

Dum res & ætas, & ſororum
νήματα πορφύρεα πλέκονται.

Ita enim legendum. At Horatius:

Dum res, & ætas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra. Mox:

Ῥωμαίων ὕπατος ἀρεταλόγῳ, ἠδὲ ποιητῇ
Αὐσόνιος Παύλῳ. σπεῦδε φίλους ἰδέειν.

Vbi nihil mutauimus, præter ν in η. Omnes enim veteres editiones habent ἀρεταλόγων δὲ ποιητῇ. Eſt autẽ iocus Auſonii dubitantis vtrum poetã, an aretalogum eum vocare debeat. Nã cùm aretalogi ſint toto ſermone ac oratione iactabũdi homines. ita vocat Paulum propter Rhetoricam, quam profitebatur, quæ cum miram requirat rerum & verborum memoriam: propterea fit, vt qui eam promittunt, multum de ſua memoria, ac ſuo ingenio iactent. Deniq. qui, vt Agyrtæ, multa promittunt, aut mentiuntur: aut, vt declamatores, prodigioſa argumenta tractant, qualis ille apud Iuuenalem:

Et madidis cantat quæ Soſtratus alis:

Omnes ij eo nomine à Romanis dicti ſunt. Cùm igitur Rhetorem Paulum vellet vocare, facete aretalogum dixit. Salutat igitur primum vt Rhetorem, deinde vt poetam. Quod vtrunque poſtea infrà attingit:

Sic tibi ſint Muſæ faciles: meditatio prompta,
Et memor: & liquidi mel fluat eloquij.

Vtrunque, inquam, complectitur. nam Muſarũ mẽtione ποιητὴν, meditationis, & memoriæ, & eloquij Rhetorẽ intelligit: quin & verbo Rhetoricæ ſcholæ vſus eſt. Meditatio enim, quæ Græcis μελέτη, eſt Rhetorica exercitatio. Doctiſs. vir. Adrianus Turnebus

bus Aretalogũ ab Arete Alcinoi vxore deducit. Si hoc verum erat, oportuit duas primas syllabas produci, quod tamen falsum est. Vide igitur quàm indigna tanto viro sententia. Et tamen quia hoc narrat Vlysses apud Alcinoũ, putat propterea aretalogum dictum. Quasi Iuuenalis primus hoc nomen confinxerit. Et quasi ratio postulet, vt ab Arete potius, quàm ab Alcinoo dictus sit. At ne nomen quidem Græcum est, quanquam ex Græcis vocib. compositum. Nomen, inquam, hoc confictum à Romanis, vt multa alia, prologium, antelogium, propola. Si esset Græcũ, Græci vsi fuissent. Romanorum igitur proprium, compositione Græca. Propriè Circulatores illos Italiæ, qui in cõpitis mira de suis pharmacis promittũt, ita vocare potes. Neque aliter intellexit Iuuenalis, cùm Vlyssem comparat aretalogo. Non enim illi hoc epitheton attribuit, quod tamen putat Turnebus, sed nõ aliter, quàm aretalogum quempiam hæc omnia, quæ narrabat, mentitũ fuisse dicitur. ¶Porrò lege:

δάκτυλον ἡρῷον, καὶ ἀοιδοπόλον χορίαμβον.

Vocat κίναιδον ἀμφοτέρωθεν versum Sotadicũ, quia retrò etiam conuerti potest. Vnde Martialis:

Nec retro lego Sotaden cinædum.

Vterque Cinædum vocat. Vterque de cõuersione eius intelligit. ¶Item:

ῥητορικῶν θαυμαστὰ σοφῶν ἐρικυδέα φῦλα.
πάντα μάλ' ἄκε θέλοις, καὶ πλέον, ἄκε θέλοις.

In quib. vt semper irridet λογοδαιδαλίαν Rhetorũ nimia παρισώσεων affectatione insanientium.

Cursoria, genus nauigij. Blauia militaris. locus Itinerarii Antonini correctus. Saxonicum littus κατεσπαρμένον. Græca fides. Notitiæ imperij locus corrigitur. Ebruicani. Delirus Pauli Comœdia. Dissonus tonus. Colonomos. CAP. VI.

IN Epistola 10. ad eundẽ Paulin. quæ incipit: *Si qua fides*: cũ esset in Sãtonis, in Nouero pago, vbi villã habebat. inuitat Axium Paulũ Bigerritanũ ad agrũ suũ Itaq; necesse ei Blauia iter facere. Recedẽte enim æstu Oceani triũ horarũ secundo Garumna, euectio est Blauiam nauigio expedito, quod Burdigalẽses propter oblongam formã, ac propterea expeditissimi cursus Anguillam vocant: tẽporibus verò Ausonii ea nauigia vocabãtur Cursoriæ. vbi Antoninus idẽ iter Burdegala in Santonos docet, mendũ ẽst in nomine *Blauia*. Nam legitur *Blauuto*. ¶Militarem vocat, quia ibi erat præsidium militum Carronensiũ sub dispositione Viri spectabilis Ducis tractus Armoricani. A Rheni ostiis, & paludibus ad Garumnæ vsque ostia, vel ad Santonos vsque, veteres vocarũt eum omnem tractum *litus Saxonicum*, quod omnẽ illam oram Saxones piratæ myoparonibus infestã haberent. id quod nemo paulo in historiis declinãtis imperii exercitatior ignorat. Sed in duabus Belgicis erat vnus dux Saxonici litoris ad Sequanæ ostia: ab illis ad Garumnam, erat Dux tractus Ebruicani, & Aremorici. Per Ebruicanos, intellige Aulercos. Nam in Notitia Imperii perperam legitur *Neruicanos*, vt alibi docemus. per Aremoricos, omnẽ tractũ vsque ad Ligerim. Igitur tractus Ebruicani, & Aremorici limitis extendebatur per Lugdunenses, secundam, & tertiam, & Aquitaniam secundam. In Aquitania secunda igitur erat Blauiæ præsidiũ militum

militum,à quo propterea militaris vocatur ab Ausonio.vt & hodie quoq. ita vocari poteſt: propter eandẽ cauſſam. ¶Iubet ipſum Paulum afferre ſecũ totam poetarum,& Rhetorum ſuppellectilem: nõ quòd non ipſe habeat,ſed quia,vt colligimus,Paulus mala fide vtebatur libris Auſonii,neque reddebat.¶Propterea lego:

Nobiſcum inuenies,κατενώπια ſi libet vti.
Non Pœna,ſed Græca fide.

Apud nos quidem inuenies,inquit,ſed ea lege, vt κατενώπιον vtare.Quid eſt κατενώπιον?hoc eſt, vt nõ Pœna,ſed Græca fide vtaris. Græca fide dicitur ſolui,quod præſenti pecunia ſoluitur.Quare ille apud Plautum,qui dicit,manus ſuas oculatas eſſe,& credere quod vidět, poſtulat, vt ſibi Græca fide, & ἐνώπιον ſoluatur.Sanè poſſem illud κατενώπια de poëmate quodá interpretari.Sed nolo cõtra animi mei ſententiá nugari. Mirũ tamen Auſoniũ in hac Epiſtola præcipere Paulo, vt ſecum afferat libros, quanquam ipſe habeat.In ea verò Epiſtola,quæ incipit,*Æquoream*, iubet nullos afferre,quia apud ſe inueniet.¶In Epiſtola proſa ad eundẽ, DELIRVS eſt Pauli Comœdia.Sphingis ænigma ſunt illa,quæ in eadẽ hodie leguntur. ¶Denique diſſonum,quẽ Colonomõ exiſtimo propriè à Philologis appellatum,accreui.Hæc eſt veterum editionum, & quod pluris facio,Aldinæ lectio.Hoc,niſi fallor,nihil aliud eſt,quàm ſi diceret.Ego malus Muſicus obſtrepui bono Muſico. Nam cum Delirum ſuum Auſonio recitaſſet Paulus,& ita ille placuiſſet Auſonio, vt vereretur ſuum poëma Paulo recitare,ne ſcilicet Deliri comparatione illa ſorderent,tamen,inquit, ego tandem nõ ſolum ineptiam meam detexi,qui poſt Delirum tuum auſus ſim curſim poëma meũ recitare,ſed etiam eandem auxi ineptiam, qui tibi

ipsum poëma miserim. Metaphora à Musica. vt si canente bono Musico, aut psallente bono Citharœdo, ineptus quis interea obstrepat, & velit ipse quoque ἀντιψάλλειν. Quare τόνοι illi Musices, dicuntur διάφωνοι, hoc est, dissoni. Martianus: διάφωνοι, inquit, *id est, dissentientes sunt, qui, cùm percussi fuerint, inuicem discrepant.* Eos igitur tonos se percussisse ait Ausonius bene canēte Paulo, & doctissimū poëma recitante, atque adeò omninò effecisse νόμον illum, qui à Musicis dicitur κόλος, hoc est, mutilus, & in eo ridiculum se fuisse. Vtitur autē verbo accrescendi ἀρχαικῶς. transitiuè enim posuit. Locus autem ita interpungendus, & corrigendus. Denique dissonū quem Colonomon existimo propriè à Philologis appellatum, adcreui. Vt iubebas, recenti versuum tuorum lectione non ausus, ea, quæ tibi iā cursim fuerant recitata, transmitto. Nam ex recenti versuum Pauli recitatione, Ausoniusq́; versus suos præ illis sordere putaret, & melius secū agi, si supprimeret eos, quàm si exscriptos Paulo legēdos daret, ne se apud eruditissimum virum traduceret: eos tantummodo cursim recitauerat, neque ausus erat tradere. Postea tamen rogatu vel iussu Pauli, eos nunc illi transmittit scriptos.

Struthiocameli ouum coquere. supellex Pauli Rhetoris à creditoribus capta. passer marinus. Paulus Begerritanus. Bigerri. Lapurda castrum. Bigorra castrum. Tursa. Tursana præpositura. Marlotæ. pelliti Bigerri. Benearnum. Hortenses. Lascurra. Eloronum. Elusa. Sanctus Luperculus. Boiates. Caput Boiatum, promontorium. Atyrensium ciuitas. Lactoratenses. CAP. VII.

IN

IN Phalæcio,quo cõcluditur superior Epistola,videtur famẽ indicere Paulo manẽti in fundo suo Crebenno,eũ præcipit illi,vt coquat ouũ passeris marini , hoc est,Struthiocameli.ait enim: ouũ tu coque passeris marini,vel quoque.nã vtroque modo scribebant. Sic in Ephemeride,locus ordinandi quoqui. Nam quæ suauitas in ouo Struthiocameli,eóq. vetusto? Itaque salse illũ dicit in Crebẽno villa esurire, in qua nihil,nisi ouũ struthiocameli habebat.Scimus .n.ea pro ornamentis,aut ἀντὶ κειμηλίων suspẽdi.Ego,inquit,vino vibisco,quod Sãtonos iubeo deferri,bene me curabo,tu verò coque ouũ passeris marini,quod solũ tibi de tuis bonis relictum esse ait promus.In quo nimis dicaciter,meo iudicio, pauperculo amico insultat.Nã sine dubio,videtur eius supellex omnis à creditorib.capta fuisse,& nihil illi præter ouum Struthiocameli,quod pro lacunari pẽdebat,relictum fuisse. Constat.n.ipsum Paulum agellum proscripsisse venalem ære,vt puto,alieno oppressum.Hoc enim indicat Ausonius ipse,nimiũ & in hac quoque parte dicax,& vrbanus , cùm ait:

Sic,qui venalis tam longa ætate Crebennus
Non habet emptorem,sit tibi pro precio.

Ex his igitur patet,quod ait Ausonius de ouo struthiocameli relicto,allusum ad exactores nominũ, qui nihil aliud reliquerãt.Et quod ait,*coque*: nimirum quod nihil illi esculenti reliquissent. Vrbana quidẽ ista, & salsa,sed quæ in amici calamitate mihi videntur importuna.Ita non parcit Theoni,quãuis amico,illudens eius paupertati: an intelligẽdũ est simpliciter,& dicendum præcipi Paulo , vt sibi deferatur illud ouum?Struthiocamelum interpretamur,passerem marinũ.Nam quod auis esset,passerem vocarunt,imitatione Græcorũ, qui ϛρουθίον

vocãt:quod peregrinus,& vltramarinus,marinum, hoc eſt διαπόντιον. Plautus:

Vola curriculo. Iſthuc paſſer marinus in circo ſolet.

Feſtus: Paſſer marinus,quem vocat vulgus Struthio camelũ.¶Fundũ patriæ Begerritanæ intelligit Crebennũ,de quo iam locuti ſumus. Ex quibus colligimus Paulum ipſum patria Bigerritanum fuiſſe. Bigerri autem ſunt populi ad Pyrenæos,qui & *Bigerrones*,hodiéque nomẽ retinent. Eorum arces olim duæ munitiſſimæ fuerunt,in quibus Romanorum præſidia erãt.vna Lapurda,in qua erat Tribunus cohortis Nouempopulaniæ,quæ hodie & ipſa arx munitiſſima eſt:& *Lorda* vocatur,detorto vocabulo à priſca appellatione. Altera Bigorra,in agro Turſano,quæ hodie præpoſitura eſt in Nouempopulania. Antoninus, *Torſa,vbi caſtrum Bigorra.* hodie nihil niſi vicus.vocatur enim vicus Bigorra,nihílque ei ab antiqua appellatione deperiit. Tantum non Turſanæ præpoſituræ cẽſetur, ſed Bigertanorum.Eorum ciuitas hodie *Tarba.* quod aliud eſt,quàm Tarbelli,vt ſupra monemus. Eorũ regio propter Pyrenæos & ventoſa & frigida eſt. vnde ventũ,ſeu turbinẽ Bigerritanum à tergo flare illis, qui per Vaſates iter Burdegalã faciunt,ait Sidonius Apollinaris. Iam frigidam,eſſe.& vini inferacem, qua parte Pyrenæis adiacet , prope Lapurdam caſtrum non ſolum nos ſcimus,ſed & Auſonius quoque ipſe teſtatur,qui ἀστάφυλον propterea vocat, & θυμαλγέα.Sic enim de Paulo Muſas alloquitur.

ἀσταφύλῳ ἐνὶ χώρῳ habet θυμαλγέα λέσχην.

Præterea magis confirmat Paulinus ad Auſonium ſcribens,qui eos vocat *Pellitos*,propter maſtrucas, quas ob frigoris immanitatem fere ſemper geſtãt, eáſq.hodie vocant Græco nomine Marlotas, quaſi

μαλλωτάς

μαλλωτάς. Olim eorum ciuitas non erat Tarbæ, in qua hodie est Episcopatus: sed Tursæ, vt apparet ex verbis Antonini superius citatis. Nó enim semper vbi ex dispositione Romanorum cẽsebatur ciuitas, ibi & continuo Episcopatum esse censendum est. Nam olim Benearnensium ciuitas erat oppidum, quod hodie *Hortenses* vocatur, hodie Episcopatus est Lascurræ. ¶Benearnũ esse, quos hodie *Hortenses* vocamus ad flumẽ Gauẽ, certissimũ est ex Antonino, qui à saltu *Pyrenæo* ex Hispania Elotonum venientibus, deinde Benearnum deducit. Et ex eodẽ saltu Aquas Tarbellicas profectis idem oppidum assignat Tolosam proficiscentibus. Præterea Bearnensis principatus hinc nomẽ habet. Et scimus eius principat⁹ nobilissimos & populosissimos esse Hortenses. ¶Eloronũ retinet nomen & ipsum Episcopatus in eodem principatu Bearnensi. vocamus enim *Oloronum*, quomodo & Sidonius *Oloronenses*.

¶Sic Elusatum ciuitas non habet Episcopatum, quæ & ipsa hodie nomen retinet. *Elsam* enim vocãt Vascones, sed pronũciãt *Eusam*, quia id est idioma eius gentis ita l, ante s, pronunciãdi. Quod non frustrà dico, cum inepti non pauci apud Cæsarem legant *Flussates*: & velint esse eos, qui ad Pyrenæos citra caput Garumnæ vocantur *Fuxenses*. Acuti homines sanè. Ego in vitis martyrum Aquitanorum à peruetusto & elegãtissimo auctore cõscriptis, quædã legens, incidi in vitã Luperculi, qui passus est sub Decio in ciuitate Elusatum ad Gelisam fluuiũ. Postea sciscitatus sum ab Elusatibus, quomodo vocaretur Diuus, qui est tutela eorũ ciuitatis: responderunt esse *Sanctum Lopercum*. ita enim vocãt. Quare desinant veterũ scripta contaminare somniculosi coniectores. ¶At istæ sunt hodie in Nouempopulania non solum ciuitates, sed & Episcopatus, &

nomen

nomen retinent: Conuenæ, Conseranni, Ausci Metropolis Nouempopulaniæ, Vasates, Aquenses, hoc est Aquarum Tarbellicarũ. ¶ Boiatũ, hoc est Baiona, quasi Boiona. Promontoriũ ostiorũ Garumnæ, quod est in Medulis, quódq; vocatur à Ptolemæo κυριανὸν ἄκρον, hodie vocatur caput Boiatũ. Sed valde deprauat lingua Vasconũ, quæ dicit *cap de Butz*. est enim Boatum, vel Boiatum caput; *Butz*. corrupte, *Boates*. ¶ Item Atyrensiũ ciuitas retinet nomẽ, sed deprauatione Vasconica. Vocatur enim *Airensium ciuitas*, quia ypsilon elisum est, & dixerunt Atrensiũ. sic *Elysa*, quia y psilon corripitur, vt apud Claudianum: *Inuadit muros Elysæ* propterea fecerunt *Elsam*. Quod enim y psilon corripiatur in Atyro, vnde dicti Atyrẽses, ex Lucano cognoscimus, qui dixit, *& ripas Atyri, quas littore curuo*. Hoc in causa fuit, vt *Atrenses* dixerint. Ipsi verò pronũciant *Airenses*. Nam nunquam aliter solent T R efferre, quam per IR, sic petram, *peiram* dicunt, patrem, *paire*, matrem, *maire*. Nemini mirũ videri debet, si cogar his exẽplis vti. In re enim noua nõ omnes statim mihi credituros, nisi his rationibus conuictos puto. Quod non dico propter nostrates. Ipsi enim statim sciunt quid velim. sed propter alios Galliæ populos, præsertim Francos, quorũ lingua & mores multũ abhorrent à Nouempopulanis. Nouempopulanorum longè integrior lingua est, quã illorum, sed illorum cultior propter aulam Regis. Ipsi vero Franci contra T R deprauant in I E R. Petram, *pierre*, & similia. Non est, quod aliquis nostræ Galliæ veteres appellationes locorũ ad recentiora nomina reuocare se postulet, nisi perfectè omnium idiomata teneat: quæ quidem facilè Vasco discit: Francus negligit. ¶ Habet & Episcopatũ ciuitas Lactoratium, & retinet nomen. Dicti sunt & Lactoratenses,

ratenſes, vt ex hac inſcriptione, quæ in ea ciuitate extat, apparet:

Pro ſalute Imp. M. AntoN Gordiani
Pij Fœl. Aug. & Sabinæ Tranquillinæ
Aug. totiusque domus Diuinæ. proque
ſtatu ciuitatis Lactoraten. Tauropolium
fecit ordo Lact. Domino noſtro Gordiano
Aug. II. & Pompeiano Cos. VI Id.
Dec. Curantib. M. Erotio Feſto,
Et M. Earinio Caro ſacerd. Traianio
Nundinio.

Hæc ego in gratiam noſtræ Vaſconiæ, atque adeo in honorem tanti poetæ huic chartæ commendare volui.

Caranus ex Heraclidis. Iambus, primus verſus. Politiani iocularis curioſitas. Tripedes Caballi.

CAP. VIII.

IN Epiſtola Pontio Paulino filio, nu. 19. quæ incipit: *Condiderat iam Solis equos.* eodem modo eſt παρεκβολὴ apud Senecam ἐν ἀποκολοκυνθώσει.

Iam Phœbus breuiore rota contraxerat orbem.

Poſt longam deſcriptionem ſubiungit: *Puto magis intelligi, ſi dixero: menſis erat October.* Eadem etiam apud Fulgentium in Mythologicis.

Soluerat igniuomos mundi regione peracta.

Poſt eam deſcriptionem adiicit: *Et, vt in verba paucisſima conferam, nox erat.* Ita hic Auſonius poſt hanc deſcriptionem addit: *Neſcis, puto, quid velim tot meis verſibus, &c.* Vtinam verò ſaltem Paulini Epitomen haberemus, poſtquam iniuria temporum

Suetonium ipſum nobis inuidit. ¶ Caranus, de quo ſcribit Paulinus ex eodem Suetonio, fuit vnus ex Heraclidis, qui venit in Macedoniam, & in ea regnauit. Ab eóque poſteritas, & nepotes vſque ad Philippum Amyntæ. ¶ Quod ait ad Iambum:

Primus nouorum metra iunxiſti pedum:

Quia primus verſus fuit iſte:

Ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιὰν ἰὴ παιάν.

Primus ergo verſus Iambus. Inde Hexametrum ad eius ſimilitudinem confectũ volunt. Alij primum hunc Iambum fuiſſe dicunt:

Ἄνθρωπ' ἄπελθε, τὴν σκάφην ἀνατρέψεις.

Et à muliere lauante pannos dictum in Archilochum. Iocularis verò allegoria Politiani, qui putauit Scazontem deſignari illis verſibus:

Cui ſubiugabo de molarum ambagibus,
Qui machinali ſaxa voluunt pondere,
Tripedes caballos, terga ruptos verbere.

Simpliciter enim intelligendi ſunt, neque indigẽt vlla interpretatione. Hoc enim iocãs dicit: tot millia verſuum parata habere, vt iis vehendis opus ſit machinariis equis: qui quia male ſemper accipiuntur, & omnium iumentorum ærumnoſiſſimi ſunt, propterea vocat *terga ruptos verbere*, item *Tripedes*. Contingit enim ſæpe, vt crus vnum illis frangatur. vel, vt claudicãtes & inutiles equi, piſtrino dedantur. Denique tales ſunt machinarij equi, quales deſcribit. Iis ſe impoſiturũ ait verſus ſuos. & quare illis potius quàm valentibus equis? quia libet Auſonio ridere. Apage Politiani argutias. Nam ſi, vt ille multis verborum ambagibus conatur perſuadere, hoc verum eſſet: quis eſſet is ſtupor Auſonij, volentis trochæum in Scazontem includere? Ait enim:

Medique

Mihique similis, semper aduersus tamen
Nec par nec impar, qui trochæus dicitur.

Nomenim ille pes in Scazonte locum habet. Sed, vt dixi, tripedes caballos vocat : quod claudi equi sæpè ad machinas molarias damnantur. Hoc explicat magis, cum Plautū in Curculione imitatus ait, *dactylum vehi crucianti canterio.* Crucians canterius, idéqui supra, terga ruptus verbere, & ærumnosus caballus.

Lucaniacus. Hebromagus. Burgus. horrea publica. Burgi. Pauliacus. Attubus. Terentianus Phormio. CAP. IX.

ERuditissima & elegantissima est epodice epistola, quam mittit Paulino pro causā Philonis procuratoris quondā sui. Sciendum autē est, Ripam Burdigalensem sterilem esse, & infœcundam. Et, vt ait Strabo :

Ἀμμώδης ἡ πλείστη, κ. λίγγχε τρέφουσα.

Contra aduersam, hoc est, Santonicam, prædiuitē, & opimi soli supra Blauiam castrum. ¶In Burdigalensi sita erat villa Ausonij Lucaniacus, quā *Lucanum fundum* vocat Paulinus : ad Pauliacum, qui est hodie vicus, incolumi veteri nomine. ¶Paulini autem oppidū Hebromagus in altera ripa erat, ad cōfluentes duorum nobilium, & ingētium fluminū, Duranij & Garumnæ: quod oppidū, quia in modū castrorum horreis publicis, & turribus postea amplificatū fuit, ab vno ex Paulini posteris Pōtio Leōtio *Burgus* vocatum fuit. Ita enim eo tempore opportuna bello, & munita annonæ copia castra vocabant. quod cognoscimus ex Historia Burgūdiorum: item ex Sidonio Apollinare, cuius Panegyricum carmen in hūc Burgum extat. à munitione e-

enim horreorũ & propugnaculorum propterea vocatum fuisse manifesto canit his versibus:

Cernere iam videor, quæ sint tibi Burge futura.
Diceris sic. namq; domus de flumine surgunt.
Pendentesq; sedent per propugnacula Thermæ.

Horrea vero alibi in eodem poëmate describit:

Desuper in longum porrectis horrea tectis
Crescunt, atque amplis angustant fructibus ædes.
Huc veniet, calidis quantum metit Africa terris:
Quantum vel Calaber, quantum colit Apulus acer:
Quanta Leontino turgescit messis aceruo:
Quantum Mygdonio committunt Gargara sulco.

Cum tanta copia frumenti illuc inuehatur, manifestum est quare Ausonius subsidium frumentarium petat à Paulino. Igitur Philo iste procurator, seu, vt ipse malebat nominari, Epitropus Ausonii, magnã vim frumenti ex Santonibus & vicinis locis coëgerat, ac in horreis Hebromagi condiderat. postea, vt scribit Ausonius, immature periclitabatur expelli: cum tamen antea indultum ei esset ab hominibus Paulini hospitium in ipsa Hebromago. Nunc ipsius nomine Paulinũ obtestatur Ausonius, vt mora habitãdi ad commodum suum vtatur, & liceat illi in portu Hebromagi negotiari, & exportare fruges ad Pauliacum, vbi erat Lucaniacus Ausonii. ¶Mendũ autem non ferendum est in illo versu:

Canus, comosus, hispidus, trux, artubus.

Legendum enim, *attubus*. vetus Glossarium. *Attubus* μογιλάλος, μόγγος, ἄτυπος. Sane intererat studiosæ iuuentutis hunc locũ inemendatũ non relinquere. ¶Terentianũ Phormionẽ vocat, quod horridus & incultus esset. quod patet ex oratiõe Ciceronis p A. Cæcinna: *non minus niger, quàm Terentianus ille Phormio.*

Horrens capillis, vt marinus asperis Echinus.

Notissi-

Notissimus est versus Horatij ex Epodo in Caniniã, Mercatur rẽ. Placet, quod parens meus excogitauerat: *Mercaturit quoquo foro venalium.* ¶Lego verò:

Et nunc parauit caseo intritum, & sale.

Alioqui præter ineptam sententiam erat in versu vitium. Intrita nunquam sine caseo fere, & sale. ¶Porrò versus multo plures vidẽtur deesse in hac epistola, quàm re vera desint. Nam ita videtur scripsisse Ausonius:

It nunc ad vsq; vectus Hebromagum tuam
Sedem locauit mercibus:
Vt inde nauso, siue naui deferat:
Nostros in vsus, vt refert.

Quod ita explendum esse Ausonius docet in præcedenti Epistola: *vt nauso aliáve quauis naui, &c.*

Inaspicuus. Mediolanum Santonus. Augusta Vindelicus. Lutetia Parisius. Aginnum Nitiobrigum. Plinius emendatur. Phœbadius Aginnatum Episcopus. Nouerus. Lucaniacus. Locus in Antonini itinerario. CAP. X.

IN altera epistola ad Paulinũ, cùm loquitur de vario artificio literarum occultatum, omnino ferendum non est mẽdum in illo versu:

Semper in auspicijs prodentur scripta fauillis.

Legẽdum enim ex vetere libro, *inaspicuis*, hoc est, δυσορατοις. ¶In sequenti ex eiusdem fide lege:

Nec quæ compositis malesuada credula causis.

¶In eadem, cùm scribit Ausonius:

Santonus vt sibi Burdegalam, mox iungit Aginnum.

Dictum Sãtonus Mediolanum, vt Lutetia Parisius, Augusta Vindelicus. Quod ideo noto, ne quis barbare dictũ putet fretus auctoritate Beati Rhena-

ni, hominis magni nominis, & eruditissimi. His autem Ausonius significat Burdegalã mediam sitam inter Mediolanum Santonum, & Aginnum Nitiobrigum: quemadmodum Arelas inter Viennam, & Narbonem. Aginnum, vt iam dixi, ciuitas Nitiobrigum, vel, vt in aliis inuenio, Nitiobrogum. Vt perperam illi iudicarint, qui Agesinates Plinij pronunciarunt esse Aginnates. Quomodo iidem possint esse Aginnates, & Agesinates? Præterea cum Agesinates Plinio sint Pictonibus vicini, quis putarit eosdem esse cum Aginnatibus, cũ inter illos & Pictones minimũ iter quinque dierum interiectũ sit? Sed, vt iam dixi Nitiobrigum, seu Nitiobrogum Aginnum est. Apud eundem paulò post, quam Agesinatum meminit, corrigendus est locus in verbis sequentibus. *Rursus*, inquit, *Narbonensi prouinciæ contermini Ruteni, Cadurci, Antobroges, Tarnéque amne discreti a Tolosanis Petrocorij.* Lege: *Cadurci: Nitiobroges, Tarne amni discreti à Tolosanis: Petrocorij, &c.* Eorum Episcopi Phœbadij meminerunt Hieronymus, & Seuerus Sulpitius. Eiúsque eruditissima Epistola, de qua idem Hieronymus scribit, in Arrianos scripta, ante hos paucos annos ab Henrico Stephano excusa est. Tamen Aginnates nomen corruperunt, & vocant Feudarium. Vt & scriptũ in mẽbrana Hieronymi memini, cum in Pictonibus essem. Infra Nouerus est pagus in agro Santonico, in quo habuit prædia Ausonius. De quo superius ad Axium Paulum scribens meminit:

Santonicámque vrbem vicino accessimus agro.

At Lucaniacus, fuit suburbanum Burdegalẽse duabus plus minus Leucis Vasconicis ab vrbe distans. Estq; illud hæredium, in quod superius lusit stylo Lucilliano. At Nouerus erat non longè Mediolano Santonum. Et cum scribit:

Ingreßúsque sui celebrata per ostia portus,
Et sua præteriens iam iam tua limina pulsat:
Non est accipiendũ de Lucaniaco, sed de Nouero. Præteriens enim cõfluentes Duranij, & Garumnæ, vbi erat portus Hebromagi, à tergo ex altera ripa tribus miliaribus Vasconicis relinquit Lucaniacũ, & pergit ad Santonos, vbi erat Nouerus pagus. quod ex illis cognoscimus, quæ supra citauimus. Item ex Epistola ad Tetradiũ Satyrarum poetam:
Cur me propinquum Santonorum mœnibus
Declinas?
In Antonini Itinerario legimus: Nouioregum, Mediolanum santonum. Vbi Nouioregum dictũ est, aut pro illo pago Nouero: aut, quod magis puto, Nouerũ pro Nouioregum legendũ est. Aberat autem Nouerus Mediolano Santonum XVI. M. P. hoc est leucis Vasconicis IIII. cum triente.

Illustratus locus ex Epistola ad Tetradiũ Suessa Auruncorum. Tetradij Satiræ. Inculisma. antiquarij. Lallus. κατα(?)λλισμός. νεώνιος. CAP. XI.

ADmonet me locus, quẽ modo produxi ex Epistola ad Tetradium, vt mendum insigne ex ea tollam, & locum eius illustrem. Est autem ad hunc modum in omnibus vulgatis editionibus:
Rudes Camenas qui suesse præuenis.
Qui versiculus quam mentẽ, aut idoneam sententiam habere possit, non video. Sed non dubium legendum esse:
Rudes Camenas qui Suessæ præuenis.
Rudes Camenas Suessæ, vocat rudem & impolitũ stilum Lucillij. Lucillius enim ex Suessa Auruncorum fuit. Vnde Auruncæ alumnus dicitur à Iuue-

nale. Suessæ Auruncorũ coloniæ meminerunt Paterculus, & Frontinus de limitibus agrorum. Iam Satyras Tetradium scripsisse manifestum esse debet, vel ex illis versibus:

O qui venustos vberi facundia
Sales opimas Tetradi:
Cauésque, ne sit tristis, aut dulci carens
Amara concinnatio,
Qui felle carmen, atque melle temperans
Torpere musas non sinis.

Posterioribus enim ait eũ mordacem simul, & venustum in Satira: cum tamen hoc vltimũ, hoc est, venustas desideretur in Lucillio. Legẽdum autem adstrictũ, non adstrictus. Tetradius enim tunc docebat Grammaticam Inculismæ. Cum vero hæc ad eũ scribebat Ausonius, erat ipse Tetradius Mediolani Santonũ: Ausonius autem in villa Noueri pagi. Quæ loca inter se vicina erant. Et tamen Tetradius senem Ausoniũ non inuisebat. Porro hîc scriptum est Inculisna per n, cùm melius esset per m. Ná ita Antoninus, & veteres historiæ Ecclesiasticæ. Mirum quod ait Ausonius: Inculismá eo tempore sitam fuisse deuio, ac solo loco: cũ ea ciuitas celebretur ab Antonino, & vetustissimus Episcopatus sit: Et, quod omnino aduersatur verbis Ausonij, infertilissimo solo eam sitã esse sciamus ad Carantonum totius Galliæ amœnissimum, & pulcherrimum flumen. In sequẽti Epistola ad Probum, Antiquarij sunt οἱ καλλιγράφοι. Quod ibidem scriptũ est: Hi igitur, vt Plautus ait, interim erũt antilogiũ fabularũ: in Plauti prologo Menæchmorum, vnde hæc sumpta sunt, legitur antelogium;

Huic argumento antelogium quidem hoc fuat.

In Demetria ad Probũ Præf. præt. Lallus est καταβαυκαλισμὸς nutricũ, hoc est, nænia nutricum, qua

pueris inducunt somnos, subinde hoc repetendo Lalla, Lalla. Quod & multis locis nutrices etiamnũ hodie faciunt. Vnde Lallare pueri dicebãtur, cùm hac cantiuncula somno declinant oculos. Græcè καταβαυκαλίζεσθαι. Dicunt & Italæ, & Aquitanæ mãmæ, seu nutrices pro eodem Nina, Nina. Quod & Græcas quoq; factitasse indicio est Nænia illa, quæ inde vocabatur. νινίον. Hesychius:

Νιώνιον, ὅτι τοῖς παιδίοις καταβαυκαλισμοῖς φασὶ λέγεσθαι. ὁμοίως καὶ τὸ νιώνιος.

Ergo Lallus, & νιώννιος & καταβαυκαλισμὸς, idem. Inde patet quare Ausonius somniferos dixit. Meminit ex earundẽ Næniarum Tertullianus libro in Valentinianos: Nónne aliquid tale dabitur: te in infantia, inter somni difficultates audisse Lamiæ turres, & pectines Solis? Sed vidimus nos in Scotia nutriculas miras harum nugarum artifices, ad conciliandos pueris somnos. vt eas audire non inuenustum mihi ἀκρόαμα visum fuerit.

Domnotinus. Colonica. Ferula. Meduli. Paganus Theo. pergula. Theo Clementinus. Corraco. Platessa. Ligari. samius Lucumo. scillite vinum. Errores doctorum nostræ ætatis. CAP. XII.

EPistola, quam scribit primã ad Clementinũ Theonem, poetam Medulum, digna est, quæ non solum propter eruditionẽ, sed etiam propter vrbanitatem legatur. Theonem enim ad Domnotinum, qui erat pagus in Medulis, in Colonica villa morantem, mirũ qua libertate exagitet, & stuporem Medulum Vibisco sale perfricet. Quod ait principio,

Ausonius, cuius ferulam nunc sceptra verentur.

Innuit se Imperatorum magistrũ, vt infra vocat ſe Regium magistrum. Et facete ferulam cum ſceptro comparat. Nam ferulæ ſunt ſceptra pædagogorum. Martialis:

Ferulaq́ triſtes ſceptra pædagogorum.

¶In veteri libro ſcriptũ eſt: Paganũ Medulis: non, vt in vulgatis, è Medulis: vt apud Ciceronem, Seruius Limonia: apud Plautũ, hoſpes Zacyntho: apud Varronem vinum Chio, Lesbo. hoc eſt ζακυνθόθεν, λεσβόθεν. Paganum quare vocet, facilè patet ex iis, quæ infra dicit: Quod militantes ſcribimus. Comitabatur enim tunc ſigna Auguſtorum. Opponitur autem paganus militanti. Meduli, vt alibi monemus, ſũt finitimi Boijs, aut, vt ego malo, pars Boiorum, hodiéque *Medoc* dicuntur, pertingúntque ad Oceanum, vbi eſt promontorium Curianum, quod hodie caput Boiatum vocant, vel, vt eorum lingua efferam, *Cap de Butz*. Ij in infeliciſſimo ſolo habitant, in quo nihil præter arenã, & ſaburreta, ac pineta inuenias. Vnde meritò Auſonius cultoré arenarum vocat. Iam in pergula columinibus arundineis fulta, itémque arundinibus tecta, ait eum habitare. quo ſanè pauperrimum hominem indicat. vt illa apud Propertium habitat in pergula:

Horruit algenti pergula curta foco.

At optimus Turnebus confundit pergulam pauperum, cum pergula ædificiorũ Quod enim ait Craſſitium docuiſſe in pergula, ſanè intelligendum eſt, de pergula, quæ erat in eius ædibus, quã vulgò Galeriam vocamus: vt Plinius ait, Apellem pinxiſſe in pergula: ſcilicet, vt ab omnibus videretur. Nam in publicũ ſpectabant eiuſmodi pergulæ. Vnde idem Plinius ait, neſcio quem multatũ, quod cum corona roſacea è pergula ſua in forum reſpexiſſet. Et, quod idem Turnebus producit ex Plauto de lenone, qui

ne, qui interminatur mulieribus suis, se eas expositurũ in pergula, est ipsius lenonis pergula: qui vult eas mulieres venales prostare. propterea eas exponit in eo ædium loco, qui omnibus in conspectu esset. quo nomine vetus glossarium exponit pergulã, προσφαῖον. Deniq; quantũ ego colligere possum putat eruditissimus Turnebus, pergulam fuisse locũ publicum: & in eum tecti inopes homines se recipere solitos. In quo, meo iudicio, frustra est, quãtum ex illis, quæ iam produximus, vnicuique notũ esse potest. At in Propertio, & hic in Epistola ad Theonem, pergula est casula, seu tuguriolum arundinibus tectum. Nam & in opere Topiario notũ, quid sit pergula, ab eius similitudine pauperum tuguria dicta, Paulò post:

Musa secundo de pectore Clementini:

Ostendunt hæc ei nomen fuisse Clementino. Nam alias ait Musas Helicone satas: alias Clemẽtini. Vnde nimis libere præterius amicitiæ, vt ego quidẽ iudico, iocatur Ausonius. Ait enim non posse vocari Musas Heliconiadas, quæ sunt Musæ Theonis. Quin & hanc suam ad eum Epistolam tunc eius fore, cùm incipiet ab eo recitari. Notat enim barbarã eius pronunciationem. Ait enim:

Hæc quoque ne nostrum possint vrgere pudorem,
Tu recita: & vere potuerunt tua dicta videri.

Quod & Martialis Fidentino exprobrat:

Quem recitas, meus est, ô Fidentine, libellus:
Sed male cum recitas, incipit esse tuus.

Quæ sequuntur, omnia εἰρωνικῶς dicta, & in cõtrariam partem interpretanda. vt & illud: *plana sic iunceus aluo.* Erat enim contra obesus, & prægrandis homo. vt in alia ad eundem Epistola:

Corporis vt tanti non moueatur onus.

In veteri libro disertim scriptũ est *& nomina villi-*

ca lini. His opibus cõfiſe tumes. dixit, pro confiſus, more ſuo. In eodem libro planè legitur: *Corroco, letalis Trygon*. Corroco eſt vox Vibiſca. Fruſtra enim conatur id mutare Turnebus. Plateſſæ nomen reti net hodie in Vibiſcis. ita vocant genus planorum, & iacentium piſcium. Deinde in eodem libro ſcriptum eſt: - *& male recti ſpina ligari*. Et id quoque puto ex lingua Vibiſca. Quare ergo mutemus, ſi ignoramus? Modeſtius enim agendum, quam fecit Ad. Turnebus, vir alioqui ſummus. qui cẽſet legẽdum *Elacati*. In quo quæ indigna dixerit exiſtimatione ſua, vide. Primum cũ dicantur ἠλακατῆνες, primam, quæ natura longa eſt corripit: & tertiã cõtra naturã producit. Deinde cũ ἠλακατῆνες ſint ex genere Thunnorũ, & Cetaceorum, quã inepte dixiſſet ſpina tectos eſſe thũnos? Adeon' oblitũ fuiſſe ſui tantũ virũ, vt quid eſſet ἠλακατὴν, ſeu thunnus, & quid à ſpinoſo piſce differret, non animaduerterit? Vltimi autem horum Hexametrorum ver ſus ita leguntur in veteri membrana:

Stillico decies ſi cor purgeris aceto,
Anticipéſque tuum ſamij Lucumonis acumen.

Egregie: & peruenuſte. At quod optimus, & eruditiſſi vir Ad. Turnebus legat:

Scillito decies ſi corpus verris aceto:

Non illi abſcribendum, qui quidem ex fide aliena retulerit, ſed ei homini nõ nauci, vitio vertendũ, qui ei perſuaſit, cuiuſque væcordiam ipſe nondum cognouerat. Nam & veterem ſcripturam, quod Codex vetuſtiſſimis characteribus Longobardicis ſcriptus eſſet, aſſequi non potuit. Ait igitur Auſonius: Nõ poteris horũ ænigmatũ nodos ſoluere, etiãſi, cor purges Scillite aceto, quod antidoti vice ſæpe anticipare ſoles: neque etiam ſi te eo præmunieris, quod eſt tibi acumen ad verſus faciendos, qui es

lucumo

lucumo, & insanis. Nam, vt ex Festo nouimus, Lucumones sunt insani. Et temporibus Ausonij tritũ erat in ore vulgi illud vocabulum in homines insanos, & intractabiles. Sidonius: *Temperát lucumonem nostrum Tanaquil sua.* Samius autem est acutus. Vnde samiare est acuere. Et samiator, qui acuit Cote. Nonius: Samium acutum, & Samiare, acuere. Glossarij Samiator, ἀκονητής. Quare hic samius lucumo, est furiosus acutus. Notandum verò genus loquendi, tuum acumen samij lucumonis. Nam & ita à multis veteribus vsurpatum memini: vt à Iurisconsulto: Cum mens mea fuerit facientis testamẽtum. Et à Thucydide, aliisque veteribus Atticis. Ita enim loquũtur: vt, ἡ μετέρα γνώμη οὕτω βουλευόντων, & similia. Hoc igitur modo hic dictum, tuum acumen lucumonis. intelligendum enim τὸ σοῦ genitiuus secundæ personæ. si enim expressum esset, ignoratione huius locutionis locus corruptus non fuisset. vt in Plauto rectè expressum est:

Duorum labori ego hominum parsissem libens:
Mei te rogandi, & tui respondendi mihi.

Tanquam si diceret, nostro labori, mei, & tui. Quid quod eodẽ modo dicitur, noster vtriusque labor? Est ergo & argutissime & venustissime dictum ab Ausonio, tuum Samij lucumonis acumen. Cuius rei ignorantia quot, quantas nugas viri boni & docti super Lucumone Samio effutiuerũt: dum quærunt: quis sit iste Samius Lucumo: & putant referendum ad historiam quandam, non autem esse Epitheta in Theonem ipsum. ¶Nõ dissimulabo in veteri libro primum scriptum fuisse, *Anticipesq; vinum.* mendose, vt apparet ex modulo syllabæ. At doctus librarius agnouit commissum manus nimis properantis, & emendauit, *Anticipesq; tuum.* Cuius loci illustratione est quod humani viri, & harum literarũ intelli-

gentes non mediocriter gaudeant. Nam vulgata le ctio, *Anticyrámque bibas*, est Hieronymi Auantij cōmentum, qui primus ita hunc locum interpolauit. In eodem libro scriptum erat Scillito. Palladius tamen, & Plinius scribunt scillite Græcanicè, vt σκιλλίτῃ οἴνῳ. alioqui vitium esset in dactylo, si legeremus vt Turnebus, Scillitico.

Restitutus versus Ausonio, qui desiderabatur. Notarij. Antiquarij. ταχυγράφοι. καλλιγράφοι *Burrae. Nactae. Corn. Nepos. liturarij.* CAP. XIII.

SVperius attigimus quare paganum vocet Theonē. nēpe hoc facit cōparatione sui, tūc signa Augusta comitantis. Idcirco ait:

Quod militantes scribimus.

In Phalæcio reponendus versus, qui abest ab omnibus editionibus:

Qui Penthemimerin habent priorem.
Et post semipedem duos iambos.

Semipedem vocat penthemimerida ipsam. post eā notum est in Phalæcio in fine esse iambos duos. imò iambi illi duo sunt inter duos semipedes: inter penthemimerida ipsam, & semipedē finalem. Idē liber habet, non *Stolo*, sed *Theo*. In eodem plane legebatur:

Tostam trado tibi simul, & agnam.

Addendum erat *que*, vt constet versui suus modulus. *simulq́; & agnam*. Sed quid sit nescio. Nam vulgaris lectio valde mihi suspecta est. Sed dubiū est, vtrum in illo libro *Tostam*, an *Tortam* scriptū esset, quia characteres Longobardici nullā differentiam inter R, & S, faciunt. Malim Tortam, hoc est Tortā panis. Videtur esse Pastoralis prouocatio, seu sponsio. Nam pastores victori Tortam panis, & agnam propo

proponũt. Si soluerit has nugas, inquit, per me quidem præmium habeas licet. Elegans est Dimetria, qua Notarium celerrime excipientem commẽdat. Ita etiam Martialis:

Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Et Manilius lib. IIII.

Hic & scriptor erit felix, cui litera verbum est,
Quique notis linguam superet, cursúmque loquentis,
Excipiens longas noua per compendia voces.

Erant autem ij, qui singulis scribebant, quæ σίγλαι dicũtur. Imperatori Iustiniano. Græci duplex genus scriptorũ cõmendant, aut τὰς γεάφοντας εἰς κάλλος, quos Antiquarios dici suprà monuim⁹: aut τὰς γεάφοντας εἰς τάχος, qui dicuntur Notarij: quorũ nomine extant ἀναθήματα, lib. XI. Epigrammatum Græcanicorum. In Phalæcio ad Drepanium Pacatum quod scribitur: Burras, quisquilias: vsus est vocabulo Aquitanico. Nam hodie maior pars Aquitanicarũ nationũ quisquilias vocat Burras. Lego deinde:

Credemus gremio cui fouendum.

Mox lego ex coniectura prisci codicis: *-trepide silete nactæ.* Nactæ sũt homines nugatores, Quid, inquit, homines nugatores, mihi negotium de hac re facessitis. ego inueni quem volebam. Persius:

-in morem discincti viuere nactæ.

Cor. vero Nepotem Plinius Conterraneũ suum vocat. Et Ausonius ipse Gallum vocat, cùm ait:

Quam quem Gallia præbuit Catullo.

Quo nomine Catullus videtur iustam caussam habuisse suum poëma ei dedicandi. Nam qui alias rationes ex suis coniecturis expiscantur, nugari mihi videntur. Deinde ego ita indubitanter lego:

Et nidum in gremio fouete tuto.

Non, *nudum*, vt vetus liber, & editiones. In Epistola Patris ad filium ita in lemmate scriptum legi:

„ Pater ad filium, cum tẽporibus Tyrannicis ipse Treueris remansisset, & filius ad patrẽ profectus esset.
„ Hoc inchoatũ neque impletũ, sic de literariis scriptum. Quæ verba præferunt antiquitatem eius, qui digessit poëmata Ausoniana: qui ea, ita vt inuenerat, exscripsit. Sed legendum, à patre profectus esset non, ad patrem. Et liturariis, non literariis. Liturarij sunt codicilli, in quibus prima cõcepta scriptionis nostræ perscribimus, & quæ displicent, inducimus vt postea chartæ puræ commendentur. Olim verò
„ hoc fiebat in palimpsestis tabellis. Ausonius præfatione in Centonem: Hoc die vno, & addita lucubra
„ tione properato modo inter liturarios meos cum
„ reperissem, &c. Ergo hoc lemmate significatur hoc poëmatium imperfectum fuisse.

Iterum de Lucaniaco. Paradæ. Tmesis Lucilliana. Depetigo. Pilæ. χηλή. Ebures. Eburonices. Ebruicanus tractus. Ostrea Burdigalensia. Ostrea Eburum. Ostrea Promotiana, Pereger. locus Vlpiani in Titulis. Compendi facere. CAP. XIIII.

Altera Epistola ad Theonẽ nos docet Lucaniaci villã ad Pauliacum fuisse nõ procul à ripa Garũnæ. vt iã nõ semel monuimus Itẽ pauca millia interiecta inter Theonẽ, & Ausonium, hoc est, inter Pauliacum, & Domnotonũ. Domnotonus videtur fuisse in eo tractu Medulorum, vbi hodie est caput Boiarum. Quocirca Theoni ad Ausonium æstu Oceani delato necessarium fuisse ventum Medullinum, hoc est, Septẽtrionalem, quem tamen ipse vocat Notum poëtica licẽtia: cum potius, vt dixi, sit à Septentrione. Paradæ, quarum hic meminit, non sunt, quod putat doctissimus Turnebus. Immane quantum eius interpreta

tio

tio discrepat à mente Ausonij. Nam Parada est genus nauigij Vibisci voluptarij, vndique tecti, quo æstu vltro citroque reciprocãte per Garumnã molliter ferebantur. Hæq; toris & culcitris insternebãtur, ne agitatio vlla sentiretur. Quod cognoscimus ex Sidonio Apollinari ad Trigrettium: quẽ rogat à portu Alingonis, qui hodie nomen retinet, soluere, & paradis Burdegalam peruehi. Eius verbis, quæ infra posuimus, plurimum lucis verbis Ausonianis accedet. Hic te, inquit, ædificatus culcitris torus: hic tabula calculis strata bicoloribus: hic tessera frequẽs eboratis resultatura pyrgorũ gradibus expectat. Hic, ne tibi pendulum tingat volubilis sentina vestigium, pandi. Carinarum ventres abiegnarũ trabiũ textu pulpitabuntur. Hic superflexo crate paradarũ sereni brumalis infida vitabis. Ex his cognoscere potes, quare dixerit in paradis eum lecto locatũ æstu Oceani Pauliacum deferri. Scribit post.

Villa. Lucani mox potieris aco.

Tmesin hanc ait exemplo Lucillij fieri. Nã Tmesibus Lucillium vsum fuisse cognoscimus vel ex vno versiculo

Illuuies, scabies oculos huic, déque petigo.

Conscendêre.-

Nam integrum erat, Depetigo. Cato Depetigini porcæ impone. Depetigo est λειχήν. Eodem modo dixit Ausonius: *Matrique cida Nero,* imitatus Lucillium suum. sic enim habebat vetus liber. In altera epistola ad eundem, in qua triginta ostreorum ad sequondam à Theone missorum meminit, magno flagitio correctoris Lugdunensis legitur: *Accipe mi dilecte Theon.* - cum in libro veteri recte legatur: *Accepi, dilecte Theon.* Nã Theon miserat triginta illa ostrea Ausonio, non contra Ausonius Theoni. In Epistola de ostreis nobilibus ad Paulũ, vbi legitur.

condita limo, emendo, *consita*. Nam prisca scriptura habet, *consta*. legendum etiam-*qua Burdigalensia nomẽ*, sine distinctione. Est autẽ Græcanicè elatũ, vt ἀνήρ τις ὄνομα Θέων. Intelligit igitur de ostreis, quæ nomine Burdigalensia dicebantur: quæ & hodie palmam inter omnia ostrea obtinent. Quanquam *palis* non improbo, mallem tamen legere *pilis*:

Vel quæ Baianis pendent fluitantia pilis. Virgilius,

Qualis in Euboico Baiarum littore quondam

Saxea pila cadit. - Ex pilæ dicuntur χηλαὶ à Thucydide. Ait deinde:

Aut Eborum mistus pelago qua protegit amnis.

Eborum amnis mistus pelago sunt ostia Sequanæ. Nam per Ebures intelligit Eburouices, qui interiacent inter Sequanam & Abricanti tractum: continebátque in se etiam Lexouios ipsos: à quibus totus ille tractus Aulercorum dictus fuit Eburouicanus, vel Ebruicanus. Nam ab ostiis Sequanæ ad Pyrenæos tres tractus fuerunt. A Sequana ad Abricãtum, quod hodie *Aurenches* dicitur, Aulercorum tractus Ebruicanus. Ab Abricantis ad Briuatẽ portum, qui hodie concisum seruat nomẽ vetus, *Brest*: vel ad Ligeris ostia, quæ non multum ab eo portu absũt, tractus Aremoricanus. A Ligeri ad Pyrenæos vsque, Aquitanicus tractus: omnes sub vnius spectabilis ducis dispositione. In notitia Imperij Romani perperam excusum est: Sub dispositione viri spe,, ctabilis Ducis tractus Armoricani, & Neruicani: mẽdum enim manifestum est. Nam non Neruicani legendum, sed Ebruicani. Neque à Neruiis fit Neruicanus, sed Neruianus. Deinde qui possunt Neruij in his tractib⁹ annumerari, qui sunt remotissimi, & in Belgis censentur? quatuor enim tantum Lugdunẽses, & vtraque Aquitania parebat ei Duci, non Belgica, vt recte postea subiicitur in eadẽ Notitia. Por-

rò in eodem loco mancus est locus, cum tractus Aquitanici non meminit. Ab illo tractu Eborum etiam hodiéque Lutetiam deuehuntur ostrea decumana, quæ & hodie quoque secundam palmam à Burdigalensibus obtinent. Nam omnium gulæ procerum iudicio, qui vtraque gustarunt, longè Burdigalensia præferuntur. In quibus me sanè adstipulatorem cum Ausonio quoque habent. De Genonis nihil pronuntio. Paulo inferius quædã ostrea, quæ ad Propõtida capiebãtur, Promotiana dicta scribit, à Promoto Duce tractus Propontidis. Est & inter opuscula Ausoniana epistola Symmachi, quæ incipit: Merum mihi gaudium. In ea lege ex veteri libro: ingratiis scæuo cuique probóq; laudabilis es. Quod tacendum non erat. In Epistola, qua Ausonius ei respondet, lego: absinthium meum resipit. &, floridissimus adflatus. Item amplectendũ quod vetus liber habet: nedum me peregrem existimes composita fabulari. Peregrẽ, ab antiquo Peregris. Vlpianus vero in Titulis dixit, Pereger, Titulo de caducis, Pereger, inquit, factus sit. In eadem epistola malim legere: cætera, quæ noscere habes, compendi faciam. vt Plautus:

Velitationem verbis fieri compendi volo.

Multa vtilia de leuatione tributorum, item de remißione actionum Fiscalium declarata. indicata lex VI. *Cod. lib.* X. *de iure Fisci. obnoxij. Fronto Augg. magister.* CAP. XV.

IN oratione, qua pro Cõsultatu suo gratias agit, inter alia, quibus Panegyristes ipse laudes Imp. prædicat, & hæc quoque eius liberalitatis ac munificẽtiæ exẽpla addit: *Neq; vero vnũ aliquod bonũ vno die præstas, sed indulgentiãs sæculares per singula horarũ momenta mul-*

tiplicas. vel illud vnum, cuiusmodi est de condonatis residuis tributorum? quod tu quam cumulata bonitate fecisti? Ait sæculares indulgentias ab Imperatore præstitas: quia videlicet eiusmodi indulgẽtias superiores Imperatores ad certum tẽpus præstitissent, puta annales, aut quinquennales. Id quod licet cognoscere ex Nouella Imp. Iustiniani CLXIII. quam legito, vt totus hic locus illustretur. Subiungit: *Quis vnquam Imperatorum hoc prouinciis suis, aut vberiore te indulgentia dedit: aut certiore securitate prospexit: aut prudentia consultiore muniuit? Fecerat & Traianus olim, sed partibus retentis. Non habebat tantam oblectationem concepti debiti portio: quanta suberat amaritudo seruati.* Ait prouinciis quibusdã Imperatores tributa remittere solitos. Erant ergo priuilegia ista: cum ad vniuersos vsque liberalitas principis non extẽderetur. verbi gratia, Nerua Italiæ tãtum remisit vehiculationem. Quod patet ex eius pulcherrimo numismate, in cui⁹ altera parte duo equi pascentes cum inscriptione hac: VEHICVLATIONE ITALIAE REMISSA. De Traiano quod ait, hunc sensum habet: eum vetera residua condonasse, noua retinuisse. Id quod ex eius nũmo apparet: in cuius altero latere forma Traiani cum eius elogio: in altero hæc verba incolumia leguntur: RELIQVA VETERA H·S NOVIES MILL. ABOLITA. Quæ inscriptio interpretatur mentem Ausonij. Mirũ tamẽ quod & Ausonius, & numisma attribuũt Traiano, id primo Adriano, & soli inter principes factũ adscribi Inscriptione illa, quæ Romæ est in ponte S. Mariæ. Ex ea enim hæc verba id volunt: *Quod omnium Principum & solus remittendo* H·S *nouies millies centena millia.* N. *debitum fisci, non præsentes modo, sed & posteros suos præstitit hac liberalitate*

valitate secutos. Ausonius VETERA RELIQVA ABOLITA expressit, cum dicit, *portio concessi debiti*, vt per *amaritudinem seruati*, quod postea statim dicit, intelligamus nullam leuationem tributi in posterum. ¶ Sed & illa, quæ sequuntur, oscitanter non legenda; *Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere iussisti. Videre in suis quaque foris omnes ciuitates conflagrationem salubris incendij*. In quibus significat actiones fisci, etiam iustas, & quæ locum habent, cremari iussas à Gratiano. Quibus verbis Ausonianis legem VI. de iure Fisci C. lib. x. Franc. Roaldus, eruditiss. iuris antistes interpretatur. Verba hæc sunt ex illa lege: *Iustas, & quæ locum etiam, habent fisci actiones præcipimus concremari ob hoc solum, quod suis temporibus prolatæ non sunt: vt iam calumniæ priuatorum eo saltem arceantur exemplo, quo iustas Fisci lites silere præcipimus*. ¶ Sequitur *Iam nubibus fumus inuoluerat*: lege *inoleuerat*. ¶ Obnoxios vocat eos, à quibus tributa exigebantur. l. 1 C. Th. de eq. colla. *viceni solidi per singulos equos, qui à colonis, atque obnoxiis exiguntur*. ¶ Mendosum est: *cum iuuantia de ratione cernebant*. Lego: *cum titubantia, & trepidatione cernebant*. Ex inepto modo scribendi *tituuantia*, fecerant: *iuuantia*.. ¶ Alibi in eadem doctissima oratione scribit: *Vnica mihi amplectenda est Frontonis imitatio: quem tamen Augusti magistrum sic Consulatus ornauit, vt Præfectura non cingeret*. Frontonis huius Consulis, & Augustorū, hoc est Lucii & Antonini magistri, meminit vetus inscriptio: quam apponam, vt huic loco illustrando facem præferamus.

M. Aufidio Frontoni
P ronepoti M. Corneli

Frontonis. Oratoris
Consulis. Magistri
Imperatorum. Luci
& Antonini. Nepotis
Aufidi. Victorini
Præfecti. Vrbis. bis Consulis
Fronto Consul
Filio dulcissimo.

Fortasse apud Ausonium scribendum fuerit *Augustorum* non *Augusti*. Nam scribebant semper compendiose *Augg.*

De Paulino. Bellerophonteus morbus. Arenesi Vapates. Syrtes. Syrticus ager. Rauranum. Tres fundi Ausoniani. toga. Alpes pro Pyreneis. Alpini Hispani. CAP. XVI.

PONT. Paulinus Aquitanorũ procerũ princeps, cũ in Aquitania, quod in illa nimis omnib⁹ not⁹ esset, Christianæ pietati vacare nõ posset, cũ vxore religiosissima secessit in Hispaniam, vt libertate Christiana, & otio frueretur: Id quod ipse disertim in suis ad Ausoniũ epistolis docet. Inepte quidam dubitãt de isto, an sit Paulin⁹ Nolæ Episcopus: cum Ambrosius Epistola XXXVI. manifesto scribat hunc postea diuẽditis omnibus, quæ habebat in Aquitania, cum eadem vxore, in Nolanũ agrum secessisse, Ausoni⁹ secessũ illius adscribit animi morbo, quo ferunt laborasse Bellerophontem. Quod purgat Paulinus in sua ad eum Epistola: *non anxia Bellerophontis Mens est:* Eodem modo Rutilius de Monachis.

Processu pelagi iam se Capraria tollit.

Squallet

Squallet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt:
Quod soli nullo viuere teste volunt.

¶Aliquanto post.

Sic nimiæ bilis morbum assignauit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus.
Nam iuueni offenso sæui post tela doloris
Dicitur humanum displicuisse genus.

¶In eadem Epistola Paulinus scribit:

Quique superba tuæ contemnis mœnia Romæ
Consul, arenosas non dedignare Vasatas. Quibus verbis fabulosum, & arenosum Vasatum solum, vt & hodie constat esse, significat. Vnde Sidonius ad Trigrettium ita scribit: *Tantumne te Vasatium ciuitas non cespiti imposita, sed pulueri: tantum Syrticus ager, ac vagum solum, & volatiles ventis altercantibus arenæ sibi possident: vt te magnis flagitatum precibus, paruis separatum spatiis, multis expectatum diebus attrahere Burdigalam non potestates, non amicitiæ, non opimata viuariis ostrea queant? an temporibus hibernis viarum te dubiæ suspendunt? Et quia solet Bigerricus turbo mobilium aggerum indicia confundere, quoddam vereris in itinere terreno pedestre naufragium?* Non potuit melius solum Vasaticum describi. Quinetiam hodieq. totum illum tractum Vasatium vsque ad fluuium Aturrum patria lingua vocamus *Landas*, hoc est, deserta, & inculta sola. Hoc enim propter arenosam soli naturam Arenosum solum *Syrtes* vocabant temporibus Ausonianis. vt Sidonius *agrum Syrticum* dixit in verbis iam à nobis prolatis. Sic Prudentius *syrtes* dixit pro deserto: vt cùm agit de Helia:

Casto fruentem syrtium silentio. item,
Nec responsa refert Libycis in syrtibus Ammon.

¶Sequitur in eadem epistola:

Vel quia pictonicis tibi fertile rus viret aruis
Romanum Ausonias heu deuenisse curules
Conquerar? Vetus liber, itémque primæ editiones habent, *Rara vnum Ausonias*, &c. Lego iunctim *Raraunum*, vel, vt Antonini itinerarium præfert, *Rauranum*. Quod fuit ignobilissimum & obscurissimum oppidum, & vicus, vt ex his apparet, in Pictonibus. Antoninus Imp. vbi docet iter Burdegala Augustodunum, ponit hæc nomina, Blauiam Tamnum, Nouerogum, Mediolanum Santonum, Aunedonacum, Rauranū. ¶Mirum à Paulino poni fundum Ausonianum in Pictonibus, cùm Ausonius ipse in Santonibus ponat, & re vera in aliis censeri non debet. Nouerogus enim, in quo pago erat rus Ausonij, distabat Raurano M. P. L I I. hoc est, leucis Aquitanicis plus minus X V I. Tres fundos autem Ausonium habuisse comperio. vnum in Santonibus, in pago Nouero, seu Nouerogo alterum suburbanum in finibus Medulorum Lucaniacum, quem Paulinus hic Lucanum fundū vocat. tertium supra Burdigalam, quod Maroialium vocat Paulinus, cuius locum non designat. Hoc ita esse patet ex verbis ipsius Paulini, totidem fundos Ausonianos numerantis: primum Pictonibus finitimum: alterum Bois: tertium fortasse in Vasatibus, cum Bigerrorum deinde, tanquam despicati & ignobilis populi mentionem faciat. Elegantissima est eiusdem epistola Christiana ad eundem, quæ incipit: *Quid abdicatas*, In ea le go.

Aeterna iungens inter homines, & Deum,
Vtrinsecus commercia. vbi ait:
Lingua, & toga & famæ decus. Per togam intelligit professionem Rhetoricæ Latinæ. vt in Arborio:
Te sibi Palladiæ antetulit toga docta Tolosa. & alibi:
Palladia toga te primum venerata Tolosa.

¶In Epistola, cuius initium: *Quarta tibi hæc nostros:* ita ista reconcinnato:

Hybleis apibus sepes depasta susurrat. ¶Item:

Cumque suis loquitur tremulum coma pinea ventis. ¶Item:

Dindyma Gargarico respondent cantica luco. Quæ omnia Correctorum audacia contaminarat. ¶In fine epistolæ legito: *tacitúsque pererret*

Alpinis connexa iugis. Alpes pro Pyreneis. Etiam Gellius Alpinos Hispanos ex Catone dixit. Sic enim loquens de Catone ita scribit. *Cum de Hispanis Alpinis scriberet, qui circa Iberum colunt, verba hæc posuit:* &c. & Ausonius ipse:

Nunc tibi trans Alpes, & marmoream Pyrenen.

Vxorem sanctissimam Paulini, cuius meminit Ambrosius Epistola XXXVI. vocat *Tanaquilem* Ausonius, ridens scilicet: quia ei erat additus Paulinus. Et, vt ex eodem loco Ambrosij cognoscimus, videtur secutus vxoris cõsilium Paulinus in secessu Nolano. Quare vocat eam feminam Tanaquilem poëta noster: quia illis temporibus ita solerent vxores vocare, quæ imperabant maritis. Sidonius: *Temperat Lucumonem nostrum Tanaquil sua.* Notum de Tanaquile Romana, neque necesse hîc de illa verba facere, vt ad hæc accommodemus: cum vulgatissima sint.

Thalassius Proconsul. Hesperius Præf. prætor. Innumeri numeri. Epitaphium Plauti declaratum. Sallustius vnde orsus historiam. Ausonius iterũ præf. præt. Nomen Ausonii in Cod. Theod. videri deprauatum. Auso. vicarius Africæ. Idem Proconsul. Africæ.

CAP. XVII.

IN protreptico, Ausoniū nepotē excitās exēplo sui, & Val. Latini Eutonii Thalassij patris, & auūculi Hesperij Aquilij, ait.
-& cui

Proconsul genitor praefectus auunculus instant.
Nempe genitor eius Thalassius gener Ausonii, fuit Proconsul Africae Valente VI. & Valentiniano II. Augg. Coss. Hesperius Aquilius autē fuit praefectus praetorio Galliarum, ipso Ausonio patre eius, & Olybrio. Coss. ¶Quod sequitur non multo post:

Innumeros numeros doctis accentibus effer, ita legendum vt posui, non distinctè, *Innumeros, numeros*. Neque est quod quisquam motus auctoritate eruditissimi Adr. Turnebi, per numeros intelligat ἔμμετρον λόγον: contra per innumeros, πεζὸν λόγον. Nā id multū abest à sententia Ausonii. Intelligit enim solutos comoediae versus: qui sunt quidem numeri, nam suis pedibus incedunt. sed non veri numeri: quia legibus soluti. Ita Horatius cùm scribit:
numerísque fertur Lege solutis: intelligit haud dubiè innumeros numeros Pindari. Eiusmodi autē est, imò liberior comica poësis. Quare & in Epitaphio Plauti, per innumeros numeros, Comoedia intelligitur. Nā aliquid aliud scripsit Plaut⁹ praeter Comoediā? Sed memineris in eo Epitaphio sine distinctione legendum, vt & hîc: *Innumeri numeri*, quod est, scriptio Comica, ant scenica. Quid autem dubitemus: cum Ausonius ipse hic adhortetur nepotem ad lectionē Dramatum Menandri? Ea enim Dramata innumeros numeros vocat, quod dictum est Graecanicè. vt νύμφη ἄνυμφος γάμος ἄγαμος ¶Lego etiā: *Perlege quodcunque est memorabile: prius monebo*. Quod indubitāter verum est. Et non est quod Mariangelo credamus: qui ait suppostititium esse: quia non inuenit in suo exemplari. Ego aio legiti-

mum

mum partum Ausonii esse, quia in longe meliori codice extat. Imo potius quàm ver[illegible] suppositium dixeris commentum Hieronymi Auantii *Perlege quodcunque est memorabile, & ut tibi prosit.* Quod Ausonius promisit se priua scripta, hoc est vnum quodque scriptorum moniturum id facit: vt ex sequentibus apparet. *Socci & aulæa regum.* Comœdia & Tragœdia. ¶Sed & illa sequentia non intelliges nisi ita plane distinxeris;

Et melicos, lyricósque modos præfando, nouabis.
Obductósque seni facies puerascere sensus,
Te præeunte, nepos, modulata poemata Flacci?

Te præeũte carmina Horatii renouabis sẽsus meos seniles, & facies puerascere ¶Ex iis, quæ sequuntur cognoscimus vnde ordiebatur historiam suã Sallustius: nempe à Lepido, & Catulo. ¶Lego etiam ex vestigiis eiusdem libri: *Sic neque Peliden Chiron terrebat Achillẽ.* ¶Quod ait se præfectura duplici functum: hoc ita intelligendum: eum bis præfectum prætorio fuisse. ¶Sic de ipso loquẽs in Mosella scribit, numero tamen plurali:

Aut Italum populos, Aquilonigenásque Britannos
Præfecturarum titulo tenuêre secundo. Nam primam præfecturam Italiæ adeptus est: vt postea dicit, sed quam non diu tenuerit. Sic enim ait:

Quique caput rerum Romam: populumq́, patresq́,
Tantum non primo rexit sub nomine: quanuis
Par fuerit primis. Nam illud *Tantumnon*, hoc est μονονουχὶ ostẽdit, nõ diu eã tenuisse, & tamẽ se parẽ primis fuisse: hoc est, tã illi imputari hãc p̃fecturã quã si ea plene perfunctus esset. Nam primi præfecti, sunt præfecti prætorio Italiæ. Nã eã nõ diu tenuisse ipse post declarat, cũ eam præfecturã vocet, libata præmia. *libataq́ supplens Præmia.* eámque præfecturam rexit Valentiniani & Valentis consulatu

primo,vt ego ex veteribus Principum Constitutionibus odoratus sum. At secunda præfectura cumulate data est,& plene eam rexit.nempe præfectura prætorii Galliarum, à qua ad Cōsulatum peruenit. Vtranque præfecturā etiam in Epicedio patris cōplexus est:*Præfectus Gallis,& Libya,& Latio.*
Nā Latium,& Libya sub vna præfectura Italiæ cōprehenduntur,vt Galliæ & Britāniæ sub vna præfectura Galliarū. Itaque superius intellexit præfecturam Galliarum per Aquilonigenas Britānos. Iam, vt diximus,statim à præfectura Galliarū, Consul à Gratiano designatus,declaratus,& prior nuncupatus est.vt dubium non sit,quin in Codice Theod. mendum sit, cum Imppp. Valens,Gratianus,& Valentinianus scribunt ad Antonium Præfectum prætorio Galliarum anno ante Consulatum Ausonij. Cū nemo fuerit præfectus prætorio anno,qui præcessit Consulatū Ausonii, præter Ausonium ipsum. Ergo non *Antonio*, sed *Ausonio* scribendum est, vt l.VII.de fide inst,Item l.XII. de pœnis. qui est annus ante Consulatum Ausonii,& biennio ante,idē nomē corruptum, Valente V.& Valētiniano Augg. Coss.l.XI. de medicis.l.II.de quæstionib.Quæ Constitutiones omnes datæ sunt Treueris. Et in omnibus,meo iudicio,legendum *Ausonio*, non *Antonio*. Deprauant enim nomen clarissimi poetæ,quasi nō & scriptis suis,non tantum consulatu,aut præfecturis nobilis esset. ¶Nam & in Anxonium, & Auxonium,& Axonium deprauarunt. Inuenio, & vicarium Africæ fuisse, l. LXIX. C.Th.de Decurio.item post Consulatum Proconsulem Asiæ, Eucherio, & Syagrio Coss.Imperantibus Gratiano, Valentiniano,& Theodosio Auggg l.III. de fide cath.Sed & Q.Symmachus Præfectus Vrbi in quadam Epistola testatur:*Ausonius*, inquit, *vir Consularis, admirator*

tuus

tuus, ſcripto ex Aſia nuper allato, mutilari agros ſuos, qui tibi iunguntur, accepit. ¶ In Genethliaco mendoſiſſimi verſus nullo negotio emendabuntur ita:

Accipe non præcepta quidem, ſed vota precantis,
Quin gratantis aui feſtum ad ſolenne nepotis
Annuito, vt reducem fatorum à fine ſenectam
Soſpes agam. Iam nihil, quod dubitemus, reliquũ eſt. ¶ Porrò id carmen in veteri libro titulũ hunc præfert: *Auſonius auus Auſonio nepoti.* ¶ Item delicatam coronidem in fine: VALE NEPOS DVLCISSIME.

Sappho maſcula Ptolemæus. Hephæſtionis filius Hiſtoricus. Eius ἡ εἰς πολυμάθειαν καινὴ ἱστορία. De Leucade petra iucunda quædam nunquam antehac audita, Charinus iamborum poeta. Eius Epigramma indicatum.

CAP. XVIII.

IN præfatione in Cupidinem cruciatũ: an vnquã vidiſti nebulam pictã in pariete? Studioſus imitator Plauti vbiq. Auſonius Nã & hoc quoque ex Menæchmis Plauti imitatum:

-Nunquid tu vidiſti tabulam pictam in pariete?
Vbi Aquila Catamitũ raperet, aut vbi Venus Adoneum? ¶ In ipſo poëmate ſuſpecta mihi ſunt illa:

-& ambuſtas latera hac per inania cunas. Sane nullam bonam ſententiã efficiunt. Quare puto legendum: *-& ambuſtas lacerans per inania flammas*
Ventilat ignauum ſimulati fulminis ignem. vbi, *Per inania,* hoc eſt. Aëris in campis. ¶ Sequitur paulò poſt: *Et de nimboſo ſaltum Leucate minatur*
Maſcula Lesbiacis Sappho peritura ſagittis.
Menander de eadem;

-τὸ ὑπέρκομπον
Θηρῶσα Φάων' οἰστρῶντι πόθῳ

Ῥῖψαι πέτρας ἀπὸ τηλεφανοῦς
Ἀλλὰ κατ' εὐχὴν σὴν δέσποτ' ἄναξ.

Ita enim legendum apud Strabonem,& distinguẽdũ m. *Masculam* vocat, quia, cum femina esset, præcipitem se dedit ex illo saltu, ex quo tantũ solebãt viri sese impatientia amoris iaculari. Nã propterea dicebatur iocus ille, ἅλμα τῶν ἐρώντων, nõ ἅλμα τῶν ἐρωσῶν. Vnde *saltus viriles* vocat Statius. & Horatius,& Ausonius noster vocãt eã masculã. Nã sane doctissimus Turnebus id nõ videtur satis assecutus esse. Primus omniũ, vt ait Strabo, Cephalus ex ea petra sese præcipitauit, cum Ptaolam impatienter amaret. Sed concedãt mihi lectores, paulũ ex Ausonianis castigationibus respirem, & quædã de Leucate petra,& de saltu illo dicam, nunquam antehac audita, ex auctore nondũ in vulgus edito, Ptolemæo filio Hephæstionis ἐκ τῆς εἰς πολυμάθειαν καινῆς ἱστορίας. Apud illũ igitur quæritur, cur apud Bacchyliden Silenus dixerit, Leucada à Leuco Vlyssi filio cognominatã fuisse: qui Zacyntho erat,& ab Antipho interfectus fuit. Eũ igitur Leucatæ Apollinis tẽplum condidisse. Ibi petrã esse vicinã Leucadẽ, à qua qui saltu se mitterẽt, amoris insania liberari. Caussam hanc ex media historia assignat Venerem scilicet post mortem Adonidis sedulo eum vbique terrarum perquisiuisse: tandem eũ Argis Cypri in æde Apollinis Erithii inuenisse Et cum impotentiã amoris sui Apollini patefecisset, ab ipso ad Leucadem petram deductam iussu Apollinis sese è specula deorsum misisse. quo facto morbo amoris defunctam fuisse. Cum caussam rei quæreret: Apollinem respondisse, sese crebro obseruasse, Iouem, quoties Iunonẽ impotenter deperiret, ibi solitũ sedere,& vi mali leuari. Sed & Artemisiam

temisiam illam, post viri Mausoli mortem, contẽptam à Dardano Abydeno, quem non patienter ar debat, dormienti adolescenti oculos effodisse. Cũ tamẽ ne hac quidẽ iniuria morbus remitteret, re medium à petra quæsiuisse. Sed frustrà fuit. Nã ex eo saltu periit, ibíque sepulta fuit. Similiter & Hip pomedontem Epidamnium propter amorẽ pueri nescio cuius, sese ex eadem petra iecisse. sed nihilo minus ipsũ periisse. Refert & de Nicostrato Comico, eo saltu leuatum amore Tettigideæ Myrinẽsis. Addit Maceten Buthrotiũ Λευκοπέτραν vulgo cognominatum fuisse, quod quater cum saltum expertus esset, & quater hoc remedio amore caruisset. Innumeros præterea idẽ expertos. In his senem Bulagoran Phanagoriten, cum amasset Diodorum tibicinem. Rhodopen etiam Emissenã, quæ geminos fratres ex satellitio Antiochi Regis amabat, cũ vicissim eius ab illis nulla ratio haberetur, animi impotẽ sese iecisse, & animã edidisse. Adolescentibus nomina erant Antiphonti, & Cyro. Charinus verò Iamborum poeta amauit Erotẽ Regis Eupatoris á poculis. Et cum fabulæ de saltu Leucadis fidem haberet, sese præcipitem misit: & crure fracto doloris cruciatibus periit. Ac inter efflandũ animã hos lepidissimos ac elegantissimos Iambos in medium iecit:

Ἔῤῥοις πλανῆτι, καὶ κακὴ πέτρη Λευκάς.
Χαρῖνον αἶ αἶ τὴν ἰαμβικὴν μοῦσαν
Κατηθάλωσας ἐλπίδος κενοῖς μύθοις.
Τοιαῦτ' Ἔρωτος Εὐπάτωρ ἐρασθείη.

Quin & Nereũ quendam Cotinensem ex amore Atticæ nomine mulieris Athenis natæ, sese præcipitasse. & nõ solũ amore solutum fuisse: sed etiam viuum incidisse in rete iaculum, in quo simul cum

risco

riſco auri pleno in terrā extractus fuit. Cum eo nomine piſcatori, qui ſe extraxerat, litem intēderet, aurum illud ad ſe pertinere: caſu enim ſibi obueniſſe. noctu ab Apolline admonitū incœpto deſtitiſſe. An non ſatis habere, quod citra vitæ periculū à morbo amoris liber eſſet? quare, ſi ſaperet: de alieno auro litem ne moueret. Hæc ego, quia iucunda ſunt, vt ſpero, neque tamen in vulgi notitiā peruenerunt, præterea neque ab hoc loco aliena erant, quaſi corollarium adiicere volui, vt nihil, quod ad poetam noſtrum illuſtrādum faceret, intentatum relinqueremus.

Eraſinus. Caramalus Phabaton. Paraſiti hiſtriones Apollinis. pyrgus cum gradillis. ταῦλα. *locus correctus ex primo Epigram. Græco.* ἀσπαστικόν. *metatoria epiſtola aduentoria.*

CAP. XIX.

IN luſu Sulpitillæ Biſſulæ puellæ, Eraſinus videtur fuiſſe γελωτοποιὸν aut minus tēporibus Auſonij: quales apud Sidonium Caramalus, & Phabaton. qualis & fuit Paris tēporibus Domitiani Qualis & Sergius Polēſis paraſitus hiſtrio. γελωτοποιοὶ enim illi dicebātur Paraſiti Apollinis. Martial. in Epitaphio Paridis hiſtrionis.

Vos me laurigeri paraſitum dicite Phœbi. In veteri inſcriptione: *M. Aur. Aug. lib. Agilio Septentrioni, Pantomimo ſui temporis primo: ſacerdoti ſynnodi: Apollinis Paraſito.* Item in alia: *L. Acilio L. F. Pom. Cuticlæ Nobili, Archimimo, communi munere adlecto, diurno Paraſito Apollinis, Tragico, Comico.* Ita dicti, quia & paraſiti ridiculi dicebantur, vt cognoſcimus ex Plauto, & ipſi quoque ridiculi ſunt. Propterea Auſonius nihil niſi ridere hic pollicetur, nihil, quod alienum ſit ab arte Eraſini.

Diſti-

¶Distichum autem id, quod apponã, mutilum est in editionibus Aldinis ita:

Matre carens, nutricis egens, nesciuit herai

Imperium. * * Nam quod hodie circũfertur, suppletũ est de ægrorũ somniis: hoc est de Correctorum sterquilinio. Ego intelligo quid voluerint Correctores. Sed si ad Latinitatem reuocentur, nõ intelligo. Quare merito expungenda sunt. Alioqui, si aliquid comminiscendum esset, ego libentius ita legerem:

Matre carens, nutricũ egens, nesciuit herile

Imperium, domina libera facta manu. Vt dicat simul ac in potestatem heri venisset, non sensisse imperiũ herile, quippe quam statim dominus manumiserit. Nam quod hoc voluerit Ausonius ex vltimo commatio Hexametri citra cõtrouersiam colligitur. ¶Fimus, & turricula lusoria ita describitur ab Ausonio:

Vidimus & quondam tabulæ certamine longo

Omnes, qui fuerant, enumerasse bolos.

Alternis vicibus quos præcipitante rotatu

Fundunt excisi per caua buxa gradus.

Vt propterea de gradillis illis qui intus excalpti erant in epigrammate Agathiæ scholastici scriptũ sit, πύργου δ' ὀχετοῦ κλίμακι κευθομένῳ. Et apud Sidonium: *Tessera frequens eboratis resultatura pyrgorũ gradibus.* ¶In lemmate epigrammatis Agathiæ iam à nobis citati perperam excusum est, εἰς τὰ λυτὰ Ζήνωνος τοῦ Βασιλέως. Legendum enim, εἰς ταῦλαν Ζήνωνος. ταῦλα, seu τάβλα Latinũ est, hoc est *Tabula lusoria.* ¶In Epistola, quæ præmittitur Protreptico, ita scriptum est: *Libellum, quem ad nepotulum sororis tuæ filium instar Protreptici luseram, venturus tibi præmisi legendum.* Fuit is mos veterum eruditorum, vt, cum ex longinquis regionibus ami-

cos inuiserent, præmitterent nuncium cum versibus, aut oratione, aut libro, nomine ἀπαστικοῦ: vt & viciſſim ipſi ſimile munuſculum reciperent. Et ita intellige locum ex Epiſtola ad Paulum:

Hoc tibi de noſtris ἀπαστικὸν adfero libris.

Sidonius ad Lupum Aginnenſem: *Hunc quodã tempore metatoriam paginam quaſi cum muſa prauta miſi.* Et vt dixi, viciſſim recipiebant aliud. Vocabántque eam epiſtolam *aduentoriam*: quale intelligendum eſt ἀπαστικὸν ad Paulum, quod iam citauimus. Martialis: *Ne quid tamen & aduenienti tibi ab vrbe, & exigenti negarem, cui non refero gratiam, ſi tantum ea præſto, quæ poſſim, imperabo mihi, cui indulgere conſueueram. Et ſtatui, vt pauciſſimis diebus familiariſſimas mihi aures tuas exciperem aduentoria.* Aduentores enim, vt alibi explico, ſunt hoſpites. Et non inepte *metatoriam* vocat Sidonius, quæ præmitteretur: vt ſtratores, & munitores præmittebantur à duce exercitus ad metanda caſtra.

Methodus. μεθοδεύειν. ſpintriæ. Theta.

CAP. XX.

SCribens ad Theonem ait Auſonius:

Vale beatis nomen à Diuis Theon.
Methodus ſed iſta ſæpè currentem indicat.

Methodus in dialecticis eſt δεῖξις, ſeu ἔλεγχος argumentorũ, quũ examinantur ſyllogiſmi aut τῇ ἀντιστροφῇ, aut τῇ ἀπαγωγῇ εἰς ἀδύνατον, aut τῇ ἐκθέσει. Propterea dicũtur ſyllogiſmi μεθοδεύεσθαι, cũ his modis exigũtur. In Grãmaticis aũt vt etymologiis verbi gratia, methodus Theonis nominis eſt, diſquirere verũ à verbo Θέω, an παρὰ τοὺς θεούς. Theoni igitur ſuũ nomẽ παρὰ τοὺς θεοὺς μεθοδεύοντι, Auſoniꝰ ἀντιμεθοδεύει παρὰ τὸ θεῖν. Quare nihil mu-

tandum

tandũ. ¶In Epigrammatis Ausonianis id, quod scriptum est de sepulchro Latinæ viæ, Ausonius confinxit ex vulgatis monimentorũ inscriptionibus: In quibus talia sæpè proponebantur. Vt est illud Lactorate in Nouempopulonia:

D. I. M.

NON. FVI. FVI. MEMINI. NON. SVM. NON. CVRO. DONNIA. ITALIA. ANNORVM. XX. HIC QVIESCO. C. MVNATIVS. C. DONNIA. CALISTE. LIBERTE PIISSIME.

Sed persequamur reliquias quasdam ex eodem libro epigrammatũ. Per Epigramma impurissimum de tribus incestis nihil aliud intelligitur, quàm id genus hominum, quos flagitiosissimus, & libidinosissimus princeps Tiberius spintrias vocabat. Nam spinteres sunt catenulæ tribus symplegmatibus annulorum connexæ, quas nostrates mulieres *Grζorannos* vocant. Vnde *spintriarum* vocabulum hircoso, & olido seni excogitatũ. ¶Faustulũ Anicij Probini, intellige Nanum Anicij Probini. Nam sunt, qui putabant ipsummet epigramma conuersum è Græco ab Anicio Probino. Quod sanè falsũ est. Est autẽ frigidissimus iocus, cuius generis multi apud Lucillium, ex quo cõuersum est epigramma, & Palladam, ineptissimum quotquot vnquã fuerunt, non poetam, sed literatorẽ. Sanè intra eos fines hyperbolen concludere debemus, vt nihil τῶν ἀδυνάτων

afferamus. ¶Quid frigidius, quàm dicere nō dicam δίπηχυν pumilionem, sed musculum, aut muscam potius insidere formicæ: ex qua non solum ruinæ, sed & calces quoque, vt ex equo calcitrone metuâtur? ¶Hæc Græcanica ineptia mihi stomachū mouet In Eunum Magistrum, in fine:

Misselle doctor κ' tibi sit obscæno. Est imprecatio: vt tibi obscæno contingat κ'. hoc est, laqueus. Nam κ' habet formā laquei collo inuoluti. Mandat igitur ei suspendium. Id sequēti versu declaratur.

Tuúmque nomen Θ sectilis signet. Erat enim litera condemnatoria: quæ præcipiebat θανατοῦν. Martialis:

Nosti mortiferum Prætoris, Castrice, signum?
Est operæprecium discere Theta nouum.

Quin & in castris militem ex cohorte morte dispunctum hæc nota significabat, vt videmus in veteribus inscriptionibus.

Archaismorum Ausonianorum flores. glux. Lars. meminens. gnaruris. Incusus lapis. Noua quædam super quantitate nominum Græcorum à Latinis vsurpatorum indicata. CAP. XXI.

INueniuntur apud Poetam nostrū quædā non solū ἐννοίας sed & nō pauca φωνῆ ἀρχαΐζοντα. vt illud in ludo septē Sapientum. *-Sed si memoria*
Rebus vetustis claudit. -Claudit, ἀρχαϊκῶς, claudicat. Sallustius: *Res socordia claudit.* Terentius deponens extulit: *-Nunc ubi meam*
Benignitatem sensisti in te claudier?

¶Item illud in epistola de Philone Epitropo:

Non cultor instans, non arator gnaruris.

vt Plautus:

Simul

Simul hanc rem mecum volo vos esse gnarures.

¶Item illud ἀρχαϊκῶ extulit:

& in Tetricos recidit imperium, Ex vetusto libro. Primam enim more antiquorum produxit, vt Lucretius *reducere*, & alia quamplurima. ¶Sic idem eodem ἀρχαϊσμῷ dixit:

Missum, ac remissum rursus ad me referunt.

¶At in Tumulo Tiberij Mineruij Rhetoris non minus vetustatem sapit.

Viuis adhuc, aui quod superest, meminens.

¶Ex eodem libro: Antiquitus enim dictum. Quod & à veterib. Grammaticis annotatur. Eóque vtitur aliquando Sidonius. Vt epist. XII. lib. IIII. &,

Dum decor egregiè commeminit patriæ:

in Coronide Professorum. Decor, vt corpor, iocinor, & similia. ¶Et in Thecnopægnio: in rectis monosyllabis imitatur naturam obliquorum.

Vt *- Aremoricus Lars.* quia obliqui, *Lartis*, *Larti*, non *Laris*, *Lari*. Neque aliter fecit in nomine *glux*. quia apud veteres obliqui, *gluctis*, *glucti*. Ait enim:

Tergora dic clipeis accommoda quid faciat? glux.

Nam *gluctis*, & *glucti* dicebant in obliquis, vt puto, ne confunderetur cum *glutus*. Cato: *V tique locus bene glutus fiet.* ¶Tum illud:

Et teris incusas pumice Clazomenas. Vbi *incusas*, asperas significat. *Incusus lapis* apud Virgilium in Georgicis. Sic Persius *- incusaq; pingui Auro dona feram.* ¶In ludo septem Sapientum:

Spondere qui nos, noxa quod præsest, vetat. Vbi *Præsest*, hoc est, *adest*. Vt intro ab IN, ita etiam *Prasto* à PRAES dictum. Festus: *Præs est is, qui populo se obligat, interrogatúsque à magistratu, si præs sit, ille respondet præs. si præs sit: hoc est, si præsto est.* Quod verè à nobis olim in Varronem ex-

positum est. Et hæc quidé in simplicibus vocibus. Habebant & aliud peculiare Poetæ Latini, præsertim ætate Ausonij, vt non solum Græcas declinationes in Græcis negligerēt, & ad regulam Latinorum referrent: sed & quantitatem ita euerterent, vt accentu illam tantum metirentur. Primum igitur id ita legendum:

Thales ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη, protulit. Nam vltimum in *Thales* corripit. Vt Sidonius:

Alcæo potior Lyristes ipso. Quasi non *Thales*, *& Lyristes*, sed *Thalis*, & *Lyristis* dicerent. Sic Q. Cicero dixit Bootis. *Conditur Oceani ripa cum luce Bootis.* Et ipse Ausonius *Getis*, pro *Getes.*

Qu … Getis socijs Istrum assultabat Alanis.

Quanquam meminimus supra nos legere *Getes*. In iisdem autem, vt iam diximus, Græcis nominibus non quantitatem, sed accentum spectabāt. Quia, vt etiam notat Seruius in libello de accentibus, Latini eundem accentum, quem Græci habent, efferūt in Græcis nominib⁹. Verbi gratia, quia Græcis vox hæc εἴδωλα habet accentum in prima, Latini quoque eodem accentu extulêre, *ídola*. Quæ quidem vox semper est dactylus apud Prudentium. Græcis dicitur Εὐριπίδης. eodem accentu Latini semper extulerunt. Propterea penultimam producit Sidonius, nō quantitatē, sed accentum Latinū secutus.

Orchestran quatit alter Euripidis.

Item Græci dicunt μαρσύας. Propterea secundam producit idem:

Marsyaque timet manum, ac rudentem:

Iidem Græci pronuntiant Ἄρχτος nomen eius, qui scripsit φαινόμενα. Sidonius contra veterum Latinorum morem, qui mediam semper produxerunt, corripit:

Non hic, si voluit, vacante cura,

Quæ
s

Quis sit sideribus notare cursus,
Diversas Arato vias cucurrit.

Denique inspice totum Sidonium, totum Prudentium, & alios: inuenies semper eos non syllabas Græcas, sed accentum Græcorum esse secutos. Sic Ausonius in voce τρίγωνος facit, quia accentus non est in media, quæ longa est, propterea eã corripit:

Per totidem partes trigonorum regula currit. Et,
Fulgur tetragono aspectus vitale coruscat.

Quis audebit dicere Ausonium ignoratione literarum Græcarum hoc cõmisisse? Nemo sanus quidem, vt puto. Sed iis temporibus stulte videbatur non ibi producere syllabam, vbi accẽtus esset. quia is est mos linguæ Latinæ. Adeo vt Plautus in hoc secutus sit iudicium vulgi: quia non cũ doctis, sed cum plebe sibi rem esse videret Nam semper apud illum *Phædromus*, est dactylus. qui Græcè φαίδρωμος. Item quia φίλιππος dicitur accentu in prima, eodem modo mediam corripit. Et nũquam aliter inuenies apud Plautũ quin mediam in nomine *Philippus* corripuerit. Quod mirũ est in positione. Sed quærenti caussam accentũ semper prætexet. Talia multa sunt apud Plautum, quæ studiosos per se quàm opera mea cognoscere malim. Contra ætate Plauti, vt in quantitate syllabarum: sic & in declinationibus Latinismos admittebant. Dicebant enim *Nestôrem, Hectôrem*, quomodo *Rectorem, Mensorem*, & similia. ¶Item repone in epistola ad Hesperium, ἀρχαϊκὸν defruduta. *Defrudata mea ne sint hoc fercula mensa.*

Fata aduocanda, scribenda. Nominalia. Kai. Caiare. Caiatio. Ara CAP. XXII.

IN tumulo Æmilij Magni Arborij vetus liber ita concipit primum distichon:

Culta mihi est pietas, patre primum, & matre vocatis. Dicere sed rea fit. Tertius Arborius.

Hunc sensum habet. Si dico, Tertius Arborius, est rea pietas: non est ex pietatis officio. Nam primo loco ponere debui. ¶Item in illo *Dictasti fastis verba notanda meis.* vetus liber non habet *fastis*, sed *fatis.* Quæ vera est lectio. Nihil enim hic ad Fastos Ausonianos. Sed allusum ad veterum superstitionem, qui eo die, quo nomina pueris imponebant, fata scribenda aduocabant. Hoc est vt puero bona omnia captarentur & ex nomine, & ex iis omnib⁹, quæ ab eius horoscopo ad eum diem vsque contigerant. Tertullianus: *Omnes idololatria obstetrice nascuntur: dum adhuc ipsi vteri infulis apud Idola confectis redimiti genimina sua dæmoniorum candidata profitentur: dum in partu Lucinæ, & Dianæ eiulatur: dum per totam Hebdomadam Iunoni mensa proponitur: dum vltima die fata scribunda aduocantur.* Quem vocat hîc vltimum diem, is est octauus, vel, si mauis, septimus, hoc est vltimus hebdomadis: qui Latinis erat *Lustricus*, Græcis ἀμφιδρόμια. Et quia eo die, vti dixi, nomen puero imponebatur, vocatus est *Nominalia.* Idem Tertullianus libro de Idololatria: *Circa officia vero priuatarum, & communium solennitatum, vt togæ puræ, vt sponsalium, vt nuptialium, vt Nominalium, &c.* In eo die, quodcunque omen arripere poterant, in bonam scæuam ad imponendum puero nomen, id arripiebant. Idque vocabant *Fata*, vt iam vidimus superiùs. Sic idem nomen Pastoris nepotis interpretatur: cum ait:

Nomine quod casus dederat. quia fistula primum
Pastorale melos concinuit genito:

Sero intellectum vitæ breuis argumentum,
Spiritus afflatis quod fugit è calamis.

¶Porrò in epistola ad filium ita rectè habet vetus codex;

Desertus vacuis, solisque exerceor Aris.

Aræ sunt margines, seu crepidines prominẽtes earum moliũ, quibus flumina, vt loquitur Lucretius, oppilantur. Vulgo Franci *Kaios* vocant. quæ antiqua satis vox est. Inuenio enim in peruetustis glossis: *Kai cancelli.* Imo mihi videtur perantiqua. Nam crepidines illæ sunt oppositæ fluminib. ad eorum impetum coërcendũ. *Caiare* verò apud veteres erat *cohibere, coercere, compescere.* Fulgentius: *Caieta, coartrix ætatis.* Apud antiquos enim *Caiatio*, dicebatur *puerilis cædes.* Vnde Plautus in Clitellaria Comœdia ait:

Quid? tuam amicam times, ne te manulea caiet?

Sed ad rem. Omnes crepidines, & eminentias veteres illi *Aras* vocabant. Vt saxa in mari eminentia. Virgilius:

Saxa vocant Itali medijs, quæ in fluctibus Aras.

Tertullianus lib. de Pallio: *Soleo de qualibet margine, vel ara medicinas moribus dicere.* Manifesto Ara ibi est ἐξοχή, vt & margo. Ait igitur Poeta se solũ in molibus, aut crepidinibus Mosellæ errare, quas ipse vocat *Aras*: quæ & *moles* dicuntur, & χηλαί.

Nerua Tetrarcha. Threcidicus. Seuerus Pertinax. Ostium septimum circi. Ausonius consul Burdigalensis. lustra municipalia. olympiades.

CAP. XXIII.

IN Tetrastichis Imperatorũ, mirũ est quod in Lẽmate Neruæ scriptũ est in veteri libro: NERVA TETRARCHA. Quare

Tetrarcha vocatur? Suſpicor quatuor optimos principes, qui inter duo ſæuiſſima, ac diriſſima monſtra Imperij Ro. Domitianum, ac Commodū, interiecti ſunt, Tetrarchas vocatos. Hoc enim cōmune habēt: quod boni, & quod extrinſecus ad Imperium vocati. Nam & Nerua nō ex ſucceſſione, aut poſteritate ſuperiorum Cæſarum: & reliqui tres ex adoptione adſciti. ¶In Commodo lego ex veteri libro:

Threcidico princeps bella mouens gladio.

¶Itē Seueri lēma: SEVERVS PERTINAX. Quod veteres inſcriptiones confirmant. ¶Ad Vrſulū Grāmaticū ſcribit de ſtrenis ab Imperatore illi dādis. Nam mos erat Imperatoribus ſtrenas amicis dandi. qui indicatur à Q. Symmacho ad Theodoſium, & Arcadium Augg. *Kalendas, inquit, anni auſpices, quibus menſium recurſus aperitur, impertiendis ſtrenis dicauit Antiquitas. DD Imperatores, Theodoſi, & Arcadi, incliti victores, ſemperauguſti. Huius inſtituti vſum munificentiæ feſtinatione præuertitis: ſeram putantes liberalitatem, quæ ſtatis temporibus ammonetur.* ex ſuggeſtione Auſonij eum adeptum ſtrenas, non mirum: cum Quæſtoris eſſet preces ad Imp. deferre? In eadem epiſtola ſcribit Poeta:

Oſtia quot pro parte aperit ſtridentia Circus,
Excepto, medium quod patet ad ſtadium.

Oſtium iſtud quod patebat ad medium ſtadium, eſt oſtium quartum Circi, per quod emittebantur quadrigæ. In veteri inſcriptione Dioclis Agitatoris: MISSVS OSTIO IIII. CCLVII. Inter ſcribendum ſuccurrit veteris ſaxi, quod in prædio ampliſſimi præſidis Ioſephi Caſſiani effoſſum eſſe indicauit mihi amicus quidam ante hos aliquot annos. Diu mecum egi an poſſem illius inſcriptionē in memoriam reuocare, quia obiter, & vt fit, aliud agens, illam legeram: neque aliter legere quicquā

penſi

pensi habui. Tamen, nisi vehementer fallor, videtur mihi ita habuisse: DEC. AVSON. COS. OLYMPIADE LXXXIII. si quid à me erratum est, erit fortasse in vltimis numeris. Nam vtrum III. an IIII. in ea inscriptione fuerit, non planè memini. Igitur hoc monumēto significatur consulatus municipalis, hoc est Burdigalensis, non cōsulatus Romæ. Quare vtriusque meminit in Burdegalæ Encomio. *-Ciuis in ista Consul in ambabus.-* Nam Magistratus municipales, qui ex ordine Decurionum deligebātur, pro institutis municipij sui aliàs *Duumuiri*, aliàs *Consules*, aliàs *Quinquennales*, nominabantur. Quare quod hic consulatus Ausonij Burdegalæ numeretur per Olympiadas, est ex instituto omnium municipiorum, quorum maiores magistratus erant quinquēnales. Propterea & eodem nomine, hoc est Quinquennales, etiam in quibusdam municipiis vocabantur, & numerabantur in Fastis municipalib. secundū lustra, non, vt in Fastis Romanis, secundum annum vnū. Quare inuenies in veteribus inscriptionibus municipalibus, Quæstor primi anni, Curator secundi anni, sub talibus Duumuiris, aut Quinquēnalibus. De quo lustro quid aliud adferre possum, quod melius hanc rem nobis aperiat, quàm nobilem hanc inscriptionem?

T.Flauio T.L.Hilarioni
Decur.Coll.Fabr.Ex.Lustro XV.
Vnguento ad Pub.Frag. Lustro. XVI
Mag. quinq. Coll. Fabrum Tignariorum
Lustro XVII. honorat. &. Lustro. XVIII
Censor.bis. ad Mag. creandos. Lustro XIX
& XX. Iudex. inter. electos. XXI. ab ordine. Lustr. XXII. Claudia. Ti.F.

Prisca. Viro optimo. &. Flauia· T. F.
Priscilla. Patri. optimo.

Sunt & alia quædam monumenta, quæ lustri municipalis mentionem habeant. Ex quibus omnibus per lustra à municipiis, vt per annum singularem à Romanis Fastos notatos fuisse, & consulatus, & Duumuiratus, colligimus.. At hic Burdigalæ nomine Olympiadum idem intelligitur. Quædam enim municipia ita notasse, verisimile est: quod idē tēpus sit & lustri, & Olympiadis. Quare & post tempora Arcadij Imperatoris, quia propter Byzantium Roma municipium potius, quàm sedes imperij videbatur, post vastitatem bellorum Gotticorum, incepta est Romæ per Olympiadas ratio annorum putari. vt patet ex decreto Tertullij Romanæ vrbis Patricij cuius vltima clausula ita legitur: *Actum est hoc decretum* XI. XL. IVLII. ANNO IMPERII IVSTINIANI V. XXXXXVI. OLYMPIADE. Verum est, quod dixi, postquam à Gottis vastata fuit, illarum Olympiadum mentionem fieri. aliàs nō temere reperies. & à Christo nato ad v. annum imperij Iustiniani, LVI. sunt Olympiades: vt notatum est in eo decreto. Olympiades has, & lustra fortasse supputabant à prima institutione municipij, aut magistratuū. quod plane mihi ignotum est. ¶ Ad has Olympiades alludi non dubito in illo ad Proculum Epigrammate:

Fons erit, vt, lustrum cum se cumulauerit istis
Confectam Proculus signet Olympiadem.

Sed nemo calumnietur, si Olympiadem & lustrum pro quinque annis accipiam: cum sciamus aurum lustrale, quarto quoque anno pendi solitum, atqui quinto anno pendebatur, sed nondum exacto. Variant auctores, ac poetæ in istis, nam lustrum nunc

pro

pro quatuor annis, nunc pro quinque vsurpant. & πενταετηρικὸς ἀγῶνας lustra vocant,

Ἀσπαστικόν. Metatoriū. ἀσπαστικὸς οἶκος. ἐπισκοπικὸν καταγώγιον. Nerua Tetrarcha. Seuerus Pertinax. ostium septimum Circi. strenæ Imperatorum. CAP. XXIIII.

SVperius ostendimus ἀσπαστικοῦ nomine, significari ea, quæ aduētorib' dātur. idē etiā esse & *metatorium*. Vnde recte cōclusimus, quā epistolā Ausonius ἀσπαστικοῦ nomine intelligit, eandem esse, quam Sidonius *metatoriam* vocat. Vtranque vero dici posse *aduentoriam*: vt ex Martiale docuimus. Nā hinc dixit Martialis *aduentoriam cœnā* seu Epistolam, quæ aduenięti amico datur. Hoc confirmatur ex Ausonianorū tēporum cōsuetudine. Nā hospitium, quod aduenienti hospiti paratur, apud Romanos dicebatur *Metatorium*. apud Græcos ἀσπαστικόν. Sanè ex lib. XII. Cod. de Metatis, & Epidemeticis, item Nouella XXIX. patet *metatores* esse, qui aduenientibus hospitibus locum parant. Vnde colligitur quare metatoria epistola dicta sit. Nam in historia Ecclesiastica hospitium episcopale, quo aduenæ excipiebantur, & vocatur à Græcis καταγώγιον ἐπισκοπικόν, idē & ἀσπαστικὸς οἶκος, & *metatoriū* dicebatur. Prioris appellationis testem laudo Theodoritum, qui in quinta historia, vbi meminit de præsenti Ambrosij episcopi Mediolanensis cōstantia, qua Theodosium Imp. aditu templi prohibuit, subiicit mox hæc de ipso Imperatore: ἐπειδὴ δὲ τοὺς ἱεροὺς περιβόλους κατέλαβεν, εἰς μὲν τὸν θεῖον οὐκ εἰσελήλυθε νεών, πρὸς δὲ τὸν ἀρχιερέα παραγενόμενος, ἐν δὲ τῷ ἀσπαστικῷ οἴκῳ ὄντι καθῆστο, ἐλιπάρει λυθῆναι τῶν

δεσμῶν. Idem esse & *metatoriũ* manifesto colligitur ex Historiæ Ecclesiasticæ excerptis Θεοδώρου ἀναγνώστου. Ibi enim de Episcopo Euphemio hæc excerpta sunt: οἱ ἐπίβουλοι δὲ Εὐφημίου τινὶ ὑπὸ δεῖν φοβοῦμαι, παρεσκεύασαν ἔμπροσθεν τοῦ μιτατωρίου ξίφος κατ᾽ αὐτοῦ γυμνῶσαι. Hospites enim & ignotos in metatorio recipi nemo dubitat. Vnde ignotum hominem ad hoc facinus patrandum subornatũ fuisse omnino necesse est. ἐπισκοπικὸν καταγώγιον vocant Græci, alij, vt iam monuĩ. Vt Sozomenus sexta historia: αὐτίκα γε τοὺς ἄνδρας οἷά γε ἐξ ὁδοῦ κεκμηκότας εἰς τὸ ἐπισκοπικὸν καταγώγιον ὁδηγήσας, καὶ τραπέζαν παραθεῖναι. Idem in septima: τεκμήριον δὲ μεγίστης ἔδωκεν ἀρετῆς παρὰ πάντα τὸν χρόνον τὸ ἐπισκοπικὸν καταγώγιον ἀνεῳγμένον ἔχειν.

Quod autem ἀσπαστικὸς οἶκος, & μιτατώριον sit idem, quamuis iis, quæ superius adduximus, satis confirmatũ esse debet: tamen exemplũ adferemus ex Cedreni Annalibus in Leonis IIII. historia, quo loco Cedreni idẽ de Leone adfertur, quod apud Theodoritum de Theodosio. Apud Theodoritum prohibetur Theodosius templi aditu: & cõuenitur in ἀσπαστικῷ οἴκῳ apud Cedrenum item Leoni interdicitur ingressũ templi, & cogitur ire in Metatorium. Sed verba Cedreni producamus:

Εὐλογήθη δὲ μετὰ Ζωῆς ὁ Λέων ὑπὸ Θωμᾶ πρεσβυτέρου, ὅστις καθῃρέθη, καὶ Αὐγούσταν αὐτὴν ἀνηγόρευσε. διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν ὁ πατριάρχης εἰς τὴν ἐκκλησίαν εἰσέρχεσθαι ἐκώλυε τὸν βασιλέα. ὅθεν διὰ τοῦ δεξιοῦ μέρους διήρχετο εἰς τὸ μιτατώριον.

Metator

Metatorium enim iunctum templo fuiſſe apparet, & ex his,& ex ea ipſa Theodoſij hiſtoria.Quo conuenire ſolitos puto omnes antequã ἡ ἁγία σύναξις celebraretur.Quare non dubiũ,quin eadẽ fuerint, ἀσπαστικὸς οἶκος,& μητατώριον. Apud eũdẽ Cedrenũ in Theodoſio legimus milites Theſſalonicæ turbaſſe διὰ μιτάτα. hoc eſt,propter hoſpitia.quod aut hoſpitia illis metata nõ paterẽt,aut ꝙ omnino metata nõ fuiſſẽt.Quod ita eſſe cognoſcimus ex eodẽ Titulo Codicis,*de metatis*.Idem eſt quod ab eodem Græculo ſcribitur: Adrianum condidiſſe vrbẽ ἀδριανοῦ θήρας ἐν μιτάτοις.

Euagabimur:& quæcunque in buccam,quod dicitur,veniet,huic chartæ illinemus. Nullum enim ordinem ſeruare inſtituimus. Nec commentaria, ſed τοῖς παλαιοῖς κριτικοῖς λεγομένας σχολὰς ſcribimus.¶In epigrammate igitur Didonis mendũ eſt:

Pectore transfixo,caſtros quod pertulit enſes,
Non furor,aut læſo crudus amore dolor.

Legendum enim:

Pectore transfixo,caſto quod perculit enſe
Non furor,aut læſo crudus amore dolor.

¶Lege etiam in Technopægnio:

Sunt etiam Diuum monoſyllaba priua Deum: Fas

Nam male hodie legitur,*monoſyllaba prima*.¶In præfatione Griphi Ternarij lege partim ex veteri libro,partim ex certa coniectura: *Totam Grammaticam,& Muſicam,libróſque medicinos,trimaximum Hermetem amatorem primum ſophiæ &c.*¶In Tetraſtichis Imperatorum mirum eſt,quod in lemmate Neruæ ſcriptum eſt in veteri libro: NERVA TETRARCHA. Quare enim *Tetrarcha* vocatur ? Id ego plane ignoro.eſt tamen ratio veriſimilis, qua id probetur,ſi eruditiores quærere velint.¶In Commodi Tetraſticho ex veteri libro lego:

Threcidico princeps bella mouens gladio.

¶Item Seueri lemma in eodem libro: SEVERVS PERTINAX. Id verum esse, & hoc cognomen Seuerum assumpsisse test es sunt veteres nummi eius Imperatoris, item & saxa, & alia monumenta. ¶Ad Vrsulum Grammaticum scribit de strenis ab Imperatore illi dandis. Nam mos iste erat Imperatoribus, vt quotannis strenas amicis darent. qui quidem indicatur à Q. Symmacho ad Theodosium, & Arcadium Augg. *Kalendas*, inquit, *anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis strenis dicauit antiquitas DD. Theodosi, & Arcadi, inclyti victores, semperaugusti. Huius instituti vsum munificentiæ festinatione præuertitis: seram putantes liberalitatem, quæ statis temporibus ammonetur.* Patet autem Ausonij Quæstoris suggestione admonitum Imperatorem strenas Vrsulo dare, nec mirum. Quæstoris enim est preces ad Imperatorem deferre. quod præter alios auctores apertè indicatur ex secundo libro Epistolarum eiusdem Symmachi. Non discedam ab eadem epistola. ¶In ea scribit poëta:

Ostia quot pro parte aperit stridentia Circus.
Excepto, medium quod patet ad stadium.

Ostium istud, quod dicit patere ad mediũ stadiũ, est ostium quartum Circi, per quod emittebantur quadrigæ. Sic in veteri inscriptione Dioclis agitatoris legimus: MISSVS OSTIO IIII. CCLVII. Rationem huius rei alibi reddimus. ¶In epistola prosa. ad Symmachum in fine emendo: *quæ noscere aues, compendi faciam.*

Disputatum diligenter super epistola quadam Paulini, quæ falso Ausonij nomine inscribitur. ordo epistolarum Ausonij ad Paulinum.

CAP. XXV.

Epistola

Epistola nomine Ausonij ad Paulinũ, quæ incipit:

Quarta redit duris hæc iam messoribus æstas,

Hæc, inquã, epistola nõ est Ausonij, sed ipsius Paulini ad Ausoniũ. Id quod diligenti lectori rẽ propius inspiciẽti patere potest. Sed duo præcipue id ita esse cõuincunt. Primum lemma Epistolæ in veteribus libris ita cõceptum: PAVLINVS AVSONIO. Deinde in fine additum, VALE DOMINE ILLVSTRIS. quo titulo Ausonius Paulinum appellare non solet: quem filium tantum & alumnum agnoscit. At contra Paulinus ipsum Ausonium ita vocauit, vt ex illis constat:

An tibi, ô Domine illustris, si scribere sit mens
Qua regione habites, placeat reticere nitentem
Burdegalam, & piceos malis describere Boios?

Quid, quod ex ipsius Epistolæ verbis, si accuratius examinentur, id cognoscemus? Ait se iam quartam istam æstatem nihil literarum ab Ausonio accepisse: cum antea nihilominus hoc cumulatissime præstitisset. Quippe tres epistolas vno die se ab illo accepisse. Hoc enim vult, cum ait:

Trina etenim vario florebat epistola textu:
Et numerosa triplex pagina carmen erat.

Tres, inquit, epistolas simul accepi. Quænam sunt illæ? prima est, quæ incipit, *Discutimus Pauline iugũ.* Secunda: *Proxima quæ nostra.* Tertia: *Agnoscis ne tuã Ponti dulcissime culpam?* Is enim ordo epistolarum Ausonij esse debet. Nam quarta, quæ & vltima, est illa: *Quarta tibi hæc nostros direxit epistola questus,* Tres autem epistolas se vno die & simul accepisse, tum illud demonstrat, quod Paulinus innuit chartam floruisse trina epistola: quod nihil aliud est, quàm in eadem charta tres epistolas fuisse, tum etiam illa magis declarant:

Ante salutifero felix cum chartæ libello
Dona negata diu multiplicata dares.

Cum, inquit, post longam intermissionem literarũ cumulatissimè vno die acciperem: cùm tres episto las pro vna mihi mitteres. Ait fuisse quædam suba mara in epistolis illis, quæ anxia cẽsuræ miscuerat pietas. Quid aliud est, quà n Ausonium patris au-ctoritate filium Paulinum obiurgasse, vt apparet in epistolis ipsius Ausonij? Iam illa, quæ sequuntur, possúntne aliter accipi?

Sed mihi mite patris plus quàm censoris acerbum
Sedit, & è blandis aspera penso animo.

Nam in illis epistolis dicit fuisse, & mite patris imperium, & acerbam Censoris castigationem. ¶Sequitur:

Ista suo retegenda loco tamen: & grauiore
Vindicis Heroi sunt agitanda sono.

Se ad illas obiurgatiònes responsurum suo loco dicit: sed carmine Heroo. Id quod facit. ¶Subiungit:

Interea leuior paucis præcurret Iambus.

Sane, quia Epistolas Paulini ad Ausonium debet præcedere Iambus ille diuinus, elegans. eruditus, Christianus, qui incipit: *Quid abdicatas in meam curam pater.* Ex istis apparet Paulinum, vti tres simul Epistolas acceperat: sic trinis literis ad eas respondere. Quare nulla religio est mutare titulum huius Epistolæ, & auctori suo vindicare. ¶Sed antequam hinc discedamus, monendi sumus in lemmate antiquo versuum Paschalium, legendum videri *Proclo*, non *Proco*. quia Proclus vsitatum nomen. Procus qui vocatus sit apud veteres, non memini me legere. Ita igitur legimus, VERSVS PASCHALES PROCLO DICTI.

Locus ex præfatione Centonis correctus, & illustratus.

Stratus. στομάχιον. *oscilla. indicatus mos veterum in conuiuijs. cranium mortui in symposijs.*

CAP. XXVI.

IN Epistola, quã Cētoni præfigit, meminit luducri, ex quo multæ figuræ exprimi possũt. Sed multis mēdis deformata sũt verba Ausonij, in re tamen scitu dignissima: adeò, vt mendosa editio bono viro, & erudito Brodæo imposuerit: quē & alij quoque sequuti sũt. Nō enim vllus lusus est officulorũ, vt ipse putat. neque vnquã tale quid veteres habuerũt. Hoc enim à mente Ausonij alienissimum. Neque animaduertit, quid interesset inter *lusum*, & *ludicrum*: hoc est inter παιδιὰν, καὶ παίγνιον Sed fefellit hominē, vt dixi, lectio mendosa, ὀστομαχίαν, pro στομάχιον: & *ossicula*, pro *oscilla* legentem. ¶ Ac ne hæc quidem tãtummodo mendosa, sed & sequentia malè ab interpunctionibus accepta sunt. Quæ prius ita, vti legēda sũt proponam: deinde ad eorum interpretationē aggrediar. Nam ita & emendandum, & interpungēdum. *Simile vt dicas ludicro, quod Græci* στομάχιον *vocauêre. Oscilla ea sunt. Ad summam quatuordecim figuras Geometricas habent. Sunt enim æquilatera: vel triquetra: extentis lineis: aut rectis angulis: vel obliquis: isoscele: vel isopleura: orthogonia quoque, vel scalena. Harum vertibularum varijs coagmentis simulantur species mille formarum, Elefantus bellua: aut aper bestia: anser volans: & mirmillo in armis subsidens: venator: & latrans canis: quin & turris: & cantharus: & alia huiusmodi innumerabilium figurarum: quæ alius alio scientius variegant.* Hæc verba ita proculdubio legenda sunt, & distinguenda. Nam quin recte στομάχιον. & *oscilla* emendauerimus: præter côiecturam certissimam,

qua vſi ſumus, fidẽ fecerit vetus Gloſſarius, in quo ſcriptum legitur: *Oſcillum*, στομάτιον ¶ Sũt enim laruæ, & προσωπεῖα vt ex Macrobio cognoſcimus, quæ in αἰώραις & iactationibus ludicris Ruſtici ori opponebant, vt eſſent magis ridiculi. Virgilius:

Oraque corticibus ſumunt horrenda cauatis.

Intelligit enim *Oſcilla* ex corticibus arborum quẽ morẽ Athenienſiũ tangit & Maurus Terentianus. à quo iactationes ipſas, & cernuationes, quas Græci vocant αἰώρας, etiam Oſcilla appellarunt. Idem:

Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia quercu.

Hic autem apud Auſonium noſtrum & ipſæ *laruæ* ſunt, ſeu perſonæ, quæ ſic aptæ, & coagmentatæ erant, vt articuli eius, vertibulæque, quibus cõmiſſæ erant, in omnem partem flecterentur, & figuras omne genus exprimerent. Eæ in conuiuium medium iaciebantur, & ex illis eas figuras Rex conuiuij exprimebat, vt mutationis & breuitatis vitæ commonefaceret: & propterea bibendum eſſe, vt nihil de fructu huius vitæ pereat, diceret. Id oino plane, ac diſerte ex Petronio cognoſces. Cuius verba adpoſui, quæ nõdum edita ſunt, *Potantibus ergo, & accuratiſſime lautitias nobis mirantibus, laruam argenteam attulit nobis ſeruus: ſic aptam, vt articuli eius, vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cum ſuper menſam ſemel, iterumque abieciſſet: & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret:* Trimalcio *adiecit:*

Heu heu nos miſeros. quam totus homuncio nil eſt.

* *

Sic erimus cuncti poſtquam nos auferet Orcus.
Ergo viuamus, dum licet eſſe bene.

Ex quibus primum mentem Auſonij ita aperimus, vt nihil potuerit melius excogitari: & ſomnium

Brodæi

Brodæi de ostomachia, & ossiculis explodimus. Deinde indicatur vsus earum laruarum. quod iis in conuiuiis præsentes celeris mutationis vitæ commonefacerent. Nam alioqui semper in conuiuiis mortis mentionem iniiciebant, & caput mortui, vbi eius laruæ copia non erat, vel in mensa apponebant, & manibus versabant, vel è triclinio seu stibadio suspendebant: vt eo vterētur ad eandem rem ad aquam & larua illa. hoc est ad hortandum ad bibendum. Quod nouimus ex Epigrammate Græco: in quo non solum caput mortui, seu cranium idem facit, quod apud Petronium larua: sed & ea exhortatio pro cumulo subiicitur, quam addidit Trimalcio in Epigrāmate suo. Epigrāma Græcum hoc est:

Ἡ πλακοῦν χαίρουσα πανοπλίη, ἀρτολάγυνος
Αὕτη, καὶ δροσερῶν ἐκ πετάλων στέφανος,
Καὶ τοῦτο φθιμένοιο προάστιον ἱερὸν ὀστοῦν,
Ἐγκεφάλου ψυχῆς φρούριον ἀκρότατον.
Πῖνε λέγει τὸ γλύμμα, καὶ ἔσθιε, καὶ περίκεισο
Ἄνθεα. τοιοῦτοι γινόμεθ᾽ ἐξαπίνης.

Quæ omnia ad verbum interpretantur Petroniū ipsum. Quin & ipsa verba quæ γλύμματος nomine hîc intelliguntur, aliter concepta videntur in triclinio marmoreo Lateranensi, vno versiculo senario:

Ἡδὺς βίος. τὸ ζῆν ταχύ. τὸ θανεῖν ὑπόψία.

Quo significatur, viuendum esse. nam vitam properare: mortem imminere. propterea tanquam iam morituri bibebant, & tanquam nunquam id facturi. Plautus Sticho:

Volo nos pro summo bibere. nulli relerimus postea.

Ita enim legendum: non *Nolo*. Horum συμποτικῶν ἐπιφωνημάτων pleni sunt libri veterum, præsertim Martialis, & Græcorū. Neque dubū est, quin in Cæ-

natione seu stibadio Domitiani Cæsaris, quod propter exiguitatem ipse vocauit *Micam auream*, è tholo penderet cranium mortui, quod mortis admoneret. Id Martialis videtur velle hoc in Micam auream Epigrammate.

Mica vocor. quæ sim: cernis cœnatio parua.
Ex me Cæsareum suspicis inde tholum.
Frange toros pete vina, rosas cape. tingere nardo.
Ipse iubet mortis te meminisse Deus.

Videtur enim in tholo ipso larua illa, aut cranium fuisse.

Plinij Iunioris poëmatia lasciua. Læuius antiquiss. poeta. Erotopægnia Læuii. Alcestis Læuij. locus Gellij. versus Læuij ex Erotopægniis. Glarea Senatusconsultum de theatro perpetuo. Castoris liber χρονικὰ ἀγνοήματα. CAP. XXVII.

IN fine centonis in ea epistola, qua excusat licentiam carminis, apponit distichũ Plinii Iunioris.

Ne fortaſſe meos spectẽt de carmine mores
Lasciua est nobis pagina, vita ꝓba est.

Qui vltimus versiculus apud Martialem quoque legitur. Sed idem versus potuit à duobus vsurpari, vt sunt aliquot apud Ouidium, & Tibullum. Quare inepte quidã hic pro Plinio Martialẽ substituerũt: cùm notissimũ sit ipsum Pliniũ versiculos lasciuos scripsisse. Quod vel ex ipso Plinio patet scribẽte ad Pontium libro VII. Epistolarum. Ibidem mentio fit Liuii vetustissimi poetæ, sed perperam legitur *Liuius* cũ sit *Læuius*. Nam Liuius Andronicus, est primus ille, qui fabulam Romæ docuit. Læuius est is, qui poema Io scripsit: item Erotopægnia quæ, lasciuissima poematia fuisse indicat tum, titulus, tum

etiam

etiam Ausonius ipse. Sed molles ex illis adferũtur versiculi isti, de corona plectili:

> *Andromacha per ludum manu.*
> *Lasciuula, tenellula*
> *Capiti meo trepidans, lubens.*
> *Insolita plexit munera.*

Apud Gellium in veteribus Codicib. non *Næuio* attribuitur Alcestis, sed *Læuio*: qui est iste, de quo iam loquimur. Quid quod Apuleius in Apologia Læliũ vocat? vt videatur propius accedere ad Læuium. Itaque alius est Liuius Andronicus, qui Odysseam vertit, fabulas multas docuit: alius Læuius, qui Erotopægnia & Io composuit. Nam semper ita scriptum apud Gellium inuenio. Quod si & hic quoque Liuius vocatur: alius tamen est ab Andronico. neque obstat, quod ab Ausonio antiquissimus vocatur. Apud Mocrobium quoque Næuius falso pro Læuius citatur in his versibus,

> *Hac, qua sol vagus, igneas habenas*
> *Immittit propius iugátque terræ.*

Est enim idem noster Læuius. ¶ In epistola ad Paulum scribit eruditissimus Poeta:

> *Aut iteratarum qua glarea trita viarum*
> *Fert militarem ad Blauiam.*

Notissimum vulgo sane quid sit *glarea*. notissimum & Vibiscis, Santonibúsque, viam quæ Blauiam ducit, glareosam esse. non tamen id simpliciter in Ausonio accipiendum. Nam eo tempore *Glarea* accipiebatur pro *aggere*, seu *militari via*. Augustinus de Ciuit Dei lib. XXII. cap. VIII. *Sed ista nec similiter innotescunt: neque, vt non excidant animo, quasi glarea memoriæ crebra lectione teruntur.* Recte & eleganter Augustinus. Nam quid tritius, quàm militaris via? Propterea & eadem metaphora. Aristophanes dixit, ὥσπερ ἀτραπὸν πεπάτηκες.

Quippe αἱ λεωφόροι & militares viæ ꝓprie dicũtur πατεῖσθαι. ¶In ludo septem Sapiẽtum superius ex Tertulliano meminimus legis, quæ vetabat Theatrum perpetuum ædificari. Id fuit Senatusconsultum, cuius auctor fuit P. Scipio Nasica. Val. lib. II. cap. XXXI. Liuius lib. XLVIII. August. de ciuit. lib. I. cap. XXXI. ¶Ausonius confecit griphum de ternario numero ex Græco prouerbio, vt omnes sciũt, ἢ τρὶς πίν' ἢ τρεῖς τρία. Cuius legis, seu cautionis Græculæ, vt vocat Plautus, meminit Petronius his verbis. *Excusare cæpit moram: quod amica se non dimisisset, tribus nisi potionibus è lege siccatis.* Addam & de Castore Rhetore, & Grãmatico, quod tantum superiùs delibauimus: nempe quod dicatur ab Ausonio scripsisse libros de Regibus ambiguis, id referendum videri ad eius libros χρονικῶν ἀγνοημάτων, quorum meminit Suidas. In quibus scripserat de iis, quæ falso dicebantur sub tali, aut tali Rege facta fuisse. & ἀναχρονισμοὺς veterum scriptorum arguebat: multaque præterea non antea cognita ex recondita vetustate eruebat. quod patet ex Varrone in libris de vita pop. Ro. his verbis: *In cælo mirabile extitit portentum. Nam in stella Veneris nobilissima, quam Plautus Vesperuginem, Homerus Hesperon appellat, pulcherrimum dicens, Castor scribit tantum portentum extitisse. vt mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum. quod factum ita neque antea, neque postea constitit. Hoc factum Ogyge rege dicebant Adrastus Cycizenus, & Dio Neapolites Mathematici insignes.* Hactenus Varro videtur enim hæc accepisse Varro ex libris χρονικῶν ἀγνοημάτων ipsius Castoris.

Garum liquamen. muria. fastosum garum. Muriatica. applar. appla. calpar. Myobarbum. Cantha-

rus

rus potorius: nanus barbatus. μύειν. præmium soluentium Griphos. CAP. XXVIII.

QVanto me affecit beneficio, non delata quidem sed suscepta querimonia mea Pauline fili lege *suspecta*, non *suscepta*. Suspicabatur enim Paulinus, Ausonium queri de primo munusculo. Itaque iterauit illud. ¶ In eadẽ Epistola Ausonius non vult sequi opinionem vulgi temere *muriã* pro *garo* vsurpantis. Aliud enim *muria*, aliud *garum*: Nam muria ex thynnorum, garum ex scombrorum tabe conficiebatur. quæ & liquaminis nomine, & liquoris sociorum vocabatur. At muria pauperum tantum erat, vt ex Martiale cognosci mus, & ex Persio. Cõtra garum diuitum. propterea *fastosum* à Martiale vocatur, vt legitur in veterib⁹ membranis:

Accipe fastosum munera prima garum.

A muria arida ταρίχη piscium vocarunt Romani, quæ omnino vno nomine Septentrionalium lingua hodie dicuntur Stockfisch. Quod alibi explicamus ex Plauto in Pœnolo. Nam nisi diu aqua macerata, & rude aut bacillo verberata non coquuntur. ¶ Quod sequitur:

Iam patinas implebo meas, vt parcior ille
Maiorum mensis apalaria succus inundet.

Ex Glossis Isidori lego *applaria*. Nam in illis Glossis *Applare* est cochlear, vt ab olla, ollar, seu ollare: ita ab appla vase, applar. In Glossario S. Germani malè *Appia* lego, *Appla*, εἶδος σκεύους, ὡς Πακεύβιος. ¶ Sic *à calpa* Græco (nã est κάλπη) fecerunt *Calpar*. Myobarbum, Liberi patris iam debet præponi pro lemmate illi Epigrãmati Græco: ἀσύνατλε μοι ὅστις ἐγώ. & sequenti Latino tantum præponendum lemma ITEM. Non est autem *Myobarbum* dictum περὶ τὸν βάρβον vt putat Turnebus: & vt nos quoque per

peram aliquandiu putauimus. Nam hoc si sic esset, non neutro genere μυόβαρβον, sed masculino dicendum erat, μυόβαρβος. Deinde si βάρβος, est *Mystrum Cereris*: quid Baccho cum Cereris mysteriis? Præterea quid hic mysteriis opus est? vnum tantum nomen hic mysticum est, nempe *Phanaces*. cætera pro populorum diuersis appellationib. Sed vt hæc opinio Turnebi tanquam falsa prorsus explodenda est, ita pro vera amplectenda quam ponemus. Primum Bacchum cum cantharo oblongo, & angusto fingi solitum, non solum veteribus auctoribus, qui hoc tradunt: sed & nobis ipsis credendum est, qui in veteribus marmoribus, numis, ac monumentis id obseruauimus. Nam alii sunt *canthari* ex quibus vinum defundebatur in pateras: alii *potorii canthari*, quibus bibebatur. Arnobius: *Quid ille in Liberi dextra pendens potorius cantharus*? Illi canthari, vt dixi oblongi sunt, & angustissimi infima parte, qua committuntur basi suæ. Desinunt enim in turbinem subtilissimum, qui init basem ipsam. A qua similitudine & muris & barbæ, quæ in conum desinit nomen *ibrida voce*. ex Latino, & Græco sermone insititium adeptus est: & vocatus est cantharus ille *Myobarbum*. Quæ compositionis lasciuia, ne cui forte mira videatur, habet similem in alio vase Romano: quod Græco nomine, item Latino *Nanum barbaton* vocabant. Græcum nomen est *Nanus*, sed figura Latina. Latinum nomen *Barbatos*, sed figura Græca. Varro: *Quo postea accessit Nanus cum Græco nomine, & cum Latino nomine Græca figura Barbatos*. Quare si id est in nominibus separatis: quid ni & in compositis? Vides præterea *barbatum* vocari, quod ea figura esset, qua fuisse cantharum potorium descripsimus: vt non dubium sit, quin lasciuia ioculari ita vocatus sit cantharus

potorius

potorius Bacchi. In eo autem hæc insculpata nomina fuisse mirum nemini videri debet. Nam Liber pater nudus, & aliarum rerum inermis fingebatur: vt nihil haberet, in quo tituli illi poni possent, præter cantharum potoriũ. Ego sane non dubito, quin ea sit vera coniectura, & ex Græco & Latino iocu-lariter composita sit vox *Myobarbum*, dictũ vt *Myoparo*, propter longitudinem: est enim piratici nauigii genus. Quid autem mystici habeat mus, quod velle videtur Turnebus, id sane mihi prorsus mysticum est, & opertum. Tantus vir potuit ignorare, μύειν esse *abdere se in latibula, inlatebrare se?* quod sane mus facit. Ab eo ergo dictus μῦς. ¶In epistola ad Theonem quod intactum reliquimus:

Tostam trado tibi, simúlque & agnam. est figura Grammatices ἓν διὰ δυοῖν: vt *pateris libamus & auro.* hoc est, aureis pateris. sic hic, *Tosta*, & *agna*, est tosta agnina. Nam qui griphum, aut ænigma soluerat in conuiuio, pro præmio carnes auferebat. Auctor Pollux. Ausonium verò proponere griphum Theoni quis dubitat? Ipsemet hoc testatur. Lege, & videbis. Sed melius, erit, si *Tostam* simpliciter interpretemur carnem, aut carnium tostarum portionem, quæ dabatur gryphi enodatori, *agnam* autem quia poetarum erat præmium agna. Vnde ἀρνῳδοὶ dicebantur, qui agnæ præmio canebant.

Producti versus nunquam antea excusi de duodecim Signis, & septem Planetis: Saturnus Pollucis filius. Semo Mercurius. CAP. XXIX.

IN Eclogariis Ausonii legũtur versus de nominibus siderum, quorum initium: *Ad Boreæ partes Arcti iunguntur, & Anguis*, &c. qui versus in veteri quadã scheda clariss.

viri Dn. Iacobi Cuiacii Senatoris Gratianopolitani tacito nomine Ausonii legebâtur, post alios versus non inelegantes de septem Planetis, & duodecim signis. qui versus videntur ex iusto opere decerpti fuisse. Nam præfatio quoque illis præfixa erat. Quorum lectione studiosam iuuentuté fraudare nolui: Ea igitur erat præfatio:

Me legat, annales cupiat qui noscere menses,
Tempora dinumerans æui, vitæque caducæ,
Omnia tempus agit. cum tempore cuncta trahuntur.
Alternant elementa vices, & tempora mutant:
Accipiunt augmenta dies, noctésque vicissim
Tempora. sed florens retinet sua tempora messis.
Sic iterum spisso vestitur gramine campus.
Tempora gaudendi, sunt tempora certa canendi.
Tempora sunt vitæ. sunt tristia tempora mortis.
Tempus, & hora volat. momentis labitur ætas.
Omnia dat, tollit, minuitque volatile tempus.
Ver, Æstas, Autumnus, Hiems, redit annus in annum.

Quem vltimum versiculum citat Hieronymus in Commentariis in Ezechielem. quod deprehendit idem clariss. vir Iac. Cuiacius. vt possimus agnoscere satis antiquos esse hos versus. ¶Sequebatur postea de XII. signis, aduersis in Zodiaco.

Exurgens Chelas Aries demergit in ima.
Scorpion aurati submergunt cornua Tauri.
Tum subit Arcitenens, Geminis surgentibus, æquor.
Dum surgit Cancer, Capricornus mergitur vndis.
Portitor vrceoli formidat terga Leonis.
Virgo fugat Pisces. redit & victoria victis.

Qui versus sane mihi nó videntur aspernãdi. ¶Subiiciebatur postea de Planetis, déque eorũ circulis, & spatiis annorum, quæ in ambitu suo conficiẽdo impendunt.

Bissex

Bissex signiferæ numerantur sidera Sphæræ
Per quas Planetæ dicuntur currere septem
Pollucis proles terdenis voluitur annis.
Fulmina dispergens duodenis lustrat aristis.
Bellipotens genitor mensum pensare bilibre.
In medio mundi fertur Phaetontia flamma.
Tercentum soles, bis denos, adde quadrantem:
Ter senas partes bis Cytherea retorques*
Lustrando totum præclaro lumine mundum.
Terque dies ternos puro de vespere tollens
Semonis dij completur circulus anno.
Horas octo, dies ternos seruato nouenos
Groxima telluri dum curris candida Phœbe.

¶Post hos versus deinde sequebantur isti:

Ad Boreæ partes Arcti iunguntur, & Anguis. &c. vt necesse sit eos non esse Ausonii, si quidem eiusdem poetæ sunt cum superioribus. Superiores autem Ausonii esse non credam, propter stili diuersitatem. In quibus postremis animaduertendum *Saturnum* dictum *Pollucis prolem*. Quod explicatur à Fulgentio doctissimo Mythologo ita de Saturno loquente: *Pollucis*, inquit, *filius: siue à pollendo, siue à pollucibilitate, quam nos humanitatem dicimus.* Vnde & Plautus in Comœdia Epidici ait, *Bibite: pergræcamini pollucibiliter.* ¶*Semo* autem vocatur *Mercurius*: quia ferè in infimis collocatus est, quemadmodum Semones vocabant eos Deos, qui in infimis censebantur: maiores scilicet hominibus, minores Diis, quod & idem Fulgentius verè exponit in libello de vocibus antiquis. Mariãgelus videtur hos versus legisse in exẽplari suo. Tamen cur eos Prisciano adscribamus, non video: cùm sint antiquiores Hieronymo: vt iam supra admonuimus.

Simonides Leoprepides. Locus Ouidij in Ibim ex-

pensus de Emerita. Guad, Mauritanice. Tartza Mauritanice. Gibal, Mauritanice. Vettones. Colonia Mamiliaria. CAP. XXX.

IAmdudum admodum adolescentes, errorem illum agnoueramus in elogio Citarij Siculi: *Concedat Cei musa Simonides.* In quo possis agnoscere Correctoris Lugdunensis acumen: qui puerile mendum animaduertere non potuit. Hoc admonet me, vt emendem Ouidii locum in Ibim quia de Simonide mētio est. Is ita est:

Stella Lycoridæ cum fuit apta viro.

Hic quærunt docti viri, quare *Simonides* dictus sit *Lycorides*. Inter quos Turnebus non nodum dissoluit, sed nodum in sirpo quærit. Quod tamē ei vitio vertendum non est. Non enim bonum exemplar nactus erat. Nos incidimus in miseras schedas, in quibus exaratum erat:

Stella Leoriporidæ cum fuit æqua viro.

Putamus igitur ex eo mendo veritatē elici posse. si pro *Leoporidæ*, legamus *Leoprepidæ*. Neque dubito, quin ea vera sit lectio. Ipsemet Simonides se παῖ δὲ λεωπρέπεω nominat. ¶Stella autē est Castor, & Pollux, in quas hymnū conscripserat Simonides vt disertius scriptum est in historia illa. Horat.

-alba nautis Stella refulsit. Intelligit, *Castorem, & Pollucē.* ¶Iā superiùs de *Emerita* vrbe Hispaniæ monuimus in ordine nobiliū vrbiū. Melius enim sequemur vulgatam lectionem, quàm veterē, quæ habet *Hispalis*. Nam, vt diximus, Hispalim nō præterfluit æquoreus amnis, sed ipsam Emeritam. *Ana* .n. fluuius eam alluit. Hoc disertissimè à Prudētio explicatur in Eulalia Virgine Martyre, his verbis:

Nunc locus Emerita est tumulo
Clara colonia Vettoniæ:

Quam

Quam memorabilis amnis Ana
Præterit: & viridante rapax
Gurgite mœnia pulchra lauat.

Nam *æquorei amnes* dicuntur, quorum ostia, quia in Oceanum exonerantur, æstum Oceani patiũtur. *Æstuaria* λιμνοθαλάττας vocat Strabo. Sic Ausonius Garumnam vocat.

Æquoream liqui te propter, amice, Garumnam.

¶Itaque inde scimus quare *æquoreum Anam* vocet: qui fluuius vt & pueri sciunt, hodie *Guadina* vocatur: hoc est, *Flumen Ana.* Nam lingua Arabica, & Mauritanica flumen vocatur *Guad.* ¶Sic *Bætis* fluuius hodie dicitur *Guada Kebit*: vel *Guadalgebir.* hoc est, flumen præstans, flumen magnũ, quod nos certo scimus ex idiomate Arabico. Nam Mauros, qui Grammaticam linguam Arabicam colunt, cum ibi rerum potirentur, multis locis nomina de sua lingua imposuisse, nemo paulo historiæ peritior ignorat. Sic *Gibaltar* vocatur, fretum Tartessiacum. Nam *Gibaltar* ad verbum est, Mons Tartessi. *Gibal* enim Arabice, Mons: *Tarts* Hebraice, Syriace, Arabice, Tartessus. *Pœni* in sacris literis ita vocantur, hoc est, *Tarsis.* deinde ipsi *Carthaginienses*: nec mirum. Pœnorum enim colonia fuit. *Gades* autem, & *Tartessus*, sane omnium veterum Græcorum consilio Tyriorum, vel Phœnicum coloniæ sunt: vbi regnauit viuax ille Regulus Argantonius, cuius meminit Ausonius noster ad Paulinum in epistola de Philone epitropo. & ab eo *campi Arganthonini* dicti à Sidonio, *Tartessiacus tractus.* ¶Porrò *Emerita* dicebatur, *Augusta Emerita Vettonica*, vt videmus apud Prudentium. vbi intelligendum *Vettonicæ*, id est ciuitatis. Sic ipse Ausonius in Professorib. videtur dixisse *Augustoritũ Pictonicæ.* vbi, vt supra, subintelligemus, ciuitatis. ¶Nã *Vettones* sunt populi Lu-

sitaniæ: in quibus Emerita fuit princeps, ac matrix totius prouinciæ Lusitaniæ. ¶ Coloniæ enim & præter populos suos, cõditores etiam alia nomina habent. ¶ Vt *Arelate* dicta est *Mamiliaria*. quare, nescio. Hoc sanè patet ex inscriptione pulcherrima, quæ in columna legitur Arelate, in ædibus honestissimæ Matronæ Vallensis.

SALVIS. DD. NN.
THEODOSIO. ET
VALENTINIANO
P. F. V. AC. TRIVM
SEMPER AVG. XV
CONS. VIR. INL
AVXILIARIS. PRAE
PRAETO. GALLIA
DE. ARELATE MA-
MILIARIA. PONI. S.
M. P. I.

Scapus papyri. Locus Manilij emendatur. Desabulare viam. locus Varronis egregius emendatur. Stupor Nonij Marcelli. Emporia Pannoniarum.
CAP. XXXI.

IN Epistola de ostreis ad Theonem in extremo Asclepiadeo non ausim asserere mendum esse, neque præstare vitiũ vulgatæ lectionis, cũm excusari possit. Non potui tamen, quin suspitionem meam exponerem. Scribit igitur Poëta:

Fas

Fac campum replicet Musa papyrium.

Intelligo rectè dictum, *campum papyrium*. sed replicare *campum*, duriusculum videtur. Suspicor non *campum*, sed *scapum* legendum esse. Nam ita vocabant *chartas complicatas*. Glossarium: *Scapi*, κανόνες χαρδιακοὶ, καὶ χάρτυ τόμοι. Varro Bimarco: *Mihique diutini stilo nostro, papyrino leuit scapo scabitio, nouo partu poetico.* Prima autem *scapi* non dubium est, quin producatur. σκηπός, vnde σκηπίων. ¶Adde, quod apud eruditissimum poetam Maniliu lib. v. idem error, qui hic apud Ausonium, inoleuit. Nam hodie legitur:

At cum per decimam consurgens horrida partem
Spica feret præsens nascentes campus aristas:

Cum legendum sit.

At cum per decimam consurges horrida partem
Spica: feret præ sex nascentes scapus aristas.

Quod quam eleganter à disertissimo poeta dictum sit, in nostris in illum castigationibus exponemus. Quas edere prius non possumus, quàm cum valetudine ex grauissimo morbo in gratiam redeamus. Hæc enim, vt omnes vident, tumultuariis lucubrationibus scribimus. Atq; hæc est mea de hoc loco Ausonij sententia. Siquis vulgarem tueri vult, potest id non leuissimis argumentis ductus facere. ¶Porro nō dubium est, quin vere à nobis exposita sit *Glarea* pro *aggere publico* supra in epistola ad Paulum. Nam ἀντιφραστικῶς ita dicta est, cū desabulata potius & ex glarea mobili stabilis reddita esset, qualis via Domitiana in siluis apud Papinium. *Desabulare* enim id vocabant. Varro Sesquiulysse: *Vnam viam Zenona mœnisse. duce virtute hanc esse nobilem. Alteram Carneadem desabulasse, bona corporis secutum.* Nam quod Nonius legit *Desubulasse*, & interpretatur *perfodisse*, in hoc more suo no-

bis fucum facit. vide, num qui iam munit, is recte dicatur eam perfodere: & qui perfodit viam, num recte, subula id facere posit. Sed eiusmodi sunt Grammaticorũ iudicia. ¶ Quis nescit diuersam sententiam Zenonis, & Carneadis fuisse περὶ τελῶν, hoc est de finib. bonorũ & malorũ? huius quidem metã ἀρετὴν: Carneadis aũt τὰ πρῶτα τῆς φύσεως. Hæ sunt igitur duæ illæ viæ, de quib. Varro sentit. At hodie vt leguntur illa verba apud Noniũ, quis intelligat? Monstra enim plane sunt illa: vnam veniam esse non amouisse. d. v h. e. n. a. C. desubulasse. Ergo *desabulare* recte dictum, de aggere publico muniendo. In Epigrammate, quo Danubius Augustos alloquitur, suspecta est mihi vulgaris illa lectio:

Imperijs grauidas qua seco Pannonias.

Nam *grauidas imperiis* non placet, cum vnum esset tantum imperium Romanum. quamuis conati sumus, aliquando eam defendere. Sed ego puto, imo censeo legendum. *Emporiis grauidas qua seco Pannonias.* Celeberrimæ enim fuerunt eæ prouinciæ eo tempore, si quæ aliæ pop. Ro.

Catonis disticha perperam Ausonio attributa.
CAP. XXXII.

ANtequam Ausoniũ, quẽ à tyrãnide Correctorũ vindicandũ suscepimus, è manib⁹ amittimus, omnia beneficia, quæ in illũ cõtulimus, ingrata & irrita putamus: nisi ab illo onus graue, & ipsum quoque à Grãmaticorum factione illi impositum, amolimur. Nam siue mala illi opera attribuuntur, qualis oratio illa Paschalis versibus rhopalicis conscripta: nunquã patiemur illi tantam iniuriam fieri, siue bona scripta aliena

aliena in illum transcribuntur: nolumus eum aliena laude commendari: satis domi habet, vnde alienæ gloriæ desiderium tolerare possit. Extitit igitur quidam parentum nostrorum ætate, qui Ausonio Catonis disticha ausus sit adserere. Quisnam ille, obsecro, est tam locuples auctor, ac classicus testis? Baptista Pius: qui temporibus suis fuit cymbalum inanis iuuentutis. hodiéque sententiæ suæ sectatores habet Miseros homines, qui sub tam lentis maxillis mandunt: Primum qui possunt illa esse Ausonij: cùm Ausonius serio Christianus fuerit, neque aliter piis Augustis acceptus fuisset, nisi & ipse Christianus fuisset? Hæc vero Disticha, quis nō videt adhuc errorib. Gentilium insigniter delibuta esse? id quod ex multis illius opusculi partibus patet. Deinde quomodo Ausonius esse possit ille, qui Ausonio multo antiquior est? vnde id didicisti? Ex Vindiciciano. ille fuit empiricus, & vir clariss. vixítque tēporib⁹ Valētiniani senioris. hoc est ante cōsulatū ipsius Ausonij. qui etiam se à Iul Ausonio, qui fuit nostri Poëtæ pater, plurimū adiutum se in re medica scribit. Is igitur producit ex illo Catonis libello testimonium tanquā ex vno ex veteribus poëtis: nō facturus profecto, si χθὲς καὶ πρώην conscriptus fuisset ille liber. Sed quid nugamur? quid tam dissimile Ausonij scriptis, quā character ille? in quo attende iudiciū illius Nugatoris, qui ob hoc vnū putat hæc Ausonio abscribenda esse, quia non videt, cui melius adscribi debeant, quàm Ausonio? & abstinebimus risum, cum hæc legimus? Sed valeant horum Grammatistarum factiones. Ego eorum iudicia nihili facio, scripta ad sparços, vsus reseruo: doctrinæ tantum attribuo, quantū sufficit ad otiosorum, aut potius praue institutorū iuuenum animos retinendos. Mihi Catonis ille liber bonus &

ſatis elegans,ſatis antiquus videtur, non tamen vt propterea Auſonij ſit. Hoc enim modo & omnia vetera, & omnia bona,ac elegantia ſcripta vnius Auſonij eſſe,dicēda eſſent. Sed quia nihil Auſonianum habēt:longe vincūtur elegātia: Auſonio vetuſtiora ſunt. cur ea Auſonij eſſe negemus, niſi hæ rationes valēt, vnum tantū Baptiſtam Pium ſapere,reliquos omnes ac me præcipue in illis inſanire fatebor. Quiſquis fuit ille, qui Diſticha illa cōpoſuit,ita inſcripſit illa, quia probitas Catonis vel prouerbio omnibus nota erat. Probos enim homines, & moribus probatiſſimis illis temporibus *Catones* vocatos nemo ignorat. Notum: *Tertius è cælo cecidit Cato.* Quid quod Cato maior librum de moribus ſcripſerat ad filium ſuum? Hinc etiam potuit poëta ille Gnomographus lemmatis cauſſam expiſcari. Vt vt illa ſe habent: hoc certiſſimum eſt, non dicam ea non eſſe Auſonij,ſed eum Grammatiſtam more ſuo ſolennia inſanire.

Vita *Auſonij.* CAP. XXXIII.

IVlius Auſonius patria Coſſione, Vaſatū, domo Burdegala,arte medicus,vxorē duxit Aemiliā Aeoniā,natā Aquis Tarbellicis,patre Cæcilio Argicio Arborio Aeduo, primarij generis viro in Sequanis:qui tēporibus tyrannicis,cū ſumma rerū recidiſſet in Tetricos,proſcriptus, omnibúſque facultatibus lapſus venit in Aquitaniā,ad ciuitatē Tarbellorū Aquas:quod eſt oppidum ad æſtuaria Atturri fluminis ſitum. Ibi vſus cōditione honeſtæ mulieris, ſed in tenui re, Aemiliæ Corinthiæ Mauræ, ex ea ſuſcepit liberos Aemilium Magnum Arborium,& Aemiliam Aeoniam, quæ nupta fuit Iulio Auſonio Vaſatenſi. Ex hoc

hoc matrimonio quatuor liberi ſuſcepti, Aemilia Melania, Decius Magnus Auſonius, Iulia Dryadia, Auitianus. In his Aemilia Melania lactans obiit. Auitianus vixdum pubertatẽ egreſſus, magnæ ſpei adoleſcens, magniſque tum in arte medicina progreſſibus, in mediis parentum votis acerba morte interceptus eſt: duobus ſuperſtitibus, ſorore Dryadia, ac D. Magno Auſonio. Dryadia. Pomp. Maximo Rhetori nupſit: quo adhuc iuuenis viduata permãſit in cælibatu ad ſexageſimum vſque annum, quo vltimã diem obiit. Itaque tres illi ſunt liberi, quos præter Auſoniũ ſuſtulit. Iul. Auſonius, homo ſane domi nobilis, & apud ſuos maximus, tum arte, quã profitebatur, in qua tum primas obtinebant homines in Paulatio noti Siburrus, vir Præfectorius. Eutropius, ac Iulius Auſonius ipſe. tũ etiã præfectura Illyrici, quam ei detulit Valẽtinianus ſenior, à quo artis medicinæ cauſa in Palatium arceſſitus fuerat: fratribus ſuis longe felicior, quorũ alter C L. contentus ingentem pecuniam in Britanniis fœnori occupatam, ac immanibus mercedibus multiplicatã morte præuentus, externis hominibus diripiendam reliquit: ita vt nihil ex ea ſorte ad fratrẽ Iuliũ perueniret. alter autem Iulius Callipio, homo prodigo ingenio, & infreni ac effuſiſſima liberalitate, quam homines ſcurræ, & vrbani comitatem ſolent appellare, patrimonio exhauſto, nepotes ex fratre & ſorore, nomine tenus hæredes habuit. Vxorẽ eã vnicam habuit: cum qua triginta ſex annos ſine vlla animi læſione vixit. Obiit nonagenarius, omnibus & mẽbris & ſenſibus integer: tã ſecundæ apud Aquitanos famæ, vt ab illis cum aliquo ſeptem Sapientum contenderetur. Atque ſcitum eius in ore omnium verſabatur: *Beatum eſſe, non qui habet, quæ cupit, ſed qui non cupit, quæ non habet.* Atque

de eo iactabant Aquitani: *Quemadmodũ Ausonius neminem sibi proposuit imitandũ: ita Ausonium nemo nunc potest imitari.* Reliquit libros de re medicina, quibus Vindicianus plurimum se adiutum fuisse testatur. Eloquentiæ non ita studuit: cùm hoc sæpius diceret: *Satius esse, si moribus antiquorum prudentum viueremus, quàm si eorum tantum lingua & arte loqueremur, his versibus.* Hoc itaque tanto viro nascitur Burdegalæ Decius Magnus, Ausonius nomine aui materni, cognomine patris. Cuius futuræ indolis ea signa statim data sunt: quod cum eius formam, ac thema Cæcilius Argicius Arborius, vir Matheseos studiis instructissimus perscripsisset, opinione hominum maius nescio quid de puero statim concipere visus est. Quod alta mente repostũ ita penitus insedit curioso seni, vt etiam amisso filio maiore triginta annorum, vnicum Ausonium nepotulum in amissi solatium sibi relictum esse sæpe prædicaret, & hanc caussam esse, quare patiẽter filio careret. Quare ab ipsis primum lucis rudimẽtis cura Aemiliæ Corinthiæ Mauræ, auiæ suæ diligentissime educatus: ac duarum materterarũ, Hilariæ, & Iuliæ Cataphroniæ, deuotæ virginitatis feminarum mollibus imperiis subactus, iam disciplinæ maturus, Cæcilio Argicio Magno auunculo traditur, Tolosæ. & Narbonis Rhetori, causarúmque apud Hispaniæ tribunalia disertissimo actori. Qui & ipse quoque mira de indole Ausonij quotidie prædicare solitus, secum bene agi dicebat, quod Ausonius nepos natus esset: eámque suam felicitatem ducere maximã. Hoc igitur in bonis disciplinis, ac vtraque lingua vsus præceptore, eos in illis progressus fecit, vt in tantum, & talem Poëtam, quantũ & qualem videmus hodie, euaserit. Annos triginta natus primum Grammaticus ad docendum Burdigalæ lectus:

lectus:deinde,cum Rhetore Burdigalensibus opus esset,paulo post ad Rhetoricæ cathedram promotus est, Acilio Glabrione Grammatico in eius locũ suffecto.In quo munere docendi permansit,donec à Valentiniano seniore,cum iam Iul.Ausonius pater in Palatio esset,ad docendos liberos,Gratianũ, ac Valentinianum acciretur. Quorum signa sæpe comitatus est:ita tamen,vt militans aliquid semper scriberet,quicquid temporis videlicet cessaretur à bello.Maxime,cum de præda ei puella,scita forma nomine Sulpitilla Bissula obuenisset,in eam delicatissimis epigrãmatis in ipsa expeditione lusit.Quod accidit quo tempore ad Lupodunum, & Nicri fluuij caput in finibus Sueuorũ magna Alemanorum, & aliorum Barbarorum strages à Valentiniano patre,& Gratiano Augg.data esset.Quæstor ab Augg. patre,& filio factus,mox duplici præfecturapræcin ct us.prima Italiæ,altera Galliarũ, cùm adhuc esset Treueris,absens consul à Gratiano Sirmij designatus,declaratus,ac prior renũciatus est.eique in Gallias ab eodem Aug. missa palmata , in qua D.Constantius intextus erat. collegam in consulatu suffe-ctum habuit Olybrium Hermogenianum V.C. Ac diu post in Palatio mansit:& proconsul Asiæ,mox & vicarius diœceseos Africanæ fuit. Paulo ante tẽpora tyrannica,hoc est,quàm Clemens Maximus in Britanniis imp.à militibus salutatus,Treueros venisset adhuc viuente Gratiano. palam beatus , ac omnibus honoribus perfunctus,Treueris agens cæpit amœnitatem eius tractus , & fluminis Mosellæ delitias admirari. Quo argumẽto mirum in modũ oblectatus,cæpit illud poëtica scriptione periclitari.Id ꝙ ei,vt alia omnia, feliciter cessit. Extat eius ea de re eruditissimus,ac venustissim⁹ Panegyric⁹. Gratiano de viuis sublato fraude Maximi tyranni,

coactus adhuc in Palatio manere, postea tamē Maximo ad Aquileiam cæso, missione a Theodosio impetrata, in patriam, hoc est, in nidum senectæ se contulit. Ibi reliquum ætatis, quod fuit in paternis prædiis, cum amicis molliter, ac tranquille senex traduxit. Matrimoniū vnum sancte coluit, ducta Attusia Lucana Sabina, Attusij Lucani Talisij, splendidi ciuis Burdigalēsis filia. quam minorem XXVIII. annorū amisit. Eam vsque adeo dilexit, vt secūdi matrimonij fortunā tentare noluerit: quippe qui amplius XLV. annos post eius mortē cælebs vixerit. Liberos ex ea sustulit Ausoniū patri, & auo cognominem, quem infantem amisit. item Hesperium Aquilium, quem procōsulem ipse præfectus prætorio, & præfectum prætorio cōsul vidit. Item & filiā, quæ nupta fuit. Val. Latino Euronio Thalassio, iuueni domi nobilissimo: qui & præfectus, & præses Illyrij, & Rationalis fuit. Plurimum affectus suos amauit, præsertim nepotem ex filia Ausoniū, ad quem protrepticon carmen mittit. Herculano tamen ex sorore Dryadia nepote à se primū instituto, deinde successore sibi in cathedra relicto offendebatur, luxū eius, dissolutos mores, ac præceps ingenium plurimum grauatus. In præcipuis amicis coluit Syagrium Gregorium: Tetradium Satiratum scriptorem: Clemētinum Theonem poëtam Medulum: Axium Paulum Rhetorem, ac poëtam, Bigerritanum: Q. Symmachum V.C. præfectū vrbi, quem vt & Gregorium filium vocat. Sed præter alios Pōtium Paulinum, qui primum inter amicos locum apud illum obtinuit, dum in Aquitania mansit. At postquā tranquillioris vitæ, ac solitudinis Christianæ desiderio in Hispaniā secessisset, immane quantum iniquo animo id factum tulit Ausonius: adeo vt in exprobrationem vsque beneficiorū ira prouectus

uectus pene paternæ illius in eum caritatis oblitus fuerit. Nã Paulinus multum infra ætatem Ausonij olim ab eo institutus fuerat: ab eodem in palatium promotus. nec negabat Paulinus. Nam manifesto testatur se ei omnia accepta referre, disciplinam, dignitatem, literas, linguam, togam, & famã. Quare & eo nomine patronum, patrem, præceptorem vocat. Tamen tanquam ingratum sugillat Ausonius: quod obnixo, & obstinato ad taciturnitatem animo sibi toties scribenti non responderet. Coluit & Latinum Drepanium Pacatum Aginnatem proconsulari dignitate: cuius nobilissima est oratio Theodosio dicta. Tres fundos magnificis prætoriis instructos habuit: Lucaniacum, Nouerogum, Maroialium. Scripsit multa. Quorum maior pars ad nos peruenit. Fasti, quos ab vrbe condita ad suum consulatum scripserat, item Chronica Cor. Nepotis, & Apologi Æsopi, quos pedestre stilo conscripsit, perierunt.

IOSEPHI SCALIGERI IVL. CAES. F. AVSONIANARVM LECTIONVM FINIS.

DOCTISSIMORVM

POSTREMÆ HVIVS ÆTATIS virorum Criticorum, præter priores Scaligeri lectiones, varia restituta & enucleata Ausonij loca.

EX ADRIANI TVRNEBI ADVERSARIIS.

Lib. 5. cap. 6.

Versus Rhopalici apud Ausoniũ Edyll. j. sunt, quorum singula verba sequentia singulis syllabis priora exuperant: vt,

Spes Deus æternæ stationis conciliator.

Sic vocati, quòd clauæ more quibusdam gradatim surgunt toris & nodis. ¶ Huius præterea Poetæ versum quẽ subscribam de Narbone, labe quadam inquinatum puto, quæ eluenda est, legitur autem in nonnullis,

Vsque in Teutosagos primæuo nomine Belgas.

In quibusdã aliis, *Paganáque nomine Belgas.*

Ego & *Tectosagos* & *Volcas* scribendum esse arbitror, & ita emaculandum eum locum. Nihil enim est cum Tectosagis commune Belgis. ¶ Nec minùs illud eiusdem de Burdegala,

Quantus in amne rumor.

in eo, vt e syllabæ tempore perspici potest, violatũ est: cùm *tumor* incorruptæ integritati restituẽdum sit. ¶ Sed & in Sapientũ ludo, vt multa alia prætermittã, quis non putet, qui quidẽm numeros Iambicos teneat, eorúmque modulos, legendum esse,

Breuitate nota qua Lacones vtimur. Nam quod editum est, *vsi sunt*. versus lege damnatur.

LIB. 10. C. 12.

Aretalogus nõ tã videtur à virtute dici, quæ ἀρετὴ vocatur, quã ab ἀρετὸς. i. *gratus* & *placẽs*, qui narrationes & fabellas, acroamatáque auribus auditorum grata loquitur. Proinde & nugatores eo etiam nomine & garruli censentur: cùm vsuueniat persæpe, vt scurræ illi nugétur & garriant. ἀρεταλόγον etiam legisse me ita recordor in hoc Poeta, vt hoc verbum ab *Arete* vxore Alcinoi deduci videatur, quæ explicationem illam longissimam errorum Vlyssis (quem Iuuenal. Sat. 15. etiam aretalogum vocat, *Mouerat vt mẽdax aretalogus, &c.*) audierat: nisi de mendo suspectus sit Ausonij locus Epist. 13.

Ρωμαίων ὕπατος ἀρηταλόγων δὲ ποιητής. Sic fortè emendãdum, Ρωμαίων ὕπατός τ' ἀρεταλόγος ἠδὲ ποιητής. ¶ At quoniam in Ausonij mentionem incidimus, quænam sunt apud eum Apalaria Epist. 20. hoc versu,

...aiorum mensis, apalaria succus inundet.

Ego *epularia* libentissimè legerim. & vasa escaria intellexerim, quæ solebat inundare garum. de garo enim loquitur, quem & *liquorem sociorum* ait, appellari eo in loco, vt & Plin. 31. cap. 8. *nunc è scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariæ cetarijs: sociorum id appellatur.* Hermolaus *apuarum* emẽdat, quòd ex eo pisciculo garum fieret. Sed cùm è garo oua parari condiríque soleant: & *oua hapala*, in Apicio lib. 7. cap. 17. legamus. quid si *hapalaria*, vasa intelligamus, in quibus liquamine oua condiuntur. Sic enim scribit, *In nouis hapalis piper, ligusticum, nucleos infundes: suffundes mel, ac acetum; liquamine* tem-

temperabis. Itaque *hapalaria* in sua sede securum manere iubeo.

Ex lib. 18. cap. 26.

Rete iaculum dicitur ad verriculi discrimen. nā iaculum iacitur, *fundáque* etiam appellatur à Marone, à fundendo, vel à fundo. *βόλος à Græcis dicitur*, inquit Seruius in 1. Georgic. *& rete iaculum vocatur.* itaque in quadam comœdia *iaculatorem*, pro *piscatore* posuerat Plaut. è qua hoc affert Isidorus, *probus quidem antea iaculator eras.* Verriculū autem non iacitur, sed verritur: id est, trahitur. Plautus in Trucul. scen. j. de reti iaculo,

Quasi in piscinam rete qui iaculum parat.

quod nonnulli emendant, *rete qui iacit vim parat.* quibus non assentior: cum illud alterum & sententiæ veritate, & Grammaticorū interpretatione nitatur. Ausonius etiam *iaculum* appellat, & à funda separat, in epist. ad Theonem, quæst. iiij.

Et iacula, & fundas, & nomina villica lini,
Cotáque, & insutos terrenis vermibus hamos.

Sic beneficio & ope elegantissimi Iurisconsf. Rufardi, versus hos restitui: ac profectò in ea epistola, paulò post *Carroco*, quod legitur, nec intelligitur, fortasse *carro* legendum est, vt pisces carro referri intelligamus.

Ex lib. 22. cap. 10.

Sic lepidissimus Poeta Ausonius epist. 5. ad Theon. *Charinos*, vocat nūmos, vel stateres aureos, à Charino Imperatore signatos. Nam vt Philippi nomen habebant, solidi aurei à Philippo percussi: sic consentaneum est, qui forma Charini signati sunt, vt Charini nomen habeant. Sed è chartis Ausonij nomē illud penè fugit litteratura, antiquitate

ferè consumpta. Sic enim ille d. epist.

Ergo aut prædictos iam nunc rescribe Charinos.

At cum in Græcia Philippi stateres & Darici celebratissimi fuerint, & paulò ante dixerit,

Bisseptem rutilos regale numisma Philippos. Vbi reponendum *rescribe Darios*, nescio quo animi augurio & ariolatione libentius somniare videor: vt & mox, *Aut alios à me totidem dabo*, &c. Qua in sententia est Pithœus eruditissimus fori Parisiens. patronus. Imò verò vt euigilaui, torporémque somnij discussi: velut nebula discedente, clara iam luce, *rescribito nummos*, legendum indubitanter existimaui: quod & affirmare non verebor, si, qui meæ sententiæ album calculum addat, doctum aliquem inuenero: cum *rios* esse *nos*, id est *nummos*, breui nota *scriptos* crediderim. ¶Ibidem cùm ait,

-tabulam medico pugnante notatam:

arbitror eum dicere, tabellas cautionis, & syngrapham manu inuita exaratam fuisse & repugnantibus digitis, quorum vnum nominat medicum vocatum. ¶Sed quidnam est?

Expositum subter paradas tectóque iacentem.

Legendum aliquando credidi, *Pastadas expositum subter*, id est, sub quadam ipsius nauis scena & vmbraculo. Placet tamen, *expositum subter pardas:* id est, sub belluatis iacentem & Babylonicis peripetasmatis. *Pardas* autem fœminino genere, pantheras & pardos intellexit. At cùm in vetere Lexico repererim, *paradam esse lapatium*, fortasse inde textum vmbraculum intellexit: vel peripetasma, hac herba distinctum atque variatum. Solent etenim herbæ eis intexi. *Pardos* legat etiam qui volet. ¶Lego præterea in ea epistola, *Vnus Domnotoni te è littore:* ¶ & in proximo epigrammate, *Vnius massæ quis putet has species?* ¶Idem Poeta consuetudinem

dinem manes mortuorum ad tumulum vocandi commemorans,& qui ſepulchro carebant,nomen ciendo velut humandi, Maronem illuſtrat lib.3. Æneid.ſic ſcribentem,

- animámque ſepulchro
Condimus,& magna ſupremum voce ciemus.

& lib.6.

Tum egomet tumulum Rhetæo littore inanem
Conſtitui,& magna manes ter voce vocaui.

Iuuat illuſtratores verſus Auſonij in Parental. iſtís adiungere, vt vatem vatis interpretem intelligamus eſſe:nec nos malè operam ponere, qui ex antiquis antiquorum explicationes venantur. ſic autem Auſon. j.

Hoc ſatis & tumulis,ſatis & telluris egenis:
Voce ciêre animas,funeris inſtar habet.
Gaudent compoſiti cineres ſua nomina dici:
Frontibus hoc ſcriptis & monumenta iubent.
Ille etiam mœſti cùm deſuit vrna ſepulchri:
Nomine ter dicto pene ſepultus erit.

Iterum de Deiphobo,

Non habeo tumulum, niſi quem mihi voce vocantis
Et pius Æneas & Maro compoſuit.

¶Ex eodem Auſonio coniicimus *fritillum*, turriculam fuiſſe cauam , gradus intus exciſos habentem, vt incertior & minus fallax, minúſque artificioſus eſſet teſſerarũ iactus , néve aleator colluſorẽ fallere poſſet : πύργος exponitur à vetere critico: dum inquit,

Vidimus & quondam tabulæ certamine longo,
Omnes qui fuerant enumeraſſe bolos:
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu,
Fundunt exciſi per caua buxa gradus:
Narrantem fido per ſingula puncta recurſu,
Quæ data per longas,quæ reuocata moras.

Licebat autem ex iis, quæ iecerant, liberè quædam reuocare, & reliqua dare: in quo ars erat. ita arte quod malè ceciderat corrigebant.

Ex lib.19.cap.12.

In Heroo autem carmine apud Ausonium *cuui*, pro *cui* scribendum est, vt versus ruina hoc tanquam tibicine hácque destina fulciatur,

Dinochares, quadro cuui in fastigia cono
Surgit, & ipsa suas consumit pyramis vmbras.

quæ quidem geminatio literæ (u) productionis gratia facta videtur. Vt nonnunquam reperitur apud Comicos, ac Plaut. vt in Pœnulo, *fuuerit*, pro *fuerit* in illo versu,

Quo genere gnata, qui parentes fuuerint.

Ex lib.23.cap.28.

Sigillaria pro signis & sigillis vsurpat Arnobius lib. 6. dum ita scribit, *Quinimò deos esse sigillaria ipsa censetis.* Erat & hoc nomine locus Romæ, vbi libri résque aliæ promercales venibant & auctiones fiebant. Auson. edyll.12 epist. ad Paulum. Pro quo si per sigillaria in auctione væniret, neque Afranius nauci daret, nec Stichum suum Plautus offerret. ¶ Sed & quia in Ausonium incidi, non omittam monere, locum esse elegantissimum & facetissimum in eo deprauatum, quem Ludouicus Rusardus Iurisconsf. vir ingenij magni & iudicij egregiè emendauit. cùm enim edyll.10. hodie legatur, *Super mensam meam facta est inuitatio, non illa de ludibrij cõuiuio, vt Græco more biberetur, sed illa de Flacci ecloga.* vbi corrigit ex orat. in Verré, *de Rubrij cõuiuio.* quæ lectio vera est.

Ex eodem lib. cap.30.

Idem Ludouicus Rusardus nuper certiorem me fecit

fecit in monosyllabis Ausonij versum desideratu vnum, quem se reperisse in antiquissimo ait, cæcísque & lippientibus literis vix legendo libro:

Est ne peregrini vox nominis an latij sil?

Et quod germano mixtum malè letiferum Min?

quem versum de Minio intelligendo, letali pharmaco & homines necante, quod in argentariis metallis reperitur. Versus autem isti titulum habent Grammaticomastix, eorúmque primus est, *In logodædalia* edyll.12. vbi legendum etiam *Friuola condemnas? nequam quoque cum precio est merx.* hac distinctione in expedito & facili sensus erit, quem assequi arduum ante videbatur. Lego etiam, *replet te latificum gau*, id est, gaudium. Distinctio quoque tenebras ex his versibus discutiet,

Dic quid significent catalecta Maronis? in his al,

Celtarum posuit, sequitur non lucidius tau.

cùm ætate Ausonij *al* & *tau* in Maronis catalectis vix intelligerentur, hodiè curiosi nimium fortasse censeatur, quid illa valeant exquirere. Ego *al*, vt Germanorum lingua, *fere* crediderim, Celtarum sermone, *totum* significasse. *Tau* autem *crucem*. hodie quoque *Tau* gallicum in Maronis catalectis legimus. Literarum nomina declinat Ausonius. nam & *Betam* dicit, & *Iotam*,

Diuiduum betæ monosyllabum Italicum B.

¶ Iterũ, *Non formam aut vocẽ delta gero Romuleũ D.*

¶ &, *-Gammæ vice functa prius C.*

¶ rursus, *Littera sum Iotæ similis, &c.*

¶ Lego autẽ, *Hτα quod Æolidûm, quódque E valet, hoc latiare E.*

& *Legit Attica gens O.* * *al.* ȣ

Lego etiã, *Atque alium: pro se titulo replicata dedit:* Ω.

Ansis autem cincta duabus erit quum Iota leges, Θ.

sine dubitatione Ausonium scripsisse affirmandũ:

&,si necesse est,conceptis verbis iurandum est.

Legendum etiam, (* al.vagor.

Mæandrũ,flexúsque vagos imitata vocor* ξ.*

Admonuit me,& idem Rusardus versui,

Nota Caledonijs nuribus muliebre scelus strix:

Continuò subiici,

Vellera depectit nemoralia vestifluus ser.

Iam pelago volitat mercator vestifluus ser.

Versus pro adulterino est veruto confodiendus.

¶Extat & alia correctio eiusdem Poëtæ apud eundem Turnebum lib. 27. c.23. vbi Monosyllabum restituere conatur sic,

Vnde Rudimus ait diuûm domus altisonum cæl?

Et cuius de more, quod adstruit, endo suam do? vbi *do* pro *domum* dixit Poëta, primas syllabas dictionũ pro ipsis integris dictionibus vsurpans, vt supra in monosyllabis *min* & *gau* dictũ est, ex ipso Turnebo.

EX ADRIANI IV-NII MEDICI ANIMAD-VERSORVM LIBRIS.

Ex lib.6.cap.13.

APud Ausonium Poetam in Centone nuptiali perperã ita legitur. *Quid antiquissimi Poetæ Liuij* κροτοπαιγνίων *libros loquar?* quo loco εὐρετοπαιγνίων legendum esse procliui lapsu certum est, ex Prisciano & Sosipatro grammaticis. Sic enim fœdior in Gellianos codices irrepsit error lib.ij.cap.xxiiij.hunc in modũ, *Huius legis Lælius Poeta meminit in Crotopægnijs:* vbi non titulus tantùm libri male habet, sed & authoris nomen

men corruptũ est, pro Liuio Lælius. Constat autem Liuium Andronicũ plusculos libros ἐρωτοπαίγνιον olim scripsisse, quibus amatorios lusus prosecutus fuit, quam inscriptioné æmulati postero tempore Næuius & Pacuuius Erotopægnion libros edidisse leguntur, apud Non. Marcellũ. Vtrúmq; enim autorẽ Erotopægnion citat. nã in voce *latibulet*, mendosè scriptum est, *erotopecnion*. ¶ Quod verò sequitur in Ausonio, *Quid Euemum, quem Menander sapientem vocauit? &c. Euemerum* lego. Is etenim scriptor Messenius patria, libidines obscœnas spurcósque deorum amores carmine euulgauit, ab Ennio postea in Latinã linguam conuersus. Vnde sic quoque apud Sext. Pompeium legendũ est: *Quam rem in medio, (quod aiunt) positam Varro, & Euemerus* (non *Eumerus*) *ineptis* μύθοις *inuoluere maluerunt, quàm simpliciter referre.*

EX GVILLEL. CANTERI NOVARVM LECTIONVM LIBRIS.

Ex lib. 3. c. 16.

EX Ausonio, *inquit*, quidã hac ætate mendas aliquot tollere sunt dignati: nec id fecerunt infœliciter, meo quidem iudicio. itaque nos illorum sequentes vestigia, caput hoc eidem tribuemus Poetæ. Primùm in Epigr. 21. ait,

Idmona quod vatem, medicum quod Iapida dicunt:
Discendas artes nomina præueniunt.

Heic pro *Iapida*, scribo *Iasida*. Sic enim Iaso quoq; & Panacea cum Asclepiadis coniunguntur. Quemadmodum igitur vatem scientia, medicum arte sanandi oportet præstare: sic illum Idmona, hunc Iasidem dicunt. Fuit etiam Idmon vates inter Argonautas, vt & Iapis in Virgil. medicus, vt & hoc addam. ¶Iam in Carminibus de literis Græcis ac Latinis lego,

Non formam, at vocem Delta gero Romuleum D.

Vulgo legitur *aut*. Contra in Plauti Casina legendum,

Aut quod ego vnquam erga Venerem iniquè fecerim:

non *At*, ¶Tum ad Hesperium de anatibus canit,

Tricolor vario pinxit quam spuma colore. Nos malumus,

Tr. v. p. quas plura colore. ¶In Parentalibus deinde nonis cùm ait,

Vota probant superi, meritisque fauentia sanctis
Implent fata, viri quod voluêre boni.

Pulchrè explicat Catulli versum in carmine nuptiali,

Quòd pepigêre viri, pepigerunt antè parentes.

quod ideo dico, quia versum hunc doctissimus Muretus suspectum habet. ¶In Fl. Sancti epitaphio quartum versum sic emendo,

Sed iustam & lenem vitam agis sapiens.

¶In Professoribus, cùm de Crispo & Vrbico sub finem agit, postremum versum sic lego,

Nasci, vt clarerent paribus ingeniis.

¶Mox in Victorio, pro his,

Atque de Siculo littore transieras, repono, *At quæ de Siculo*, &c.

¶In versibus de ratione Libiæ scribo,

Vnde vigor, viréque, pro, *Vnde vires, virgóque.*

¶Denique in fine libri, titulum Monostichi sic lego. *Hic*

go. Hic versus sine auctore est, quid cuiq; demi de corpore oporteat. Vult enim vngues à Mercurio, à Ioue barbam, crines à Venere auferri.

Ex lib. 24. cap. 24

Quemadmodum in superioribus aliquot Ausonii locos restituere conati sumus, ita nunc reliquos eius poetæ nõnullos, quantum visum fuerit, subiungemus. ¶In Epigr. de Penelope, inquit,

Hinc mea virginitas facibus tibi lusit adultis.

Mihi *luxit* (quod antiquis *lusit* erat) magis placeret. Hoc enim verbum & facibus conuenit, & carmini proximè sequenti.

Arsit & inuidia principe verus amor.

¶In ludo Sapientum Thales ait,

His qui ego sum: causa sed in scenam fuit. &c.

Omnino legendũ putarim, *Nostis qui ego sum.* ¶Prætetea post alterum huius scenæ carmen, saltem vnũ deest. ¶In carminibus de literis Græcis ac Latinis, post eum, quem alibi restituimus versum, lego,

Hastile quæ forma iugi est, hanc efficiet H.

cuius rei causam, nisi crederem satis manifestam dicerem. Plura quondam in hunc Scriptorem annotaram, sed ab aliis occupata repetere nolo.

EX IVSTI LIPSII CRITICIS.

Ex lib. 1. Epistol. quæst. epist. 2.

AVSONIANAS lectiones tuas, mi Scaliger, Vidimus. quæris quid sentiam: quod olim in re absimili Pontius: Scripta tua paucorum hominũ sunt. Nec omnes

capiunt, nec omnes capiuntur.

Μόνοις γὰρ ἡμῖν ἥλιος
Καὶ φέγγος ἱλαρόν ἐστιν
Ὅσοι μεμυήμεθα.

Sed in Ausonio, non rectè hic locus videbatur:

Solæ memoriæ negotium, sparsa colligere & integrare lacerata. quod ridere magis, quàm laudare possis. pro quo si per sigillaria in auctione veniret, neque Afranius, naucí daret, nec Stichum suum Plautus offerret.

Cur enim tam vilis Plauti Stichus, vt cum Africano nauci compararetur? Vide ne coniectura, quæ mihi legenti sub manu, quod aiunt, nata est, vera sit: *nec cicum suum Plautus.* Et verò adlusit Ausonius Plauti locum Rudente,

Eluas tu an exungare cicum non interduim.

Circum leue quiddam, vt Hilum. Laudas ex tuis Glossis, *cicum* ῥοᾶς ὑμήν. In Glossàrio H. Stephani reperio *Cicum* γρύκκοκκος, vitiosè pro γρῦ, κόκκος, quod Græci οὐδὲ γρῦ, Latini, *nec cicum*, & κόκκος eadē notione apud Græcos. Timon Syllographus,

Πτωχὸς μὲν φρένας εἰμὶ. νοῦ δὲ μοι οὐκ ἔνι κόκκος.
Ex sensum mihi pectus, & haud hilum mihi mentis.

Ex lib. 5. Elect. cap. 24.

NAui cursus mihi nuper Brugas fuit: Vrbē & à se, & à ciuiū ingeniis inter primas Europæ nobilé. Sed ea nauigatio cùm parum ex voto mihi esset, Flantibus ventis aduersis, & dies complures præter opinionem coleremus in naui: ad fallendum sedētarium illud otium, Ausonium atripui, qui casu tunc præ manu. Eum percurrens hæc sublegi. In Parentalibus ad Cæcilium Arborium auum suum.

Amissum flesti post trina decennia natum.

Sanctus

Saucius extincto lumine cassus eras.

Vana lectio, à Vanissimo illo correctore Lugdunēsis: cui non semel os verberat Scaliger. Scriptura vetus erat, *Saucius ocleruo*. ex quo Princeps ille Criticus, *Saucius ocle tuo*. mihi tamē probabatur *Saucius ac læuo lumine*. Bini liberi huic Cæcilio Arborio, Aemilius Magnus Arborius, & Æmilia Æonia Ausonii mater. Æmilium quia amisit, dicit eum poeta cassum lumine læuo. id est, alterum è duobus eum amisisse lumen. Honesta sanè locutio, similiter vsurpata Quinctiliano lib. 6. *Mihi filius minor quintum egressus annum, vt in malis agerem, prior alterum è duobus eruit lumen.* Nam liberi parentum, quasi oculi & lumen. Festus *Orba* est, quæ patrem aut matrē, aut filios quasi lumen amisit. ¶ De claris vrbibus ac quidem Capua.

> *Mox vt in occasum vitiis communibus acti*
> *Corruerent Pœni, luxu Campania fesso.*

Haud parum sententia: si legas,

> *Corruerunt, Pœni luxu, Campania fastu.*

Hoc sanè ait, postquam communibus infecti vitiis Campani & Pœni perierunt: Pœni quidem luxu, Campani fastu. Tunc illa potens Capua sic cecidit, vt nunc vix octaua. Hactenus enim sententia continens, & vno ductu legēda. Campana superbia, prouerbio innotuit. ¶ De Fastis suis,

> *Hactenus adscripsi fastos: si fors volet, vltra*
> *Adiiciam: si non, qui legis adiicias.*
> *Scire cupis qui sum? titulum qui quartus ab vno est,*
> *Quærere. leges nomen Consulis Ausonij.*

Leue mendum versu tertio, sed quod momentum ad historiam habet vnde scribe, *qui quartus ab imo est*. Nam Ausonius fastos suos perduxit ad annum vrbis. ∞ C. XXIII. Ipse autem.

exequere, quicquid Deus imperarit: vt Ceres agri colæ, Mars militi, Neptunus nautæ. ¶ *Blando*, In blã do imperio vis inest, vt testatur idem Auson. in epist. Centonis. *Pontentissimum imperandi genus est, quũ is rogat, qui iubere potest.* ¶ *Erumpere*, prodire à me carmina mea ad te Cæsar. ¶ *Indignum vatẽ*, Auctorem miserum. Hoc enim vitio laborãt ferè omnes scriptores, vt suis operibus sibi nonnunquam displiceãt, aliqua addentes, minuentes aut immutãtes. quo fit vt quæ bona erãt corrupantur. vel sicut hic ait, deteriora fiant, quæ mala erãt. Vnde *Diligentiã in retractandis operibus valdè probo*, ait Plin. Appio. lib. 9. epistolar. *est tamen aliquis modus. Primum quod nimia cura deterit magis, quàm emendat.* &c. item Martia lib. 5. ad lib. suum ait,

Sed tu ne totiens domini patiare lituras:
Neue notet lusus tristis arundo tuos,

Ætherias, &c. & Quintilianus in hãc sententiam plura, lib. 10. de emendat. ¶ *Inq. meis culpis*. Legitur & *tuis* pro *meis*. In cogente autem, culpa maior videtur, quàm in eo qui coactus facit. vide & vers. 14. præfationis in ludum Sapientum.

In lib. ipsum Epigrammatum.

In Epig. j. Imperatoris laudes hoc Epig. profert Auson. cognominando eum egregium poetam, oratorem pugnatorem & victorem: ¶ *Phœbe potẽs numeris* Phœbus, Apollo, Sol, idem numen apud veteres, à quo & à Musis, dicũt poetæ sibi inspirari vers⁹, quos numeros (*à scansione*) frequenter appellant ¶ *Præses Tritonia bellis*, Παλλὰς quæ Latinis *Minerua*, à Tritone fluuio, & Titonide palude Africæ cognominata bellis etiam, vt Mars, præsidere credita: vnde & armata fingitur nata. ¶ *Tu quoque ab aërio præpes Victoria lapsu*: id est, quæ laberis & descendis è cœlo. *Aerio* autẽ, *aëreo*, *athereo*, & *atherio*, pro vno

eodem

eodémq. ponuntur. *Prapetem* item Gel. 6. c. 6. velocẽ interpretatur, adferens ex Trimatio veteri poeta exemplum.

Dum dat vincenti præpes Victoria palmam.

Victoriæ namque, quam inter deos quondam habitam fuisse Lilius Ferrarienſ. pluribus oſtendit, alæ affigebantur, quæ & *præpetes* ab ipſo Auſon. in Technopægnio dictæ ſunt. quod etiam confirmat Lamprid. in vita Augusti Alex. *Pater eâdem nocte in ſomnis vidit alis ſe Romanæ victoriæ, quæ in Senatu, ad cælum vehi.* ¶ *Bellandi, ſandique potens.* quanquã ſcio in vtroque magnum fuiſſe Auguſtum Valentinianum Gratiani patrem, tamen Gratianum Auguſtum hic intelligere placet Auſonii diſcipulum: qui valde iuuenis apud Argentarium Galliæ oppidũ, longè impari militum numero hoſtem aggreſſus, pluſ quam xxx. Alemannorum millia minimo ſuorum detrimẽto, interfecit in prœlio, anno à Chriſto nato ccclxxx. Quem præterea literis haud mediocriter inſtitutum, carmen feciſſe probatum, ornate locutum, controuerſias explicaſſe, Rhetorum more, Sext. Victor ſcribit. ¶ *Geticum moderatur Apolline Martem.* Carminibus bellum temperat, quod contra Getas gerit. Sunt autem Thraciæ populi, quos eoſdem & *Gothos* eſſe Spartianus, Claudianus, Oroſius, & Sidonius referũt. ¶ *Chunóſque* Ioan. Scopa cũ ſcriptũ inueniſſet *Conos*, nec gentẽ noſſet, mendũ exiſtimans *Cimbros* ſcripſit. Mariãgelus verò, *Cuneos*, ſed pro eo *Cunos* ex Ptol. & Ammiano legendũ cẽſuit. fortè iidẽ qui & *Hunni* ſeu *Huni*. quorũ meminit & Victor in ſua Epito. vbi de Gratiano Aug. loquitur: *Hic quum animaduertiſſet Thraciã Daciamque tanquã genitales terras poſſidẽtibus Gothis, Triballiſq. atq. omni pernicie atrocioribus Hunnis & Alcanis, &c.* Inter Scythicas aũt & Septẽtrionales gẽtes numerãtur hi populi. de quib. plura Iornãdes in Gothicis.

Latiis, Latinis: quidam tamen Cod. habent *Clarijs*, id est Apollineis Camenis, & Musis. ¶ *Commutata arundine*. ea est qua ferimus, vt in epigramm. 6. & li. 5. Æneidos.

Externis volucri, qui fixit arundine malum.

Nonnunquam, & pro calamo seu penna qua scribitur. vt in epist. ad Theon. ¶ *Martis Othrysii*. in eo quidem omnes côueniunt Codic. verum nec môs Thessaliæ Othrys, nec aliud loci reive cognomentum huiusmodi, Marti indiderit. & sic *Odrysij* legêdum censeo, vt *Odrysius Mars* sit idem ac Thracius. Hunc etenim deum primi Thraces in bellis coluêre. vt ostendit ipse Auson. in Monosyll.

Mars nullo de patre satus, quem Thressa colit gens.

In ea etenim Thraciæ parte, è regione Septentrionali, natum ex Iunone sine patre iactabant. quæ fabula narratur ab Ouid. 5. Fast. Fuerunt autem Thraces ὀδρυσαι, ab vrbe sua Odryssa nûcupati, vt testantur Strab. Plin. Solin. & alii Geographi: & sic probatur lectio. ¶ *Viraginis*, Penthesileæ Amazonum reginæ, quæ cùm aduersus Græcos strenuam Troianis nauaret operam, ab Achille interfecta refertur Quincto Calabro. Thraciam autem Amazones primû tenuisse scribit Seruius in illud lib. 11. Æn.

Qualis Threiciæ quum flumina Thermodoontis
Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis

Sic & in Carm. de laborib. Hercul. *Threiciam* dictâ Amazonem inuenies: Lil. tamen Ferrariensis, *Enyo* hîc significari vult, quam *Bellonam* Latini dicunt, belli deam, quòd semper bellaces fuerint Thraces.

In Epigram. ix.

¶ *Nostra simul certant variis epigrammata nugis:* pro quo vers. alium Mariangelus reperit:

Est iocus in nostris sunt seria multa libellis. ¶ *Stoicus has*: Stoici, qualis apud Rom. Cato ille fuit, erant

tetrici, graues seueri, temperantes: contra, Epicurei voluptuosi, leues.

In Epigr. ij. Aurel. Victor, vbi de Gratiani Cæsaris morib. & studiis agit, eum solitum scribit, nihil aliud die noctúque agere, quàm spiculis meditari: summæque voluptatis, diuinæque artis credere, ferire peritè sibi destinata. ¶ *Quàm grandes* aliâs *grādus*. ¶ *Mirantur*, al. *miratur* Titii vet. Cod. ¶ *Lato ferro*, id est venabulo lati ferri, vt not. Ser. in libr. 4. Æn. *Retia rara plaga, lato venabula ferro.* ¶ *Coniungit mortes*, quoniam grauida erat fera.

In Epig. iij. ¶ *Illyricis regnator aquis.* Alloquitur Nilum Danubius proferens regni sui amplitudinem. quæ autē sit regio Illyricum, cognosces ex Appia. Alexandrino, Plinio, Ptolem. & aliis Geogra. apud quos multa de Danubio, & Senec. in natural. quæs. item & infr. in Epiced. & Gratiar. act. ¶ Quod addit *Tibi Nile secundus.* Sunt Nilus & Danubius omniū fluuiorum in mare internum influentium maximi, Nilus Aphricæ, alter Europæ. Danubius Nilo maior, teste Mela l. 2. & Gell. 10. c. 7. De Nilo vide Senec. d. loco. ¶ *Augustos* Anno ab vrb. CIↃ. C. XIX. secund. Eutrop Christi CCC. LXIX. Valētinianus Scutariorum Tribunus, fuit apud Nicæam Bithyniæ metropolim, Iouiano mortuo, Augustus nuncupatus, vj. Kal. Mart. cui patria Cibalæ Pannoniæ oppidum. Pater Gratianus, vir ignobili stirpe ortus, sed strenuus. Frater Valens, quē eod. anno Kal. April. Augustum pronunciauit Constantinopoli Valentinianus, atque in communionem imperij assumpsit. Vxores simul duæ, Seuera, ex qua Gratianus: Iustina, ex qua Valētinianus iunior filiæ tres, Iusta Grata, Galla. Gratianus patre hauddū Imperatore natus, magistrū literarū Ausoniū nostrū habuit. & à patre Ambianis in Gallia Imperator creatus est,

Idib. Augusti. Lupicino & Iouiano Consf. vt tradūt annos nōdū natus octo. Alii in Italia illū à militib. Cæsaré creatū, die sexta à patris morte, scribunt. De his Impp. consulédi Socrates Cōstātinopolitanus, Zosimus, Ammianus, Victor, Orosius, Diaconus, & Beda Anglus. ¶ *Armiferis*, ferocibus & bellicosis. Cæl. lib. duodeuicesimi, cap. 21. ¶ *Pānonijs*, Hoc Barbarorum continuæ irruptiones, atque haud facilè cedés immanitas, in Pannoniis Imperatores Rom. diutissimè agere coegit, vnde multi in ea regione nati & educati Cæsares: vt videre licet apud iam citatos authores. Est autem *Pānonia* duplex Geographis, *superior* scil. & *inferior*, vt not. Ptol. lib. 2. Vtrāque ferè postquā tenuêre Hunni & Auares, *Hungariam* cōposito nomine appellarunt, per quas, multásque alias terras in Euxinū Pontū grandis defluit Danubius. ¶ *Euxino*, Pontus Euxinus, interni maris pars ad Septentriones, circa quem locū bellū gessit Valens Imp. Duo auté illi fratres, quū Constantinopoli in Pannoniā rediissent, vbi diuisa inter se imperii cura. Valētinianus in Galliā seu Occidété. Valens in Thraciam Orientémve profectus est, atque aliquádiu diuisus māsit Imperij Rom. orbis, Gratiano puero Augusto cū patre agéte. ¶ *Stratos*, à Valentiniano Augustorū patre. ¶ *Fractos* pro *stratos*, Tilianus codex. ¶ *Sueuis*, al. *Suebi*. populi Germaniæ, quorū meminerunt, Cæs. Mela. Plin. Strab. & Ptol. & ipse Auson. epig. 4. & in Trochaico de Bissula, itémque in precat. consul. Hoc auté loco, intelligendi *Sueui*, authore B. Renan. lib. j. rer. Germa. qui Ammia. *Alemani* dicuntur. collectitia gens, ex Sueuorū maiore parte. ¶ *Nec Renum Gallis*: id est Rhenū fluuiū, qui Galliam à Germania disterminat, qué olim Iulio Cæsari 4. Com. respōsum est à Germanis, Romanū imperiū finire. nūc Romani Impp. auspiciis passim

passim transiri à Gallis & Romanis, & proinde ab iis subigi Germaniã. ¶*Gothos*, pr. breui, vt in Getis, de quibus sup. qui & ijdem sunt. quos etsi aliquot expeditionibus primùm ex sententia fregerit Valens: tamen ab iis tandem victus, ac in prœlio sagittis saucius, in casam quum deportatus fuisset vilissimam, (ait Aurel. Victor) à superuenientibus Gothis igni supposito, incendio concrematus est, IX. die Augusti, in suo vj. & Valentiniani Iunioris secundo cõsulatu, vt refert Socra. iiij. Eccles. hist. hoc est, ann. Christ. ccclxxxj.

In Epig. v. Inscriptũ, Sub Valẽtiniani Iunioris signo marmoreo, quod constat duobus tantum versib. quos tanquã huic Scaligerianæ seu Griphianæ Lugdunens. edit. deficientes, ex Venetana si supplemus. *Nunc te marmoreum pro sumptu fecimus: at quum*
Augustus frater remeauerit, aureus esto. Qui versus ex imitatione Virg. eclog. 7. ad Pria. deprompti reperiuntur, vbi inquit,

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu
Si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto.

In idem, numero inscriptum apud Vinetũ, Picturæ subditi, vbi leo vna à Gratiano sagitta occisus est. *Quod leo, &c.* Si hæc ea fera sit, de qua est epigr. ij. leonẽ ꝓ fœmina leæna, seu lea, vsurpauerit Aus.

In Ep. vij. Sibi cõgratulatur Gratiani Aug. mater.

In Epig. viij. ¶*Agathocléa* accusa. Græ. Agathocles autẽ Siciliæ tyrãnus, de quo Iust. Suid. & Poly. ¶*Samio*. Samos clara Cariæ adiacens insula, quæ prius *Parthenia*, *Dryusa*, *Anthemusa* & *Melãphylos* dicta fuit, teste Steph. è cuius terra, elegãtia quõdã fiebãt vasa fictilia, vt testatur Plin. 35. c. 12. ¶*Sicaniæ*, Siciliæ insulæ. producit primã syl. sicut & *Italia*, quæ tamẽ in *Sicano* & *Siculo* breuis est. ¶*Reuerẽter habe*, pro reuerere. Sicut. n. suũ ἔχειν Gr. ita & Latini *habere* suũ cũ aduerb. frequẽter cõstruunt, vt ex Tacit. j. patet.

Populum per tot annos molliter habitum, nondum audebat ad duriora vertere. & Sallust. *Sylla exercitum luxuriosè nimísque liberaliter habuerat.*

In Epig. iiij. *Danubius penitis.* Danubij flum. προσωποποιεῖ ad Valentinianum, Valentem & Gratianum Impp. ¶*Penitis* autem pro intimis, latentibus, & reconditis seu ignoratis locis. Leg. tamen *pro penitus.* ¶*Caput*, id est, fontem cuius meminêre præter Auson. in Mosella, & Bissula. Strabo, Plin. Tacit. in lib. de situ & morib. German. Solin. Beat. Rhenan. 3. rer. German. & Munster. in eund. Solin. ¶*Imperijs grauidas*, quæ multos genuerant Impp. vt Decium, Iouianum, Valentinianum, Valentem & Gratianum. Sic Virgil. Italiam imperiis grauidam dixit lib. 4. Æn.

Sed fore qui grauidam imperijs, bellóque frementem,
Italiam regeret ¶*Diues aquis.* De Danubio sic Plin. lib. 4. c. 12. *Ortus hic in Germaniæ iugis mõtis Abnobæ, ex aduerso Rawrici Galliæ oppidi, multis vltra Alpes millibus, ac per innumeras lapsus gentes, Danubij nomine, immenso aquarum auctu, & vnde primum Illyricum alluit, Hister appellatus, sexaginta amnibus receptis, medio fermè numero eorum nauigabili, in Pontum vastis sex fluminibus euoluitur.* ¶*Scythico soluo ostia Ponto.* qua parte Pontus Euxinus Scythiam regioné alluit, *Scythicum* appellat Pontum. ¶*Inueniet fontes*, quoniam veteribus ignoti erant Danubij & Nili fontes, vt constat ex Horat. od. 14. lib. 4.

Te fontium qui celat origines
Nilúsque & Hister. & Auson. in Mosel.
Et fontem Latijs ignotum annalibus Histri.

Est auté vnus & idem fluuius Hister & Danubius, vt docet Plin. d. loco. Vnde & *Binominis* dicitur, in vers. 106 Mosel Inuẽtus tamen postea, vt ex Plinio constat. De Nili fontibus Dio in Seueri Augusti historia,

storia, ex Atlante monte Mauritaniæ. Ptolem.ex Æthiopia, Australi Africæ parte ortú tradit. quod & certius nostris temporibus compererunt Lusitani.

In Epig.x. Carminis huius Tit. erat in vet. cod. Lugdun.*In Eupinam adulterā*, seu sic Barbaricè Eupina diceretur venefica illa mulier, seu quid in eo corruptū. nam alij codic.inscribebát,*De vxore,quæ virum voluit veneno necare.*¶Antidotum ἀντίδοτον, remediū, quasi,*contradatum*, quod aduersus venenum datur. Toxicum enim & argentum viuum, si quis separata biberit, morietur,at sociata & mixta hausta, non interiment,ob temperiem qualitatū. quod not.& Plin.lib. 20.c.13. vbi de ruta & cicuta agit.¶*Sumit & bibit*,in Tilij Cod.pro *sumet & bibet*. Tum *mortalis*,pro *letalis*.¶*Crudelior*,ob geminatum venenum.

In Epig.xi. ¶*Vane, quid affectas*, Deæ verba sunt ad pictorem.Vide & Ouid.3.met.¶*Ignotámque oculis*. Auribus percipitur ἠχὼ,id est,*sonus,vox*,non oculis. ¶*Aëris & linguæ sum filia*. Facit locus Senec. lib.2. quæst.nat. Quid enim est vox nisi intentio aëris,vt audiatur linguæ formata percussu?¶*Extremos pereunte modos*.τὴν Echo,appellat Euodus lib.4. Græc.epig.

Ἠχὼ μιμολόγον φωνῆς τρύγα ῥήματος οὐρήν.

id est,

Echo imitatricem sermonis, vocis fæcē,verbi caudam.

Vide & Epig.97.& vers.297 Mosell.

In Epigr.xii. *Cuius opus? Phidiæ.* Dialogi huius personæ sunt hospes aliquis, Occasio, Pœnitentia. Producit syll. φειδίας, quā hoc loco corripere metrum coegit.Atheniensis autem fuit statuarius, cuius inter multa alia opera egregia,celebrátur Iuppiter Olympius,& Minerua Atheniensis,ex ebore

& auro facti, vt meminit Plin. lib. tricesimo quarto, cap. 8. vide Eras. in Chil. adag. *Nosce tempus*. & Polit. in ca. vndequinquagesimo, Miscel. ¶ *Quæ rara & paucis Occasio nota*. Non semper adest occasio: & eam perquam pauci cognoscunt: vt cum vltro se offert, illam complectentes retineant. Est autem Occasio, secund. Cic. 5. de Inuent. *pars temporis, habens in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem* ¶ *Sum Dea, cui nomen nec Cicero* quoniã hoc verbo nec vsus est Cic. quamuis apud eum *pænitens* & *pænitet* legantur: verũ eo Liuius, Plin. & alij plerique vsi sunt. *Pænitudo* autem quod minus Latinum est scripsit Auson. in lud. Sapient. & Sidon. lib. 6 epist. 9 ¶ *Metanoea vocor*. Vox Græca sicut *pænitentia* Latin. & *pænitere*: sic & μετάνοια, & μετανοεῖν. quæ Lactant. Diuinar. Instit. 6. resipiscentiã & resipiscere Lat. dici posse existimat. ¶ *Quandoque volaui*, pro *quandocunque*.

In Epig. xiij ¶ *Dicebam tibi*. vide Od. 10. lib. 4. car. Horat. ¶ *Rene tuo*, lege & *vere tuo*. Adolescentia enim cum vere comparatur.

In Epig. xiiij Germanici Cæsaris duo sunt Epig. in leporem hunc lib. j. Epig. Græc. è quibus Auson. hoc suum cõposuit. ¶ *Trinacrij*, Siculi. Fingit Ausonius hoc gestum in littore maris Siciliæ. ¶ *Cæruleus*. Sic in Græco εἰνάλιος. subauditur κύων *canis*, piscis scil. de quo Plin. 9. c. 24 ¶ *Sicanis astra tenet*. Est canis maior & minor in cœlo de quibus Arat. Plin. Hygin. & Senec. lib. de benefic. *Ingens* inquit, *est rerum copia, sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, sed aliunde commodatis: qui Pedem & nostrum dicimus: & lecti, & veli, & carminis. Canem & venaticum, & marinum, & sidus*. Hæc ille. Sic triplex memoratur lepus, in terra, mari & cœlo. hunc nouerũt astronomi; de marino Plin. & Apulei. in Apoleg.

In

In Epig.xv. Ante inuentam Typographiæ artẽ mirabilem, seruorum manibus in describendis libris vti solebãt veteres. Ex quorum seruorũ genere & hunc Pergamum fuisse credibile. ¶Pergame Pergamũ,Pergamus,& plural.Pergama, locus in Asia, vnde huius serui nomen.à patria enim id genus hominum denominari solitum , vt de Dauis & Getis meminit Strab.lib.7.Sic apud Comicos,Syrus, Lydus,Mysis,Phrygia appellati: à Syria,Lydia, Mysia & Phrygia regionib.¶*Primo captus es in stadio.* Ante peractum stadium. Valet autem σάδιον centum & viginti quinque passus, seu sexcentos viginti quinque pedes,testePlin.2.cap.23.¶*Ergo notas scripto.* quoniam solebant veteres seruos suos aliquo signo inusto:vt hodie equi,boues, & alia animalia notari,vt patet ex Gell.loco illo 17. cap.9. vt etiam adhuc cũ furibus agitur ; quibus exilii causa stigmata infliguntur seu inuruntur. quos seruos *inscriptos* vocat Plin.lib.duodeuicesimo cap.3.& *literatos* Plau.in Casina à Gr.στιγματίας.aliæ tamen notæ *stigmata* dicta apud eund. Auson.in lud. Sapient. sed de his vide Connan. Iurisc. secundo comment.Iur.ciuil.

In Epig.xvj.¶*Canus rogabat.* Sic Aelius Spartianus de Hadriano Cæs. *Ioca eius plurima extant: nam fuit etiam dicaculus. Vnde illud quoque innotuit. quod cùm quidã canescẽti, quidam negasset,eidem iterum petenti, sed infecto capite, respondit. Iam hoc patri tuo negaui.* quod scomma à Laide in Myronem detortum Ausonium finxisse , vult Baptista Pius in annotat. posteriorib.De Laide autem scorto vide inf.epig.54.

In Epig.xvij.Lais & Glicere,scortorum nomina. ¶*Coniux* , Attusia Lucana Sabina vxor Ausonij de qua in Parentalib.9.

In Epig.xviij. ¶*Nestore sim quamuis prouectior.* Etiã cùm tres Nestoris ætates superauero. & tu annorũ

numero Sybillam Cumanam viceris: vxor tamen Ausonij Attusia Sabina, annos vixit tátum 28. vt in Parental. luget maritus. ¶ Nestoreæ autẽ senectæ, quæ in prouerb. abiit, de lõgissima vita, ex Homeri fabula, fit rursus mentio, ac mellitæ eiusdem Nestoris eloquentiæ, in carm. 22. Professor. epitaph. 8. Heroum, & alibi Auson. De Nestore verò Pyliorũ rege, in Periochis Iliad. & Odyss. Homer. ¶ Sybilla denique illa Cumana (ab vrbe Campaniæ Italicæ, Cumæ) *Deiphobe*, dicebatur, Glauci filia, Triuiæ Phœbique sacerdos, *viuax* Ouid. 14. Metam. appellata, quæ sæcula septem vixisse fabulatur; quæ *longæua* à Virgil. Æn. 6. dicta est. ¶ *Nos ignoremus quid sit matura senectus.* M. Portius Cato de senectute disserẽs apud Ciceron. *Nec enim vnquam assensus sum illi veteri laudatóque prouerb. quod monet, Maturè fieri senem, si diu velis esse senex. Ego vero me minus diu senem esse mallem, quàm esse senem antequam essem.* At de his vid. Eras. adag. 59. chil. j. cent. 2. ibi *Mature fias senex.* ¶ *Non numerare decet*, pro *computare.*

In Epist. XIX. ¶ *Theside*, Thesei filio, regis Athenarum Hippolyto. est autem, ἵππος *equus*, & λύομαι *soluor*. nam fuit ab equis distractus, vnde illi nomẽ erat: quod ridiculum putat Auson. Vt qui primum nomen indiderant præscire futura potuissent. Fabulam referunt Ouid. 15. Met. Seneca, Hyginus & Seruius, cuius sæpius meminit ipse Auson. vt in epig. 90. in cupidine cruciato, & edyll. de vit. huma, & in epist. Centoni præfixa. Theseus autem Atheniensium rex, patres habuit deum Neptunum, & Athenarum regem Ægeum, ac matrem Æthram. cui filius Hippolytus ex vxore Hippolyta, siue Antiopa. qua mortua, Phædram Minois regis Cretæ insulæ filiam duxit Theseus. hæc priuignum suum egregia forma iuuenem, amore capta, marito absente,

sente, de stupro interpellauit. Hippolytus, cunctarum alioqui mulierum commerciũ auersatus, tantum scelus exhorruit. quem contemptum Phœdra impatientius ferens, literas ad Theseum dedit, quibus ab Hippolyto se per vim stupratam mentiebatur. quibus permotus Theseus, cùm non facilè de filio pœnas sumere posset Neptunum rogauit, vt id præstaret. qui è mari phocam, vitulũ marinũ, immanem, emisit: cuius forma & horribili mugitu, equi, quibus iunctis Hippolytus secũdum mare vehebatur, territi, dominum suum distraxerunt. Diana verò cùm Hippolytum propter castitatem diligeret, eum in vitam per Æsculapium fratris filium Apollinis reuocauit, vnde Latini pro Hippolyto *Virbium*, quasi *Bisuirum* vocauerunt. ¶ *Idmona* Ἴδμων interpretari potest *sciens & peritus*: tanquam à verbo εἴδω deductum, quod est *scio*. Fuit hic augur & vates insignis inter Argonautas. de quo Herodot. Apollon Rhod. Valer. Flac. Hygin. & Ammian. lib. 22. ¶ *Medicum quod Iapida dicunt*. Aptum nomen medico. nam ἰᾶσθαι Græc. est *curare*. Sic dictus medicus qui ictum sagitta Æneam curauit. 12 Æn.

Iamque aderat, Phœbo ante alios dilectus Iapis. &

Fouit ea vulnus lympha longæuus Iapis.

Quoniam varium in variis editionibus hoc reperitur vocabulum. *Iapida* seu *Iapidem* si hic legas, accusat. erit à recto *Iapis*. sin *Iapiga*(g) pro (d) vt in Tiliano Cod. ab *Iapix* erit. si forte quis vnquam hoc nomine fuerit. *Iapygia* autem olim dicta Apulia Italiæ prouincia: & *Iapix* Apulus: veluti *ventus Iapyx* apud Lucan. & Gell. & *Iapyx equus* apud Sil. lib. 4. Itaque *Iapyx* pluribus notum vocabulum & familiare, magis quàm *Iapis*. Iapis Virgilianum illud corrupit. *Iapides*, gentẽ quandam Carnis iungit in

O

decima Italiæ regione, Plin. cuius meminit & Virgil. 3. Georg. *Castella in tumulis, & Iapidis arua Timaui*, vbi vetus tamen interpres, hoc Iapidis, in genitiuum *Iapygis* ab illo *Iapyx*, quæritur imperitos deprauasse. ¶ *Meroe*, Insula Æthiopiæ, quam Nilus facit. ¶ *Atra*, quoniã nigri sũt Æthiopes. ¶ *Merúmque merum*. Purum vinum scil. Ita vinosæ fœminæ Meroë, nomen deducit à mero, id est vino. vt testatur Apul. de Asin. lib. j. *vtpote vltimè affectus, ad quandã cauponam Meroen anum, sed admodũ scitulam, deuorto. &c.* Sed quid si cum Quinctiano Stoa legamus? *Potare in mistum sueta merum Meroe.*

In Epig. xx. Hoc epig. à Græc. mutuatũ reperitur, ex lib. 4. Anthologiæ, ex Leonida. Significat autem Nemesis iram, iracũdiam, indignationẽ ex improborum prosperiore successu, vim quandã fortunæ, ait Capitolinus in Maximo & Balbino. animaduersionem diuinã, inquit Budæ. lib. j. rer. fortuitar. in eos vindicantẽ, qui superbè arroganter, sceleratè perfide, aut proterue, in vita versentur. Vnde vltricem facinorũ impiorum, præmiatricémq; bonorũ appellauit Marcellin. lib. 14. Hanc finxerunt Græc deam, filiam Oceani & Noctis, secund. Hesiod. & Pausan. matrem Castoris, Pollucis & Helenæ, vt es in epig. 55. Persæ autem qui in Marathone ab Atheniensibus, duce Miltiade, victi fuerunt, secum e Paro insula marmor aduexerant, quo trophæum erigerent, profligatis, quod factu facilè sperabant Atheniensibus: verùm tantam Barbarorum superbiam insolentiámque non tulit Nemesis. Cui de postea ex eo marmore (Pario scil.) Phidias statu fecit. quæ *Rhamnusia*, aliis *Adrastia* dicta est. sed d ea plura Eras. in prouerb. *Adrastea Nemesis.* Neme sis in dorso. Nec magna loquaris. & Crinit. lib. vi deuicesi. cap 6. de honest. discipl. & Cœl. Rhod.

In Epig. xxj.& xxij.Hæc etiam à Græcis mutuata, quæ vide lib.j.Anthologiæ. ¶*Ouans* lætus. In Lugdunensibus autem membranis, non fuit hoc tetrastichum, sed alterum hoc tit. *De eo qui thesaurum reperit, quum se laqueo vellet suspendere.*

In Epig.xxiij.Legitur hoc Græcũ apud Plutarch. in apophth.Lacon.tacito auctore. Dioscoridi tamen ascribitur lib.3.epigram. Græc. Pitanæ autem duæ reperiũtur. Vna in Asia de qua Pompon. Plin. & Steph. alterã, idem Plin.lib.4.c.5.inter Laconicas vrbes recẽset. Sũt aũt Lacones qui & Lacedæmonij.

In Epig. xxiiij. Idem Plutar. hoc etiam recenset inter Lacænar.apophthegmata.

> Παιδὶ Λάκαινα σάκος πολεμησείοντι διδοῦσα,
> Παῖ, ἔφη, ἢ σὺν τῷδ', ἢ ἐπὶ τῷδ' ἐνέου id est,
> *Filio Lacæna clipeum in bellum profecturo porrigẽs,*
> *Fili, inquit, aut cum hoc, aut in hoc reuertere.*

Laconicè magis, id est, concisè magis & breuiter, quod huic genti peculiare iactũ Chilo, in Sapient. ludo, mater Lacedæmonia in oratione soluta, quã in vincta, sic ad filiũ, Τέκνον, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς. id est, Fili, aut clipeũ hunc è pugna referto, aut in eo tibi saluo ipse refertor, morte pro patria fortiter oppetita. Fuêre autẽ Lacedæmones bellicosi ac strenui, qui ex Lycurgi sui legib. pueros in scutis alebant: turpissimúmque existimabant clipeum in prælio si quis amisisset, vt testatur Isoc. ad Philipp.& Epaminond.Theban.lib.2.de finib.Cicer.

In Epig.xxv.¶*Vigentis*, præsentis, huius sæculi, in quo clari & nobiles viri. ¶*Stẽmata*, claras origines & nobiles familias. ¶*Serum veste* serica. ¶Σὴρ singulare, plurale habet σῆρες. Populus Asiæ, qui lanificio siluarum nobiles, *aquarum aspergine inundatis frondibus, vellera arborum, ac adminiculo*

depectunt liquoris: lanuginis teneram, subtilitatem humore domant ad obsequium. Hoc illud est Sericum, in vsum publicum damno seueritatis admissum: & quo ostentare potius corpora, quàm vestire primò feminis, nunc etiam viris persuasit luxuriæ libido. Hæc Solin. cap. 63. vide & Serui. ibi, *Velleráque vt folijs depectant tenuia Seres.* ¶ *Et atriorum pegmata.* Vox Græ. πῆγμα, machinæ ornamentiq; genus in Principum ædibus. ¶ *nec pater certus fuit*, quoniam Remi & Romuli fratrum Romæ origines, pater incertus fuit, quanquã Martis filios finxerint Poetæ. ¶ *Verè lupa* scortum. Meretrices etenim ob intemperiem, lupis cõferuntur. alludit autem ad fabulam nutricis fratrum illorum. Vide Liu. Plutarch. & Halicarnass.

In Epist. xxvj. Scribit Laert. Atheniensem Antisthenem, quũ à Socrate tolerantiam didicisset Cynicam primùm instituisse sectã, Principémq; in ea fuisse. ¶ *Cynices.* Hoc nomine secta fuit à Gr. κυνικὴ & κυνισμὸς dicta. Antisthenes autem auctore eodẽ Laertio, disserebat in Gymnasio, cui *Cynosarges* nomẽ, haud procul portis Athenarum. à quo loco sectam Cynicam nonnulli dictam volunt. alij verò à *canis* (qui Græ. κυὼν dicitur) *ingenio*, dictos opinantur Cynicos: quòd eorũ mores caninis persimiles essent, qui allatrarẽt, maledicerent omnibus, riderẽt & contemnerẽt omnes, ac quidẽ etiam morderent. Eos præclarè describit Lucian. in vitar. auctio. ¶ *Alcydes.* Hercules à patris Amphytrionis patre Alcæo, non ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, id est, à viribus. Seru. in 6. Æn. v. 392. Antisthenem Cynicũ scribit idẽ Laert. quod labor bonus esset, Herculis exemplo comprobare solitum. qui etiam doceret ἐν Κυνοσάργει, vbi Hercules templum habebat, auctore Ouid. ¶ *Nunc ego Cynices*, al. *Cynicus* Scoppa legit. ¶ *& ille deus.* Hercules. qui quo pacto exuta immortalitate,

ex Oeta monte ad deos abierit, Oetæus ipse Hercules Senecæ ostendit, & Ouid. lib. 9. Met.

In Epig. xxvij. Antisthenes se Herculis discipulum & Diogenis præceptorem diligétem fuisse dicit. quod non minus diligenter sit Diogenes Antisthenem imitatus, quàm Antisthenes prius Herculem. Superioris autem partem vult esse Mariangel. ¶ Εἰς ἀρετὴν, i. *ad virtutem contigit*, *& Cynicam sapientiam.* ¶Καὶ θεόν. hoc est, *Et Deum Alcidem, & canem Diogenem.* Inuenies autem Diogenis epitaphium inf. inter Heroum epitaphia.

In Epig. xxviij. & xxix ¶Αἰγύπτου. id est,

Ægypti quidem Osyris ego, mistarũ verò Phanaces,
Bacchus inter viuos, inter mortuos Ædoneus,
Ignigena, bicornis, Titanicida, Dionyssius.

Græcũ hoc carmen hexametrum, & quod sequitur Latin. eiusdé argumenti, Iambicum dimetrũ. Cuius auctoris incertum quidem. & fragmentũ tantũ huc adiectũ, vt testatur & Codex Parisin. Sunt auté illa de variis Bacchi cognominibus. Primò vult Ægyptiorũ deum Osirim, eundem esse cum Baccho. sed hic pro Αἰγύπτου μὲν Ὄσιρις, habebat Parisiense exemplar Αἰγυπτίοισιν ὄσιρις. pro quo legit Mariãgel. Αἰγυπτίων μὲν ὄσιρις. ¶Μυστῶν δὲ φανάκης. an scribendum sit φανάτης Mariangel. dubitat, qui legerat in Macrob. Satur. apud Thraces genté Mysis conterminam, eundem haberi deum Solem & Bacchum, eundémque φανῆτα appellari in quodam Orphei carmine. Mistæ autem dicũtur vates, sacerdotes, sacras res & arcanas tractantes. hîc tamé pro μυστῶν, legit μυσῶν Lilius: sicut in Lat. *Mysi Phanacen*, pro *Mystæ Phanacen.* ¶ἐνὶ φθιμένοις Αἰδωνεύς. Legitur & ἐνὶ φθιμένοισιν Ἀδωνεύς. sic incertũ Αἰδωνεύς, Αἰδωνεὺς, an Ἀδωνεὺς, scripserit auctor. *Aido-*

neus autẽ dictus Pluto inferorum deus, & quidem Moloſſorũ rex, in extremo Theſeo Plutar. at *Adoneus* prima breui, Adonis. Plutoni verò & Adoni eadem attribuũtur apud Macrob. 1. Satur. c. 21. & in hymnis Orphei, vt idẽ numen eſſe videatur: quare vtromodo hîc legas non interfuerit. ¶πυρογενὴς & πυριγενὴς, *ignigena.* Ouid. lib. 4. met. *Ignigenus*, Apul. lib. 7. Quod autẽ ita dicatur Bacchus, ad fabulam de Semele pertinet, quæ commemoratur in Cupidine cruci affixo. ¶δίκερως. *Duo habens cornua.* ſic in Orphei hymno. eſt autem δὶς *bis*, & κέρας, *cornu.* ſic Sidon. Apollin. in Burgo de Baccho,

-caput aurea rumpunt
Cornua: & indigenam iaculantur fulminis ignem.

¶Τιτανολέτης, ſic γιγαντολέτης, in eo carm. quod ex 1 lib. epigr. adducit. Quos autẽ Titanes, Gigantes, & Heroes, gentes ſubegerit Bacchus, narrãt Herodot. Diodor. Sicul. & Oui. ¶Διόνυσσος. ſicut *Nyſſa* & *Nyſa* eadẽ inſula, mons, vrbs: ſic qui ab ea cognominatus eſt Bacchus, Διόνυσσος & Διόνυσος mihi ſcribi inuenitur, non autẽ Dionyſſius, Dionyſius. Lilius autem ſyntax. 8. Dionyſus, & Dionyſius, Bacchus appellatus, à patre Ioue, & Nyſa vrbe Arabiæ. nam poſt fulminatã Semelẽ, ait Diodor. Iupiter ipſum infantem abſconditũ in femur cùm cõtinuiſſet, partus tẽpore in Nyſam Arabiæ vrbẽ nymphis Nyſeis educandũ dimiſit. atq; inde ex Ioue & Nyſa, i. Διὸς καὶ νῦσα, vocatus *Dionyſius.* Heſiodi interpres dictum ait, quaſi διδοίνυσος à διδόναι: videlicet τὸν οἶνον. quia ſit dator vini. Phurnut. tamẽ, Dionyſius, inquit, ἤτοι διόνυξος ὤν, quaſi nos adaperiens. ἤτοι διάνυσος τις, παρὰ τὸ διαίνειν ἡμᾶς ἡδέως. quia nos iucũdè ac ſuauiter irrigat. Vel dictus, quaſi διάλυσος, inuerſione (α) in (ο) & (l) in (n): quòd curas ſoluat medicus, vt nimius animũ. Vnde & *Atyſius* & *Lyeus* dictus. At Macrob. Sa-

tur.j.c.18.*Dionysius*, inquit, *à Physicis dictus*, *quasi* διὸς νοῦς *Iouis mēs*. Orpheus verò ἀπὸ τοῦ δινεῖσθαι, καὶ περιφέρεσθαι, i. quod circumferatur in ambitum, cùm ait,

Πρῶτος δ' ἐς φάος ἦλθε, διόνυσος δ' ἐπεκλήθη,
Οὕνεκα δινεῖται κατ' ἀπείρονα μακρὸν ὄλυμπον. i.
Prodijt in lucem primus dictus Dionysus,
Quòd super immensum & latum versetur Olympū.

Sed plura de his vide d. loco Lilij. ¶Pro *Myhobarbū* & *Myohobarbum* verbo parùm noto, legendū putat Lil. *Mixobarbarum*, i. μιξοβάρβαρον, quod Græcis & Latinis misceātur barbara Bacchi nomina: at *Myobarbum* Turn. & Scal. ¶*Ogygia*. Bœotia. Thebæ. Ogyges apud Varr. lib. 3. de re rust. sed Ὤγυγος apud Strab. & Pauſ. Thebarū Bœotiæ rex appellatur, vnde hoc nomē factū. Thebanus autē genere fuit Bacchus. ¶*Romana sacra liberum*. liber Rom. & Latinis dictus deus vini Bacchus. quod (vt diximus) animū curis vinū liberet. ¶*Arabica gens Adoneū*. legitur & *Ædoneum* prima diphth. αἰδωνεύς, de quo sup. verùm *Adoneum* prima breui malo. & intelligo cum Lilio, Adonidem illum, Veneris deæ amores & delicias. sic Plaut. in Menæchmis.

Dic mihi, nūquid vidisti vnquā tabulā pictā in pariete,
Vbi aquila catamitū raperet, aut vbi Venus Adoneum.

Natum hunc apud Sabæos, gentē Arabiæ fabulatur Ouid. 10. Met. idémq; numē esse Bacchum & Adonidem ex Plutar. sympos. tradit Cœl. atque δίμορφος vterq; appellatur. huius meminit Auson. in Glauciæ epitaph. In Cupidine cruci affixo. & epistol. 5. ad Theon. ¶*Lucaniacus Pantheū*. Lucaniā aliā nō noui, quā quæ in vltima Italia est. vnde nescio an possit esse hoc *Lucaniacus*. Quū autē Lucaniacus à Lucania ea forma factū videatur, qua ab Ilio ἰλιακὸς fit, cuius pen. corripitur. hîc post primū pedē spōdeū Luca Pyrrhichius erit *nia* pro iābo. quare Lilius legit

Lucaniacus sed Pãtheũ: vt ſit ſecũdo loco anapæſtus pro iãbo, qui pes vno tẽpore Iambũ ſuperat quãto Pyrrhichius Iambo breuior. ego nihil auſim addere, q; ſciam Auſonium, Sidonium & alios æquales multa ſibi in metris permiſiſſe. *Pantheum* autem & *Pentheum*, quidẽ ferre poteſt verſus. ſed in iis tamẽ, quæ ad Bacchũ pertinẽt, nihil memini de hoc legiſſe, niſi quod Pẽtheus quidã fuit, quẽ Bacchæ diſcerpſerint apud Ouid. & Hygin. quòd Bacchi ſacra contẽneret. ἀπὸ τοῦ πένθους *à luctu*, nomine facto. Sed neque de *Pãthei* Bacchi cognomine aliud cõperi. quod ex eo factum apparet, quod omnes dij vnus Bacchus eſſe videatur. ſicut Macrob. loco iã citato, oſtendit, omnes penè Deos ad ſolem referri. Eſt nãque πᾶς, πᾶσα, πᾶν: omnis, omne, θεὸς *Deus*: vnde πάνθεος, hic Bacchus. & πάνθεον Romæ omniũ deorum templum, cuius meminerunt Plin. Dio, Spartian. in Hadriano & Euſeb. in Chronic.

In Epig. XXX. Αἴξ, χίμαρος, id eſt,

Capra, caper, pera, paſtor, virgifer, oliua,
Vnus lapis ex cunctis exilis ego Corydon.

quidam Codic. pro λιτὸς *minutus*, habẽt αὐτὸς *ipſe*. Corydonis itaque paſtoris ſtatua erat: & in vno eodémque lapide hæc omnia, *capra* & *caper*, quos ipſe paſcebat. *Pera*, in qua panẽ, & ſiquid aliud erat cibi, geſtabat. *Paſtor*, ipſe Corydon. *Pedum*, baculum paſtorale. & *oliua*, arbor, cui fortaſſis incumbebat, vt Damon apud Virgi. eclog. 8.

In Epig. XXXI. Hoc ex Plato. lib. 5. Epig. 5. *Lesbia*, è Leſbo maris Aegei inſula, Troadi adiacẽte. Vnde Leſbium carmẽ in Ephemeride, & Leſbius Pittacus in lud. Sapiẽt. Alia Leſbia in epig. 114. ¶ *Pieriis*. à Pieria regione amœniſſima, & vrbe in Theſſalia ſiue Macedonia. *Saphones* autẽ duas facit Suid. ambas Leſbias alteram hanc poëtriã, quæ floruerit, quo tempore

pore Alcæus, Stesichorus, & septem illi Sapiétes. De altera. in epig. 90. & in Cupid. cruci affix. ¶ Ἐσσὶ. ἐστι hoc est. *Es nona* Lyricorum. Aonidum decima. Ita Parisi. exemplar. alia, Εἰμ' ἐνάτη i. *Sum nona*. adeo auté præstans poëtria fuit Sappho (à qua Sapphicũ carmẽ) vt non solum inter Græc. Lyricos nona habita sit, sed & decimi loci honoré, femina inter deas Aonides meruerit. Dictæ Aonides Musæ ab Aonia regione Bœotiæ. teste Steph. quam incolere credebátur. Lyrici auté, Pindarus, Simonides, Stesichorus Ibycus, Alcman, Bacchilides, Anacreó, Alcœus, cũ Sappho, quibus decimò adiicit Lycophronis interpres Corinnã poëtriã. ic dicti, quòd ad Lyram (instrumentũ musicum) sua carmina cãtarent, quibus statuebatur chorus quinquaginta virorum, ac tauro donabantur.

In Epig. XXXII. ¶ *Salo*, mari. ¶ *solo*, terra, estque παρονομασία in his, *salo*, *solo*, *cœlo*. ¶ *Patre edita cœlo*. Hesiod. in Theogo. Terram & Cœlũ inter primos deos nominat. Cœliq; filium facit Saturnum, ab eo *Cœligena* cognominatus in extremo Edyl. de ferijs Rom. Hic Saturnus, quũ patris sui Cœli virilia falce amputasset, & in mare decidissent. Venerem Deam genuerũt. Idem Auso. in vers. 76. Technopægnii ex ad. Theog. Hesiodi. ¶ *Aeneadum* pro *Aeneadarum*. ab Aenea sic dicti Romani, à quo genus suum ducere.

In Epig. xxxiij. ¶ *Si tineas cariémq; pati*. i. *Si nemo le urus, euoluturúsque te*. Infestãtur enim situ & carie: q; à blattis tineísq; depascuntur, ac tandé pereũt hartæ, quas nemo legit, tractátue. vnde prouerb. ud Eras. *Tineas pascere*. Vide & Auso. in epist. pro ca ad Theon. ¶ *Versiculis anteperire meis*, cum da-io, vt *antefero tibi*. ¶ *Hinc studeo*. *Hunc* pro *tunc* vet. d. ¶ *Cedro*. Cedrus, arboris genus in Creta, Africa

& Syria. cuius oleo perunctæ res. nec tineã, cariémve sentiunt. Vitru. plin.

In Epigr. xxxiiij. *Geminis sed dissita punctis.* sic neq́; L. MARCIVS. an vero L: MARCIVS. posteriore modo, ni fallor. vt & aliquando obseruaui in antiquis marmorib. quũ id esset inscriptionis princip. duo verò puncta, quorum alterũ præcederet, alterum sequeretur literam, nõ memini obseruare, nisi in medio inscriptionis, verborum distinguendi gratia, vt Burdigalæ,

D. M.
TARQVINIAE. FAS T
NAE. M. CALVENT
SABINIANVS. VIV
SIBI ET CONIVG.

quorum tamẽ punctorum quod notæ præponitur, id in princip. inueniri potest, si forte marmore effracto, principium inscriptionis exciderit. ¶ *Post M. incisum,* Periculum ἐκλείψεως poterat: sic vitari in huius versus principio, *M. post incisum.* ¶ *Nec quisquam Marcus.* Est namque M prima littera horum trium nominum *Marci*, *Marcij* & *Metelli.* vt aliquod ex iis ibi scriptum fuisse suspicari possit, sicut L. *Lucij* nomen designare potest. ¶ *Mors etiam saxis.* Sic Iuuenal. lib. 4.

Quandoquidẽ data sunt ipsis quoque fata sepulchris.
& Ouid. 5. Fast. *longa vetustas*
Destruit, & saxo longa senecta nocet.

Sic & Rutil. Numatianus poeta Gallus in itinerario de Populonia euersa.

Non indignemur mortalia corpora solui:
Cernimus exemplis oppida posse mori.

In Epig. xxxv. Hoc forte de Attusia Sabina Auso.

vxore, de qua in parétal. ¶*Tyrio*, purpureo, pretioso. vnde Tibul. in princip. lib. 4.

Non modò fulgentem Tyrio sub tegmine veste. Tyrus autem secund. Plin. 5. c. 19. *olim insula, nunc continens Phœnicia, conchilio atque purpura nobilis.*

In Epig. xxxvj. ¶*Achæmenias.* Persicas, Parthicas, Babylonicas, Orientales. *Achæmenidæ* auctore Herodot. lib. j. genus Persidis. vnde Persarũ reges oriũdi, & *Achæmenes* dicti. Steph. & Solin. ¶Telas, tapœtia, aulæa, vt quæ *Babylonica*, & *belluata* dicta sunt Plauto. ¶*pallis Græciæ.* Vestis seu tunicæ genus, cuius meminit Baiff. lib de re vestiar. c. 13. & proprie mulierum erat ornatus. vt ex Virg. lib. 5. Aen. constat *pallam signis auroq; rigentem, Ornatũ Argiuæ Helenæ*, hinc *pallium* & *pallentocum.* In veteri Gloss. μίτρα. πέπλος, παραπέτασμα exponitur.

In Epig. xxxvij. Sabina loquitur. ¶*Licia* telas. *Licium*, quo stamẽ implicatur in tela. ¶*Casta Minerua.* Hæc nõ tantũ armorũ, sed & lanificij dea, artiúmque: ac quidem pudicitiæ cõseruatrix. Vide Serui. in Virg. lib. 7. Æn. & Ouid. in princip. 6. met.

In Epig. xxxviij. Ex Martial. desumptum est epig. 25. & 100. & 18. lib. 5. ¶*Nec discincta*, al. *bis cincta*, Tilij cod. aliquãdo & pro *nuda* ponitur. vnde legi *succincta* mallem. *Venatricem* autem Virgil. dixit, vers. 327. j. Aen. ¶*Cythere* Venus scil. sic dicta à Cythera insula Laconici sin⁹. Seru. ¶*Vocet* al. *vocat* in Til. co.

In Epig. xxxix. & xl. De fratribus agit Chresto & Acindyno, miserrimis & morib⁹ deprauatis. χρῆστος i. *Chrestus, & Acindynus, sunt fratres: miseri autem filij.* Οὐδ᾽ οὗτος, i. *Neque hic Chrestus neque ille Acindynus est.* ¶Αἴκεν, i. *si Chrestus sumpserit, & Acindynus A amiserit.* Paris. tamẽ codex habet. Αἴκεν χρῆστος ἔχῃ παρ᾽ Ἀκινδύνου ἄλφα ἀδελφοῦ. i. *si Chrestus habeat ab Alcindyno A fratre.* Sic & in j. versicul. legitur,

&, ἄνευ οἱ ἀδελφοί. est autē χρηστος, *bonus frugi, vtilis.* ἄχρηστος contrarium. κίνδυνος *periculum, discrimen.* ἀκίνδυνος *sine periculo, tutus.*

In Epig. xlij. & xliij. Ex lib. 4. Anthologiæ Græcor. epigr. Apud Lacedæmonios autem armata colebatur Venus. vt docét Plutar. Pausan. Quinctil. & Lactant. lib. j. Instit. ¶ *Lacedæmone.* Clarissima Pelopónesi vrbs Lacedæmō, prius *Sparta* nūcupata Steph. ¶ *Iudice vel Paride.* Paris, qui & Alexander, filius Priami regis Troiæ, pastor in Ida, iudex factus de pulchritudine trium dearum. Iunonis scil. Palladis & Veneris. eas nudas videre voluit. Vide Isocr. orat. de Helen. & Lucian. dial. Κρίσις θεῶν.

In Epig. xliij. Luciani quoque in eund. extat oratio, qui quum litteras non nosset, multos sibi comparabat libros. ¶ *Omnia mercatus cras.* Paris. cod. *hodie*, pro *Omnia* habebat. anapæst. pro dactyl. & *mercator*, pro *mercatus* Scoppa legit *hoc die mercator.* Quinctian. Stoa, *mercatus.* & *hoc die* castigandum censet, *hoc here*, vt sit *here* pro *heri.*

In Epig. xliiij. ¶ *Ipsa adeo.* al. *Ipse adeo.* ¶ *Mollior.* Mollis ad res & ad mores pertinet. non autē mollis statua, sed mollis ipse rhetor: id est, semiuir, effeminatus, libidinosus.

In Epig. xlv. Extat lib. 4. Anthologiæ distichon hoc.

Τίς σε τὸν ὀ λαλέοντα τύπῳ ῥήτορος ἔγραψε;
Σιγᾷς. ὀ λαλέεις. οὐδὲν ὁμοιότερον. id est,

Quis se non loquentem, forma dicentis pinxit?
Taces non loqueris. nihil similius.

In Epig. xlix. ¶ *Gener. sq; neutri filios*, Hermaphroditos, androgynos, neutrius generis filios. habētes vtrumque sexum. vide Epig. Palladæ lib. j. epig. Græcor. & Priscian. lib. 6. de genit. neutri.

In Epig. l. Carminis huius prim. tertiúsq; vers. tetrametri

trametri catalectici. secūd. & quart. Iābici trimetri. ¶ *Pictauici*. Sic hoc loco ediderūt Lugdunens. quū in vet. Cod. reperissēt *Pictauice* pro *Pictauici, Pictatici, Pictiuici*, quæ in al. codicib. legebātur à Pictauis, Pictonum metropoli. de qua in Profess. Burdigal. inf. Extat eiusdem generis & argumēti distichon lib. 2. anthiol. sub Incerto. auth. vbi pro Rufo Ausonij, *Sexti* cuiusdā fit mentio: sed forte Sextus Rufus, cuius extat de histor. Rom. libellus ad Valentinianum Aug.

In Epig. lj. ¶ *Si saxa Rufus*. Si hæc statua saxea est. Rufus ipse est non statua. cū ipse semper fuerit lapis, caudex, stipes, asinus, plumbeus.

In Epig. lij. ¶ *Pera*. πήρα Ionic. πήρη, huius fit mētio & in epig. 30. & in epitaph. eiusd. Diogenis post Heroum epitaphia. ¶ *Polēta*, quod genus cibi fermētati hoc fuerit: vide apud Plin. 22. c. 7. Iubet tamen Diogenes in Vitar. auctione apud Lucian. peras suorū, lupinis & libris opistographis plenas esse. ¶ *tribon*, τρίβων, *pallium*. ¶ *bubulcum*, παιδίον, i. *puerulum*. Laert. *puerum* Senec. epist. 91. Legitur autem distichon in canem Diogenem in extr. lib. 3. Antholog.

> Βάκτρον, καὶ πήρη, καὶ διπλόον εἷμα σοφοῖο
>
> Διογένευς βιότου φόρτος ὁ κουφότατος. id est,
>
> *Baculus, & pera & duplex pallium Sapientis*
>
> *Diogenis, vitæ onus leuissimum.*

In Epig. liij. Est & hoc incerti authoris in eorūd. Græc. epigr. lib. 3. cap. εἰς αὐτάρκειαν. ¶ *Effigiem* manes, vmbram. ¶ *rex* Lydiæ in Asia. vt inf. in lud. Sapient. Solon.

In Epig. liiij. Platoni cuidā hæc inscribuntur lib. 6. epigr. vbi sunt eiusmodi epigrammata in Laidē, sed epitaphia lib. 3. Fuit autem Lais, meretrix nobilissima Corinthi, quæ vrbs est Achaiæ, cùm tamen

Siciliam haberet patriam, auctorib. Strab. Plutar. in Nicia, Athen. & Solino. Item eiusdem meminère & Gell. lib. j. c. 8. & Eras. in prouerb. *Nõ est cuiusuis Corinthum appellere*. Plutarch. in Alcibiade Laidi matrem facit Timandram. Suidas verò in voce χελώνη à Thessalis mulieribus Zelotypia in templo Veneris interfectam scribit ex Athen.

In Epig. lv. ¶ *Istos tergemino*, quod hîc *tergeminum*, in Gripho *triplex ouum* dicitur. quod illos tres excluserit, Castorem, Pollucẽ, & Helenam. alia paulo ratione vno partu editi tres Curatij & tres Horatij *Tergemini* Liuio dicti. Nonnulli duo oua fuisse dicunt, ex quorũ vno Castor & Helena, ex altero Pollux & Clytæmnestra nati sint. ¶ *Patribus ambiguis* Tyndarei filij putabantur, qui Iouis erant ex adulterio. ¶ *& matribus* ambiguis etiã. incertũ enim Ledáne an Nemesi. ¶ *Hos genuit Nemesis, sed Leda*. Sic Hygin. & Pausan. in Attic. Nemesis à Ioue in olorẽ verso compressa, (conuersam & eam in anserẽ tum credunt) actis statutis mensibus ouum procreauit. quod Mercurius iussu Iouis auferens, detulit Spartam: & Ledæ sedenti proiecit in gremiũ. quod ab illa fotum, Castorem, Pollucem, & Helenã edidit. Multi tamen hæc soli Ledæ tribuunt. Vnde & Lactant. Firmian. eandẽ Nemesim cum Leda facit: licet Isoc. in Hele. ęncom. diuersas constituat. & à Ioue cygno vtrámq; compressam. De Nemesi plura sup. epig. 20. Leda verò Thyestæ filia fuit, & Tyndarei coniux. ¶ *Tyndareus* Τυνδάρεως & Τυνδάρεως Gr. dictus Spartæ (quæ & Lacedæm) rex fuit. à quo Helena apud Poetas Tyndaris & Tyndaridæ Castor & Pollux, vnde Synes. lib. 4. epigram. Οἱ τρεῖς Τυνδαρίδαι Κάστωρ, Ἑλένη Πολυδεύκης. Vide plur. in hunc locum. Cæl. 11. cap. 19. & Lil. Girard. synt. 5.

In Epig lvj. & lvij. ¶ *Vera Venus* factam Cnidiam

pro *fictam* habuisse veteres libros. monuit Marian. ¶ *Praxitele* de hoc statuario & eius Venere agit Plin.34.c.8. & 36.c.5. Arnob.6. & Lucian. in dial. ἔρωτες. est autem *Cnidus* vrbs Asiæ, vt dicitur in epist.ad Theon. ¶ *Cyprida*. Cypris, & Cythere seu Cytherea, cur Venus dicatur, disce ex Theogonia Hesiodi. ¶ *Ferrum*, Mars, deus belli & armorum, quæ potissimum de ferro fiunt. Gradiuus in carm. ad Theod. ¶ *Qualē igitur*. Martis & Veneris adulteriū narrat.lib.4.Met.Oui.&apud Lucian.in dial.Deor.

In Epig.lviij. De Myrone egregio statuario agit, cuius etiam meminit Plin.d. lib.34.c.8. vbi eius opera recenset. inter qua & buculæ fit mentio. Meminit etiam Petron. Arbiter, in hæc verba, *Myron*, inquit, *qui pœne hominum animas, ferarúmque, ære cōprehendit, non inuenit hæredem*. Extant autem plura veter.poetar. epig.in Vaccam hanc lib.4.epigram. Græcor. BVCVLA verò diminut.à *bucca*, cc merito geminare: sed à *bos*, diminut. *bucula*, vnico c scriberem. vnde miror cur *buccula* quoque scribatur hoc loco. ¶ *genitoris* fictoris. est autem naturæ gignere, artis verò fingere.

In Epig.lix. ¶ *Dædale cur*. Dædalus Faber insignis vaccam fecit ligneam, & veræ vaccæ corium induxit: in qua inclusa Pasiphaë vxor Minois regis Cretæ insulæ, à tauro fuit inita, cuius infandum amorem illi Venus obiecerat. Hygin. Philostrat. in Iconib. Seru. in Virg.6.Æn. & Ipse Auson. in epig.65. in Cupid. cruci affixo, & in Technopægnio.

In Epig.lx. Huic accedit Antipatri Sidonij Græcum,

Μόσχε, τί μοι λαγόνεσσι προσέρχεαι. τίπτε δὲ μυκᾷς,
Α᾽ τέχνα μαζοῖς οὐκ ἐνέθηκε γάλα. id est,
Vitule, quid mihi ilia accedis? quidnam verò mugis?
Ars vberibus non imposuit lac.

In Epig. lxj. Ex Anacreonte desumptū. Animaduertendum a item, *bubus* prior. syllabam corripere, quam pro d. *bobus*.

In Epigr. lxij. Lepidius multo Græcè, quàm Lat. Sic enim Demetrius.

Ἤν μ' ἐσίδῃ μόσχος, μυκήσεται· ἢν δ' ἔγε ταῦρος,
 Βήσεται· ἢν δ' ὁ νομεύς, εἰς ἀγέλην ἐλάσει.

Si me viderit vitulus, mugiet: si vero taurus,
 Inibit: si verò pastor, ad gregem coget. ¶ *Amans*, al. *ouans*, al. *agens*.

In Epig. lxiij. ¶ *Nec sunt facta Dei mira*. Dei & naturæ opera mira quidem: attamen ea non admiratur vulgus. imò potius quæ artis ingeniive sunt. vt Columbæ simulachru ̄ ligneum ab Archita Tarētino constructū, quod volasse refert Gell. 10. c. 12.

In Epig. lxiiij. ¶ *Sed Dea*, Minerua scil. quæ animā veræ vaccæ sibi sacrificatæ, in vaccam illam æream transtulit: vnde & vitam ac sensum habuisse ferūt.

In Epig. lxv. ¶ *Minoa*. Minois regis Cretæ vxor Pasiphaë. de quā sup. Epig. lix.

In Epig. lxvj. Metrum Iambicū trimetrum. ¶ *Me monebat* al. *minabat*. Antonius Loiselius. qui lectionem probat, & Cuiacius tit. 17. lib. j. recep. sententiar. Pauli. Apuleio & Hieronymo testib. Latinos veteres *Minare*, pro ducere, agere, ante sepellere. vnde & Gallicum *mener*.

In Epig. lxviij. In eum qui muliebria patiebatur. ¶ *Valle Bana*. Duo vocabula loci cuiusdam. Memoratur autem *vallis Ibana*, seu *Vallaibana* Hispaniæ in reb. Ludouici Pij Francor. regis. item in Alpibus *Vallis bona*, apud Tscudum. sed hæc incerta ¶ *Pauáque de pauo*. Apud Pli. & alios Lat. *pauus* & *piuo* recti inueniuntur, genere epicœno. Auson. femellam referens *pauā* dixit. ¶ *Hebetis*, pro *obstupescitis*. pro quo Asceni *habetis*. ¶ Cœnea Accusat. Græcus. Cœneus

Elati

Elati filius, Magnesius, auctore Hyg. & primum *Cænis* puella fuit, quam concubitus præmio transformauit Neptunus in virum. eius fit mentio in cupidine Cruci affixo. vide Ouid. 12. met. & Trallian. de mirabilib. ¶ *Proles Saturnia Consus.* Saturnii filius Neptunus. Consum. n. quidam Neptunum dicunt. vt hic & alibi Auson. sic dictus *quasi consilij Deus* vt testatur Augustin. de Ciuitat. Dei lib. 4. c. 11. quod eũ consuleret Romulus. Vnde & Arnob. lib. 3. aduers. gent. Consum dictum ait, quod salutaria & fida cõsilia nostris suggerat cogitationibus, sic Dionys. Halicar. j. hist. Dedicarũt *inquit*, & Romani Neptuno equestri templum, atq. diem illum solennem, quem Arcades Hippocratia, Consualia Romani vocãt, iidẽ constituêre. quo in die apud Rom. ex consuetudine cessant ab operib⁹ equi & muli redimiti floribus capita. Vide plura apud Lil. Giral. synt. 3. & ipsum Auson. inf. de Fer. Rom. ¶ *Ambiguoq́.* Tiresias vates, vir natus femina annos septem fuit, cui viij. demum anno *Forma prior rediit, genitiuaq́ venit imago.* Ouid. 3. met. ¶ *Semiuirum*, sic in vers. 80. Cupid. cruci aff. *Semimarem* dixit, non solum mollem & eneruũ, sed & qui vtrúmq. sexum gereret. ¶ *Fõs Salmacis.* Hoc nomine Nympha & fons Cariæ. de quo Vitruu. 2. c. 8. Strab. lib. 14. & Fest. ¶ *Hermaphroditum.* Mercurii & Veneris filius.

Cuius erat facies, in qua materq́, paterq́,
Cognosci posset nomen, quoq. traxit ab illis.

Ἑρμῆς. n. *Mercurius*, Ἀφροδίτη *Venus* Græcis nominãtur. Ouid. 4. met. sic de Salmacidis & Hermaphroditi coitu canit,

Sic vbi complexu coierunt membra tenaci,
Nec duo sunt: sed forma, duplex, nec femina dici
Nec puer vt possit. neutrumq́, & vtrumq́ videtur.

Vide & epigr. 98. & 99. ¶ *Vidit nubentem* Plinius.

eius sunt verba lib.7.c.4. ¶ *Androgynum*, Græcis *vir* ἀνὴρ, cuius genit. ἀνδρὸς. *mulier* verò γυνή. vnde ἀνδρόγυνος. Sic Plin. vbi sup. *Gignuntur & vtriusque sexus, quos Hermaphroditos vocamus, olim Androgynes vocatos, & in prodigijs habitos: nunc verò in delicijs.* De his plura in Sympos. Platon. & apud Cæl. 15.c.10. Gell.9.cap.4. ¶ *Campana in Beneuento.* Inuenitur & Βενέβεντος & Βενεβεντὸν apud Steph. Ptol. & Suid. at *Beneuentum* frequentius: estque Campaniæ vrbs in Italia.

In Epig.lxix. *Pythagora Euphorbi.* Philosophũ hunc alloquitur poeta, qui cùm animarum immortalitatẽ doceret, eos prioribus mortuis corporibus, in alia commigrare dicebat. vide Ouid. 15.met. & Laer. Euphorbus autem Panthi & Phrontidis filius, quẽ Menelaus interfecit. Iliad 17. Pythagoras verò se Euphorbum illum Troiano bello fuisse asserebat: quo mortuo, animã in Hermotini corpus trãsiisse: ab illo in Pyrrhũ Delium, piscatoreḿ: à Pyrro in Pythagoram: vnde *renatus* dictus Pythagoras ab Aus. in vers. 18. epist.25. ¶ *Feles nuper pullaria dictus.* παιδεραστὴς, *puerorum amator, pedico.* qui *pullarius* interpretatur vet. glossar. Dictus quondam qui pullos aues augurii gratia aleret. at hîc *paderastes* à pullis, pueris & puerulis. per synæresin. sic vocatus: quòd sicut feles aues. ita & ipse pueros captaret. Sicque monet Turneb. *Felem Virginalem* Plaut. in Rud. dictum leonem seu lenonem, qui virgines surriperet. *feles* & *felis* in primo casu, pro *cato* reperitur. Plin.6.c.29. *Feles aurea*, & *felis aurea*, vt probat Charis. qui inter nomina in *es*, annumerat *feles*. vide & Epig.75. ¶ *Puerile decus.* al. *secus.* Scal. ¶ *Lucili*, pro *Lucilij.* vt *peculi* pro *peculij* apud Virg. Lucilius autẽ antiquissimus poeta Lat. in cuius satyris ea verba legerat Auso. quæ Marco exprobat. ¶ *Subulo, pullipre-*

mo. Ascens.al.*suppilo*. Cæl. *subulo*, *pullo premor*, Stoa *pullopremo* coniunctim legit, & mutat.literæ o in i. *pullipremo* scriptũ censet, ac eum poetã intellexisse *pullipremonem*, qui pullos puellósve premeret subigerétque. Magius in cap. 4. Miscel. 2. *pullopremũ* dicit, pro quo S. alig. *pullipremã*, puerorum plagiariũ. *Subulo* autem tibicen apud Tuscos significari aiunt Var. & Fest. Plin. 11. cap. 37. *subulones ceruos* vocat, cornuorum minimè ramosorum: ita dictos, quòd sine eorum cornua subulæ (instrumento sutorũ calceos suentium, quo coria perforant) similia. ¶ *Non hippocamelus* de equis & camelis multa Arist Plin. & Ælian. nihil tamen de animalibus ab iis compositis, ἵππος. n. non semper *equum* in compos. sed interdũ ἐπίτασιν, seu *intentionem* tantum significat: vt in epig. 108. vt *hyppocamelus* sit magnus aliquis camelus è montibus Caspiis ¶ *Sed scarabeus erit*: in quo genere infecti masculi sunt tantũ, fimo & stercore gaudentes, vnde pilas faciunt, in quibus generant. vt refert Plutar. in Isid. & Ælia. 10. c. 19. de animal. vide Cæl. 8. c. 5. & Brod. 1 Miscel. c. 6 & Eras. in adag.

In Epig. lxx. ¶ *Cœtus*, pro coitu & concubitu. sic Lucret. lib. 3.

Nil tamen ad nos, qui cœtu coniugióque
Corporis, atque animæ, consistimus vniter apti.

¶ *Herculis heredi* Philoctetæ Pœantis filio. quẽ Hercules rogũ subiturus, arcu & sagittis donauit. ¶ *Lemnia suasit egestas*. Lemnos insula ante Thraciam celebris. Quod autem Auso. Philoctetem, cũ post Herculis mortem in Lemno ageret, egestate coactũ fecisse vult, id alii Veneri vltrici ita adscribunt. Quum iam paulò seriùs responsum Græcis fuisset, Herculis sagittis, ad Ilii expugnationem opus esse, accersitus è Lemno Philoctetes, Paridé lesit. vnde

hoc est saltãdo seu cadẽdo imitari & referre ¶*Capanea*.accusat.Græc.à rectoΚαπανέυς. Fuit autẽ Capaneus ex iis,qui cũ magno exercitu aduersus Thebas profecti sunt cũ Polynice.Fuit aũt Hipponi filius,nobilis Argiuus,maritus Euadnes. hic cũ scalas muris admouere vellet à Thebanis lapidib.obrutus est.hinc factus locus fabulæ,Capaneũ, quod deorũ contẽptor esset,à Ioue fulmine percussum. cuius meminêre Pauſ.in Bœot.& Ouid.4.Trist.itẽ Diod.Sic.Hygi.& Sta.in Thebaid.& Veget.rei milit.lib.4.c.21 ¶*In Canace*.Fuit hæc Æoli ventorũ regis filia: quæ misso à patre gladio sese interfecit.cum ex suis & fratris Nacarei nefandis amoribus natus puer esset. Vide Ouidium in Epist.& Hygin.

In Epig.lxxxiiij.Palladæ Græcũ est,lib.2.anth.cuius ætas cũ incerta sit,& plures quoque hoc nomine reperiãtur,quis huius epig.author fuerit vix asseritur.Δάφνη,laurus,& Daphne puella,quæ in laurum mutata fingitur. Parthen. in Erotic. & Ouid. libro primo metamorph. de ea Auson. epigr. duo 100.& 101.

In Epi.lxxxvij.Δόδρα πότος,id est,

Dodra potio & numerus,habeo mel,vinum,oleum:

Panem,sal,herbam,ius,aquam,piper. Parisinus Cod.Δοδραχαπότον,καὶ ἀριθμός.al Δόδρα πότον καὶ ἀριθμόν. Lugdunens.vetus non habebat hoc Græcum epigramma. sed priori Lat.titulum præfigebat,*In Dodralem*.& alteri *Idem*, de potionis huius vsu nihil certi.

In Epig.lxxxviij.¶*Pappia lex*. Hanc tulit Augustus,sed à Consulib.qui tũ erant, *Pappia*, & *Poppæa* dicta.Dio.lib.56.quæ fuit de maritand.ordin.vt ait Suet. Ferebat.n.vt si vir & vxor filios nõ haberẽt, quod

quod alter alteri reliquisset, decima pars fisco addiceretur. quæ quidem placuit Iurisc. qui vxoris adulteriis fauere videbatur. quo ex illa nullo non modo prolem susciperet. Vide Alciat.lib.3.c.3. dispunct.& παρέργ.10.c.6. ¶*Iulia displicuit*. Iuliæ legis plura fuêre capita, quorũ vno plectebãtur: vt lenocinij rei essẽt mariti, qui adulteras vxores in matrimonium retinerent. hanc tulit D.August. vt refert Vlpia.48.Digest.tit.5.Vide Hottoman.tract. de legib.Rom.in voce Iulia, de marit.ord.¶*Scaliniã metuens*.al.*Scantiniã*, fuitq; de pueris impudicis seu, vt ait Beroald.in eos latam, qui muliebria paterẽtur. vnde & dictus *semiuir* Iurisc.ille. Sic nũcupata à C. Scantinio Tribuno pleb. qui ob tale crimen primus damnatus est. Valer.6.c.j. Stupratores autẽ decem mill.pœna coercebantur. Vide eund.Hott.d.tract. ¶*Non metuit Titiã*, hanc tulit C.Titius, qua cauetur, *ne quis ob causam orandam, pecuniam donúmve acciperet*.& sic eam non est veritus Iurisc. ille, quẽ nemo consultorem adibat. Vide Tacit.2.histor. August. & Pithœum in cap.2.lib.2.aduers.

In Epig lxxxix. In eund.Iurisc.¶*Zoile* Inuide, obtrectator alienarum laudum, alienorũmque operum reprehensor. Vide Erasmum adag. 8.chil.2. cent.5.

In Epigram xc.¶*Persacile id faciam* Veneris verba. ¶ *rursus idem patiar*, Marci hæc: si nostros inquit, omnium mores & amores mutaueris, vt amet, quæ ante oderat, & oderit quæ prius amet. ¶*Marce, vt ameris, ama*. Hemistichium ex 11. epigram.lib.6.Mart. ¶ *Suasisti, Venus alma, duas Glyceras vt amarem*, al. vet. cod. *Suasisti, Venus. ecce, duas dysceros vt amarem*. quod facit principium alterius epigrammati, cui titulis Δύσερως. quo nomine dicitur *morosus & in amore infelix*.

¶ *Odit vtraque.* quod contra naturam mediam vox *vtraque* producit. ¶ *Phædra,* hæc amoris impatiẽtia se suspendit, vt sup. in epig. 19. *Elisa Dido* gladio incubuit. Sappho in mare se præcipitem dedit. Vide in Cupid. cruci affixo & in epig. III. Probus autem duobus versibus.

Phœdra & Elisa tibi dent laqueum aut gladium,
Præcipitem pelago, vel Leucados elige rupem.

fuerunt in Lugd. Cod.

Quod sibi suaserunt Phœdra & Elisa dabunt,
Quod Canace Phyllisq; & fastidiata Phaonis.

De Canace, vide epig. 83. *Phyllis* verò, quæ scribit Demophoöti apud Ouid. *Sed quid verbi fastidiata Phaonis?* A Phaone scil spreta & contempta tanquam facta fastidio Sappho, se ex summa Leucadis insulæ rupe in mare deiecit.

In Epigr. XCI. Ex Lucillio, lib. 2. antholog. ¶ *Ammonem Lybiæ.* quod in prædictioné Onesimi astrologi Lucillius, Ausonius in æquè incertum Iouis Ammonis oraculum scribit. de quo nomine Libyco Diodor. Sicul. Lucan. & Curtius. ¶ *Vincere agone,* de ludis & agonibus Græciæ, carmen est Ausonii infr. ¶ *Castu* al. sine diphth. Per diphthongum autem vt not. Seru. 4. declinat. *arma pugilum* significat. Sine diphthon. num. tantum singulari *Veneris balteum.* Apollonius autem in princip. 2. Argonaut. *Cæstus* ἱμάντας vocat, hoc est, *lora* ac quidem bubula, quibus pugnaturi manus armabãt, quib⁹ sese mutuò feriebant, os & tempora in primis petentes: sed de his Iul. Pollux, & Amyncus apud eund. Apollo. Dicebantur & Græc. πύκται, Lat. *pugiles*, & res ipsa illis, πυγμὴ, his *pugilatus.* & sic pugna illa propriè πὺξ dicta. quoniam pugnis peragebatur, secund. Donat. Pugil ergo, qui cæstibus: παλαιστὴς, & *palæstrita*, qui lucta, quæ πάλη & παλαίστρα

Græc.

Græc. σταδιεύς, qui in stadiis & circis cursu. δισκόβολος, qui disci in sublime iaculatione: ἁλτικός, qui ἅλματι id est saltu certabat. quæ genera quinque certaminum vno verbo πένταθλον Græc. à πέντε quinque, & ἆθλος certamen) Lat. *quinquertium* dicta sunt. victor eorum πένταθλος, *quinquertio* nuncupatus. verùm πένταθλος Lucillii, *pugil* est Ausonii. ¶ *Catus*, doctus, vt apud Horat. lib. j. od. 10.

In Epigram. xcij. ¶ *Punicei*, punicei coloris, nec de Hermione Ouid. intelligendū. ¶ *Paphie*, Venus à Paphos insula Cypri, vbi & hoc nomine vrbs & templum ipsi deæ dicatum à Papho Pygmalionis filio. Fuêre autem Cypri olim maximè Veneri deditì. vt testantur Poetæ.

In Epigram. xiiij. ¶ *Hilas* non pugil ille de quo epigram. 91. sed egregia forma iuuenis Theodamãtis & Menodices filius, Herculis ad Colchos proficiscentis comes, qui ex Argo descendens aquatum profectus, à Nymphis in Mœsia raptus est, vide Apollon. j. Argon. Strab. Solin. & Erasm. in prouerb. *Hylam inclamas*, de frustra vociferantibus & nihil proficientibus. ¶ *Naiades Eumenidas*. Naiades fontium & fluuiorum deæ, dictæ & *Naides*, ἀπὸ τοῦ νάειν *fluere*, seu à recto *Nais*, fluuius & meretrix. huius meminit Auso. in Mosell. Eumenides verò, furiæ infernales κατ' ἀντίφρασιν ἢ εὐφημισμὸν cùm minimè εὐμενεῖς *beneuolæ* sint. dictæ & *canes stygiæ, & diræ*. Virg. & Ouid.

In Epig. xciiij. & xcv. & xcvj. Ad Narcissum in florem mutatum non Hylam pertinet. éstque metrũ Iambicum dimetrũ. ¶ *Ephebus* ἔφηβος, Ephebia pubertas, adolescentiæ prima pars, & pueritiæ extrema. Donat. in Ter. quasi ἐπὶ ἥβης *super pubertatem*, seu qui excessit pubertaté. ¶ De insano ipsius Narcissi amore. vide Ouidium 3. metamor. ¶ De Echo,

Ibid. Ouid. vide & sup. in epigr. xI.

In Epigr. xcix. &c. De Hermaphrodito & Salmacide, vide epigr. 68. ¶ De Appollinis arcu, sagittis, amoribus in Daphnen, Ouid. j. met. ¶ *Paean* Phoebe, Apollo. Propriè autem *Paean* hymnum significat in laudem Apollinis decantari solitum: sicut *Dithirambus* in laudem Bacchi, qui teste Pollu. post victoriam nonnunquam & cani solebat, auertendo rum malorum causa. vnde & opus suum de deor. laudib. Pindarus *Paeana* inscripsit. Ponitur & quandoque, vt hic pro ipso Apolline. Ἀπὸ τοῦ παιάζειν *a medendo*, quod & hunc medicinae inuentorem credant.

In Epig. cI. De Daphne, Penei seu Ladonis fluuii filia, quae cùm Apollinis vim effugere non posset, implorato paterni (seu Terrae secũd. Hygin) numinis auxilio, in lauram arborem est commutata. à qua Apollo ramum fregit, & in caput imposuit. vide Ouid. j. met. & Lycoph. interp.

In Epigr. ciiii. Ex Antipatri Sidonii Graec. lib. 4. Graecor. epig. Haec est autem Venus cuius patrem Caelum dixit epigramm. 32. cuius matrem Θάλασσαν Poeta Grae. appellat. Quod sit hoc nomen femininum, pro quo Latini *mare, pelagus*. Hanc etiam Pli. 35. c. 10. modò *Anadyomenem*, modò Grae. vocem interpretans. *Venerem exeuntem è mari nominat.* ¶ *Appellei.* Appellis pictoris clarissimi, cuius meminit Plin. d. loco. ¶ *Innuba Pallas*, al. *innupta Minerua*. in princip. 2. Aen.

In Epigr. cvi. ¶ *Termarum in solio*, vbi scil. ille scabiem suam lauabat. Solium autem praeter alia, significat lacum, vas iuxta Thermas, & aequae calidae fontes, in quod deriuatur aqua, lauãdi corporis gratia: vt huiusmodi aliquod vidimus in margine fontis

multæ aquæ & perferuidæ Aquis Augustis, cuius vrbis Aquitaniæ meminimus in Parental.car.2. ¶*Enthea dæmone Mœnas.* ἔνθεος *Deus*, & adiecta præpo. ἐν *in*, fit ἔνθεος, *in quo est Deus*, seu numine agitat°, & afflatus. vnde & *entheatus* apud Mart.12.ep.57. *Nec tuba cassat entheata Bellonæ.* Scitè verò *enthea dæmone* .i. *deo* seu *numine*, describitur à Virgil. lib. 6. Æn. Sybilla. vers. 4. ibi *quum virgo, poscere fata Tempus ait*, &c. ¶*Mœnas, à* μαίνεσθαι *furere, insanire, numine perciri.* vnde Mœnades furiosæ feminæ, quales apud Theocrit. Idyll. 33. contra Pentheum: & apud Ouidium 11. metam. contra Orpheum describuntur. ¶*Symplegados antrum.* podicem. Martial. 11. epig. 100. Symplegades autem Geographis & Apollonio. 2. Arg. & Ouid. 15. met. scopuli seu insulæ paruæ duæ, paruo distantes spatio, contra Thracium Bosphoron. currere creditæ, & à se inuicem concutiendo nomen sortitæ. πλήσσω .n. *cedere & percutere* significat Σὺν præpos. *con.* ¶*Desectos.* castratos & enuchos, qui quidem amant, sed frustrà. ¶*ad Phlegethontéas.* φλεγέθων apud inferos rapidus flammis torrentibus amnis. Virg. 6. Æn. vnde φλεγεθόντειος, *Phlegethontheus.*

In Epigr. cvij. In Britãnum nom. Syluium. cogn. Bonum. ¶Britto *bonus.* Arbitror cum ex Sidon. Apollin. & Beda: tum ex hoc Auson. epigram. satis liquere Brittones à Brittannis nihil differre. vnde non minimè errant, qui Brittones eos solùm volunt, qui in Gallia ad Ligerim habitant. Sed plura in Mosell. ¶*Nec se quit iungere Britto bono*, al. *homo.* sed prior melior. *bonum* autem ironicῶs, vt *nobile scortum* intelligendum.

In Epig. cviij. *Furippus.* Primã producens, à *furando* factũ. Corripiẽs à *furendo.* ἵππος autẽ & βοῦς, animaliũ genera equus & bos. in compos. ferè τὸ μέγα

valdè significat. vt docet Bud. in comment. Ling. Græ. *Furippus* itaque vt ex Lat.& Græ. compositum sit, insignem furem, aut valde furiosum hominem, significabit. ¶ *Pars verò*, al. *vera*, sed malè.

In Epig. CIX. Iambicum dimetrum. vide Cic. lib. j. de nat. deor. & Senec. in Claud. Cæsar.: quam sententiam Epicuri sic Græcè habet apud Laert. τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον, οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. & contra eam disputat Lactan. in lib. de ira Dei & Max. Tyrius ser. 29.

In Epig. CX. Ex Menandro poeta Comico, si non fallit Stob. desumptum. éstque metrum iambicum dimetrum.

In Epig. CXJ. αἰδ' ἰσποτον hoc lib. 4. antho. ¶ *Namque nec Æneas*: quod commentus est Virgil. in odiũ Carthaginensium. Macrob. 5. sat. 17. ¶ *Nec Libyam*, nec in Africam venit. Dionys. Halicar. lib. j. ¶ *procacis Iarba*. Iouis filius Iarbas rex Libyæ. vide Virg. & eius Comment. lib. 4. Æn. ¶ *Vltra virum positis mœnibus*. Allusio ad illa, quæ moriens Dido dicit 4. Æn.

Vrbem præclaram statui, mea mœnia vidi.

Vlta virum, pœnas inimico à fratre recepi.

Sic narrant Virg. j. Æn. & Iustin. lib. 18. vt sit vlta Dido virum suum Sichæũ à Pygmalione fratre interfectũ. Cæterùm alij quàm Dido traduntur Carthaginis cõditores in Euseb. Chronic. & Appiani Libycis. ¶ *Falsidici vates*. falsi & mẽdacis poetæ in epist. 12. Homerus in primis auctore Lactant. Cic. & aliis.

In Epigr. ¶ *Tres vno in lecto*. Strato lib. 2. anthol. cap. εἰς ἀσελγεῖς, vtcunque poetarum maior natu fuerit. Terni autem isti se inuicem incestantes, si sint quos spurcissimus ille Tiberius appellat *Spintrias* apud Suet. de isto vocabulo quæsiit Magius, 2. Miscell. cap. 4. post Beroald. ¶ *Qui facit & patitur*. Nefandæ eiusmodi libidinis historiam refert Senec. in extremo lib. j. natur. quæst.

In Epig.cxiiij.¶*χάριτες*, *Gratia*. Hesiod.in Theog. Iouis & Eurynomes *ἀκεανῦ κούρης*, filiæ tres. Aglaïa, Euphrosyne, & Thalia, quibus quartam addit Auso. Lesbiam scil. alia tamen epig. 31.

In Epig.cxv. Ex lib. 2. Anthol. cap. *εἰς λεπτούς*. in paruæ nimis Staturæ homines. quos Sulpic. Apollinar. dicit in extremo lib. 19. Gell. c. 13. *pumiliones* Lat. dictos, Gr. *νάνους*. ¶*non aliter Phaethon.* Huius fabulosum casum, vide apud Ouid. 2. Met. ¶Dubitatur autem an hoc epigr. Ausonij sit in Faustulum Anicij Probini nanum: an verò ipsius Probini in Faustulum quendam. ac primum cùm *Anci-Probini* scriberent libri omnes, tametsi Ancos habuerit Latium: tamen hũc Probinum semper existimaui, de quo in Iambicũ ad Probum mentioné feci, qui nõ *Anicus*, sed *Ancius Probinus*, ab Anicia, Anicianáve familia dicebatur. ¶*improbe liber*, vbi *liuor*, pro liuide & inuide non *liber* legendum ex Lucilio.

In Epig.cxvj. & cxvij. ¶*Aëre*, odore seu fragrãtia. ¶*Seplasiæ*. Capuæ, quam inter claras suas vrbes recenset Auson. Platea fuit Seplasia, in qua vnguentarij negotiabantur. Ascon. in Pison. Cic. in Verrem huius meminit & Valer. Max. 9. cap. de luxur. de Annibale agens. ¶*Dum custon costónque* sic Beroald. cum prius *ciston coctónque* legeretur, sed quid non *cystum* potius? Est *κύσος* seu vt apud Aristophan. *κύσθος vulua & pudendum mulieris*: at *κίςος* fruticis genus, quemadmodum & *κόστος*. quæ quanuis hæc litterula differant tantum, specie tamẽ diuersa sunt, vt ex Dioscor. apparet. lib. j. c. 15. & 127. Sic nardum & Sardam, salgamum & balsamum idem ille esse putabat, vt iocatur Auso. propter vocũ similitu diné. Dicitur autẽ *Nardus* & *nardũ* feminco & neutro genere. Frutex graui & crassa radice, at breui, nigra & fragili, de quo Plin. 12. c. 12. & Diosc. 1. cap.

6.7.& 8.Vnde & *nardinum vinum*,& vnguentũ cum eo compositum. Idẽ Diosc.1.c.74.*Sardas* verò,quæ Gr. τριχίας,& τριχίδες.*sardinas* nostras esse putant. minus grati saporis pisciculi, nisi recentes edãtur. ¶Salgama autem,à sale nomen sumpsisse videntur. ita dicta,quæcunque ex herbis,pomis,& radicibus condiebantur sale,muria, aut aceto, ciborũ gratia. veluti portulaca,pira,oliuæ & cucumeres. de quibus Colum.12.c.4.Hinc *Salgamarij*,condentes Salgama. in extremo cod.lib.12.cap.54.& lib.12.Cod. extat.tit.de Salgamo hospitib.non præst. Plura autem de Balsamo,cuius & fit mentio epitaph.36. arbuscula præter reliquas suauissimi odoris, vni Iudææ terræ concessa,agit Plin.12.c.25.

In Epig.cxviij. ¶*Lais,Eros.* Vt habeatur verbum tertiæ personæ singularis λείχει *lingit*, sic scribendas versus,

Λαΐς,Ἔρως,& Ἴτυς,Χείρων,& Ἔρως Ἴτυς *alter.*

Ita veterum quispiam Poëtarum,ex primis syllabis nominum Penelope,Dido, Canus,Remus, obscœnum composuerat verbum PEDICARE.

Penelopes primam Didonis prima sequatur,

Et primam Cani syllaba prima Remi. Vnde interpretum opinio, *pædicare* non scribendum esse ἀπὸ τοῦ παιδὸς *à puero*,confirmati alio epig.

Quum loquor vna mihi peccatur littera. nam T.

P dico semper:blæsaque lingua mihi est.

De Laide sup.ἔρως verò *amor* est. *Itys* & *Chiron* virorum propria. ¶*Dicere me Latium*, pudet me Lat. verbo enuntiare quod facis adeo obscœnum est.

In Epig. cxix. *Festinas glossas.* γλῶσσα *lingua* propriè, qua sceleratus ille lingebat. item & *glossa* expositio.vt apud Quintil.j.instit.orat.

In Epig. cxx. Iambicum trimetrum scazon, non minus obscurum,quàm obscœnum.¶Eunus autem

is, qui seruile bellum mouit, natione Syrus, vt scribunt Liui. & Luc. Annæus. Συρίσκος diminut. à Σύρος. Donat. auth. ¶ *Opicus*, fœtidus, obscœnus & indoctus. Vtitur & hac voce in Profess. & epist. 5. ad Theon. ¶ *Οὐ tibi*, quid si ν' αἰ, vel legas? ν' autem *non*, minimè hîc facere videtur. ¶ Tuúmque nomen Θ. *Theta* mortis erat nota in iudiciis. quòd ea litera in verbo θάνατος *mors* prima sit. vide Erasm. adag. Θ *præfigere*. vide & vers. 137. Technopæg.

In Epig. cxxj. Ex Antiphilo Byzantio lib. 4. Antholog. ¶ *Timomachi mens*. al. Τιμομάχου χείρ. *Timomachi manus*. Pictor Byzantius Cæsaris Dictatoris ætate, qui Aiacē ei pinxit & Medeā: ab eo in Veneris genitricis æde positas imagines, octoginta talētis venūdatas. Plin. 35. c. 11. ¶ *in natos*, filios suos Mermerum & Phereten ex Iasone procreatos, quos Zelotypia interfecit. Pausan. in Corinth. ita nominatos refert. Hygin. verò Mercerum & Pheretum. ¶ *Cunctantem satis est*, sub. *pinxisse*, vide Plin. d. loco. ¶ *Indigna est sanguine*, al. *condigna* Mariangel. al. *nam digna*. verba in pictorem illum qui Medeam non iugulantem suos, aut enecantem: sed tantum cunctantem pinxerat.

In Epigram. cxxij. Ex Philippo quodam eodem lib. 4. ¶ *Colchis*, Medeæ filia Aeetæ Colchorum gentis Asiaticæ regis filia. & sic patronymicum. ¶ *Altera* vel *Glauce*. quæ & Creusa Creontis Corinthi regis filia, quàm repudiata Medea, duxit vxorem Iason. vnde & Medea suos ex Iasone filios interfecit. vt sup. epig. vide Eurip. Apoll. Rhod. Ouid. & Hyginum. ¶ *námque tui vim*. al. *tua mens*. al. *tui mens*. Mariangel. *námque tumentis*. Sic *creta* pro *cera* : & *cœli* pro *zeli*. sed in Græc. *cera*, hoc est, *cerata tabula*, vel *cerea imago*: & *zelus* amor, vel zelotypia.

In Epig.cxxiij. ¶ *Leuas dropace.* δρώπαξ vnguenti genus, ex resina seu pice, ad pilos euellẽdos, & leuigãdam cutem. de quo Ægineta lib.7.& Aetius 3. ¶ *Volsas lupas.* vulsas, glabras, & depiles meretrices. ¶ *leuia.* non setosa. *leue* autem *graui* oppositũ prior. corrip. at pro eo quod est glabrum, nitidum & politum producit. vnde *leuare* & *leuigare* verba, pro glabrare, radere, & æquare. ¶ *plantaria*, pilos. ex Pers. sat.4. *-licet hæc plantaria vellant.* ¶ *Pumice* Pumex lapidis genus, quo scabra & aspera, leuantur poliuntúrq; de quo Plin.36.c.21. ¶ *Clazomenas*, al. *Clazomecas.* sed ignota vox. Clazomenæ autẽ Asiæ vrbs, vt inf. in carm. Sulpitiæ. Fortè etiam substant. particip. id est, *scissuræ fissuræve.* medicis ῥαγάδες dictæ, à verb. κλάζειν, & ῥήγνυειν *frangere* & *scindere.* súntque fissuræ illæ inter ani vitia enumeratæ, quibus laborare solent pedicones illi infames, quive se pedicandos prostituunt, atque inter nates existunt: vnde & *inclusas* ait.

In Epig.cxxiiij. vide lib.j. Antholog.

In Epig. cxxvj. ¶ *Cereali munere* farre. cuius inuentrix fuit Ceres.

In Epig. cxxvij. vide cap.17. lib.j. Græc. epigr. in grammaticos. ¶ *Canonas* regulas. Accusat. Græc. à recto κανὼν *regula.*

In Epigram. cxxviij. Ex lib.j. Anthol. j. Iliad. & j. Æneid.

In Epig. cxxix. Vet. Lugdunensi exẽplari hoc debemus epig. in quo quæ scribebãtur *Ausilio* & *Ausiliũ*, nemo dubitet, quin *Auxilio* & *Auxilium* esse debeant. Iocatur autem Poeta cum grãmatico, cui *Auxilij* nomen erat. ludens in ambiguo. versa syllaba *vm* in *vs* factum est substantiuum proprium *Auxilius* ab appellatiuo *Auxilium* vnde ait *Da rectum casum, iam solœcismus eris.* vbi & ipse, siue de in-

de industria id faciat, decipitur secundam vocis *solæcismus* breuem faciens. verùm in vet.cod. *solicismus* erat. σολικισμὸς pro σολοικισμός.

In Epig cxxxj. ¶*Nec Stygÿs lucis.* in morte, rogo, busto. ex lib.3. epig. Græc. cap. εἰς ἥρωας. ¶*Fratres Oedipodionidæ.* Oedipodis filij Eteocles, & Polynices. hic Oedipodes, patrē suum Laium interfecisse ferunt, ac matrem Iocastam (de qua in Gripho) vxorem postea duxisse: vnde & prolem illam tam infelicem sustulit. nam hi filij postea mutuo sese interfecerūt. ¶*Ex vno surgentes.* Eteoclis & Polynicis fratrum cadauera cùm simul cremarētur, etsi ventus esset vehemens, fumus tamen se nunquam in vnam partem conuertit, sed diuisus diuisæq; flammæ: tanta fuit inter hos inimicitia, vt nec mortui conciliari potuerint. ¶*Atq; vtinam Thebas.* Thebæ Bœotiæ vrbs, vbi rex Oedipodes, quē filij maiores facti, & cognita impietate paterna, domi captiuum retinuerūt, & suscepto regno fœdere inuicē sanxerunt, vt alternis annis imperarēt, primúsq; imperij annus Eteocli cederet, tanquam maiori natu. quo anno peracto nec imperium fratri cedere volens, belli intestini causa fuit. vide plura apud Hygin. Eurip. in Phœniss. Stat. in Theb. Ouid. 5. trist. eleg. 6. Pausan. in Bœotic. Diod. Sic. & Sene. Trag.

In Epig. cxxxij. Iambicum trimetrum. ¶*Gratia.* Gratiam non nouit habere ingratus, nedum referre. ¶*aut totum*, al. *actutum* & rectè pro continuò & statim. Florent. cod. *at tantum.*

In Epig. cxxxiij. Hoc minus percipitur. ¶*Absumere*, pro *adsumere.* vt in quibus. cod. Demosthenis quidem fit mentio inf. in car. j. de Profess.

In Epig. cxxxiiij. & cxxxv. Iambica trimetra.

In Epig. cxxxvj Ex Laert. in vita Platon. & 3. Epig. Græc. ¶Ἀστὴρ stella. quo vocabulo dictus puer,

quem amauit insignis ille vir. Venus autem pulcherrimum lucidissimúmque post Solem & Lunam siderum. Vide Plin. 2.c.8.

In Epig.cxxxvij. Ex Menandro conuersum monet titulus.at eius opera, vt & aliorum multorum iniuria temporum, præter sentẽtias aliquot, perierunt. Vide autem Lucian.lib.j. vbi epig. huic respond. vt & Isoc.ad Demonic. vbi patris sui Hipponici exemplum proponit. Οὐδὲ τὸν πλοῦτον παρακαίρως ἠγάπα, ἀλλ' ἀπέλαυε μὲν τῶν παρόντων ἀγαθῶν, ὡς θνητὸς, ἐπεμελεῖτο δὲ τῶν ὑπαρχόντων, ὡς ἀθάνατος. i. *Neque diuitias importunè amabat, sed fruebatur quidem præsentibus bonis, vt mortalis: curabat verò suas opes, vt immortalis.*

In Epig.cxxxviij. Iambicum dimetrũ. In vet. Tilij Cod. tit. erat, *In notarium in scribendo velocissimum.* ¶ *Præpetum* velocium notarũ. Sic Suet. de Tito Vespasiano. *E pluribus comperi, notis quoque excipere velocissimè solitum.* Notæ autem hîc dicũtur, A.B.C.D. & reliq. litteræ, aut alia signa pro iisdem vsurpata, quibus vti solemus cùm à nemine quod scribimus intelligi volumus. Vide exemplum apud Gell. 17. cap. 9. vide quid de not. tractent Senec. ad Lucilium. epist. 2. lib. 14. Diacon. lib. de not. Probum & Isidor. Græci σημεῖα. vt διὰ σημείων, *scribere*, pro *scribere notis*, seu *per notas* secund. Cic. 13. epist. ad Attic. *Et quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti credo: quia* διὰ σημείων *scripseram.* hinc σημειογράφοι apud Plutarch. qui ita velociter γράφειν scribere, διὰ σημείων nouerant. qui à suis notis, *Notarij* Lat. dicti sunt, vnde extat distichon apud Martial. lib. 14. nu. 208.

Currant verba licet, manus est velocior illis.

Nondum

Nondum lingua, suum dextra peregit opus.

¶*Bipatens.* pugillar, vt liber dum plene aperitur aut explicatur. Pugillaria autem illa, vt fierent, docet Gell. cap. 9. lib. 17. quibus verò hodie vtimur, nõ egent cera, ex tabellis buxeis, vel crassiori membrana facta: in quibus stilo æneo scribitur. quæ cũ stilo fiunt, & ex lapide atro, Ardœsia dicto, in tenuissimas laminas dissecto, quaternis, ternis, quinísve in vnum quasi librum compactis. ¶*Per æquor cereum* tabellas scil. cera illitas intelligit. ¶*Quod lingua nondum absoluerit.* Sic Marc. Manilius lib. 4.

Hic & scriptor erit felix, cui littera verbum est,
Quique notis linguam superet, cursúmque loquentis.
Excipiet longas noua per compendia voces. ¶*Celeripedes compendij.* Cic. 9. epist. ad Attic. pro quo *Volucripedes*, cuius meminit idem Auso. in vers. penult. Iambici ad Probum.

In Epig. cxxxix. Vide sup. Auson. pag. 188. vide inf. quæ de numero Musarũ dixit Vinet. in vers. 30. Griphi. vide & Herod. & Hesiod. in Theogo. & lib. j. Gr. epig. cap. εἰς ποιητάς. Extat & hoc de Musis epigram. inter Virg. fragmenta seu opuscula. ¶*loquitúrque Polymnia gestu.* cod. Parisi. al. *Polyhymnia gestu.* Grammaticos autẽ torquet hoc Musæ nomen. compositum à πολὺ, multum: & ὕμνος *hymnus* & *laus*, seu μνεία *mentio* & *memoria.* πολύμνια penult. br. apud Hesiod. à *celebrando* dicta. ὡς πολλὰς ὑμνοῦσα-σαν καὶ δοξάζουσαν, sed eãdem pen. diphthongo Πολύμνειαν vocant. Lucian. περὶ ὀρχήσεως, *à multa memoria.* est etiam hoc vocabulum pentasyllabum aliquando, vt apud Horat. & Virg. *Polyhymnia*, & *Polymneia.* Πολυμνῆια à tetrasyllabo Πολύμνεια soluta diphthongo ει, & vocali ε breui in longam η mutata, de hac Musa. Ouid. 5. Fast.

In Epig.cxl.vide Auson.sup.pag.188. Ioan.Tzetzes Chiliade 2.hist.res gestas Herculis commemorat,ibíq; Q. Smyrnæo hoc carmen attribuit, quod sine auct.legitur lib.4.epigr. Gr.De Herculis laborib.Ouid.Hygin.Pausan.Diod.Sicul. Apollodor.& pleriq; alij,ac quidé in Virg.opusc. ¶Cleonæi.κλεωναι' oppidum mediocre in via,quæ ab Argis Corinthũ ducit,cui propinqua loca leo infestabat. Inter Cleonas autẽ & Phliuntem Nemæa sylua cõsurgit, in qua Hercules miræ magnitudinis hunc leonem interfecit.qui à loco dictus est Cleonæus.Lucan.5. ¶*Proxima* secunda.Lerna auté Laconiæ vrbs fuit & palus,quæ Hydrã serpentem multorũ capitum habuit,quẽ ipse Hercules interfecit ¶*Erymanthêum.* Erimanthus Archadiæ mons,vnde Ἐρυμάνθειος,*Erimanthêus* seu *Erimanthius.* in hoc monte ingentem aprum Hercules accepit. Stat.4.Theb. ¶*Æripedis quarto.* χαλκὸς.*æs* & πούς *pes.*vnde equos χαλκόποδας vocat Hom.Iliad.Θ.quod eorũ solido grauiter sonet vngula cornu. Virg.3.Georg. Charis. verò & Diomedes Grãmatici aliter hoc verbũ acceperunt, nẽpe tetrasyll.à Virgilio pro pentasyllabo prolatũ. *Æripedem* pro *aëripede* per episynalephen: vt non *ære* metallo, sed ab *aëre* elemento dicantur cerui *aëripedes.*quasi aërios pedes habẽtes,ob velocitatẽ: sicut *alipedes* ab alis,ob eandem velocitatẽ, ceruos equósq; dixerũt Lucret.Catull.Virg. & idẽ Auson. in equi epitaphio. ¶*Stymphali,* al.*Stymphalides,*sed malè,cùm eius nominis syllaba secũda natura lõga sit.Fuit autem Stymphalus Arcadiæ oppidum,iuxta Stymphalidẽ lacũ,vnde Erasinus erũpit fluuius.ab hoc lacu Stymphalides dictæ aues,tãtæ magnitudinis,vt solis radios adumbrarẽt,omnémq; Arcadiã deuastarẽt, donec ab Hercule ænei crepitaculi sonitu pellerẽtur.Ab hoc etiã oppido,Stymphalia di

ctæ

cta Minerua, ibi culta téplúmq; sibi dicatũ habens. ¶ *discrimine*, al. *crimine*. ¶ *Threiciam* è Thracia. vide sup. annotata in Epig. j. vbi de Amazonib⁹ diximus. Fuêre autem maximè bellicosæ mulieres, quæ magnam Asiæ partem occupauêre. Sic dictæ vt vult Steph. ab Amazonide nympha Samornæ filia, seu Amazone puella, Dianæ sacerdote, & Ephesi regina. Amazones à Scythia oriundæ, propè Thanaim & Thermodoontem fluuios habitantes sine viris, cum finitimis tamen cõgredientes, sobolis conseruãdæ gratia: si qui autem mares ab iis nascerentur statim interficiebant. puellis verò dexteram inurebant mammã, quo expeditius armis vterétur. vnde quidam ab α priuat. & μάζα *mamma* dictas putant. Harum reginæ *Marthesia* & *Lampedo*, quæ maiorem Europæ partem subegerũt. Marthesiæ filia *Orithya* successit, cuius soror *Anthiopes*. Post Orithyam *Pẽthesilea* regno est potita, quæ ad bellum Troianum profecta in auxiliũ Phrygibus, ab Achille post multas res gestas, occisa est. hanc securim bellicam, & peltam inuenisse dicũt. Claruêre item Menalippe, & Hippolyte. hæc ab Hercule capta & balteo spoliata, & à Theseo in vxorem ducta est. vide plura de his apud Dionys. lib. 4. Plin. 6. c. 7. 34. c. 8. & 36. c. 5. & apud Poet. passim. ¶ *Augei*, αὐγίας seu αὐγείας, rex ille Elidis, cuius stabula purgauit Hercules. Solini interpres hîc *Augeis stabulis*, legendum putat. Hyginus verò *Augei* dicit, tanquã ab *Augeus*, sed Græcis αὐγίου, est genitiuus ab αὐγίας nominatiuo. ¶ *Adorea* gloria, corona, octaua victoria de Cretẽsi lauro. Adoream autem laudem dixêre veteres ab *ador* frumenti genere. quia gloriosum putabant, farris copia abundãtem: vel qui farre à populo donatus esset. Fest. & Hermol. in Plin. 18. c. 3. ¶ *Diomedeis*. Rex Thraciæ Diomedes, quẽ interfecit Her-

cules, vna cum eius equis humana carne veſcentibus: qui quatuor erãt, de quibus Palœpha. de fabuloſ. narrat. lib. 5. & Hygin. ¶ *Hiberia*. Hiſpania, quæ regem tricorporem illum Geryonem habuit, de quo Auſo. in verſ. 82. Griphi. ¶ *mala Hesperidũ*. Fuêre Nymphæ Heſperi fratris Atlantis filiæ. Aegle, Arethuſa, & Heſperethuſa. quas Poetæ fabulantur habuiſſe hortos, nemore aurifero pretioſos in Oceano Atlantico ſitos, à dracone peruigili ſeruatos, quem Herculem interfeciſſe dicunt, pomáque aurea ad vitricum Euryſthæum retuliſſe. de quo vide Plin 19. c. 4. & 27. c. 2. & Solin. ¶ *Cerberus*, cuius fit mentio in Diogenis epitaph. fingitur autem à poëtis canis triceps, inferorum cuſtos, & ab Hercule catena ab inferis tractum. dictus quaſi κρεόβορος *carniuorus*. & ſic pro terra fictum credũt mythologici, quòd terræ proprium ſit cadauera ſepulta conſumere. Addit Græcus poëta tertiumdecimũ Herculis laborem, ſtupratas ſcil. vna nocte Theſpii quinquaginta filias. Sed de Hercule plura Alberic. libel. de deor. imagin. & Hygin.

In Epigrammata, quæ de ſuis faſtis ſcripſit Auſonius.

In Epig. j. In vet. Lugd. cod. titulus erat, *Conclusio Ausonius Hesperio filio salutem*. In aliis. *De suo Fastorum libro ad Gregoriũ*. Fuit hic Heſperius ex Sabina coniuge. ¶ *Ignota æternæ*. al. *Hectoreæ*, ſed perperam. cum & 4. Symmachi epiſt. ad Auſo. ſcriptũ ſit, *quũ æternorum principum iam pridem signa comitarer*. ¶ *Regibus & patrum*, quia tempora traducta primum ſub Regibus, deinde ſub conſulibus & Magiſtratibus: demum ſub Imperatoribus ac Senatoribus, qui omnes Reipub. patres nuncupati ſunt. ¶ *Digesti fa-*

stos,

stos, quod opus ad nos non peruenit. ¶*Perpetis*, al. *præpetis* & rectius. Ponitur.n.pro *veloci* estq; propriũ auium ac quidẽ rapacium epithetũ. *Præpetes* dictæ vt nonnulli autumant à Græc. προπέτεσθαι id est *Præuolare*. ¶*Sparsa iacent*, id est, collegi ex Rom. Histor. Fabio Pictore, Porcio Catone, Valerio Antiate. Marco Tuberone, Cnæo Gellio, Hemina Quadrigario, Varrone, Tito Liuio, Cornelio Tacito, & aliis id genus scriptoribus, qui de reb. Rom. scripserunt. ¶*Vt protinus & te* hoc est statim post me cõsul fias. at de huius consulatu nihil apud authores, imò quidem de Proconsulatu sub Gratiano Imp. vtpote cuius æquitatem commendat Ammian. in extremo lib. 28. ¶*Applicet*, al. *aggreget*. vet. cod. Tilius autem, *Exemplo confide meo. Sic protinus & te.*

Explicet Ausoniis purpura Consulibus. ¶*Annis vndecies.* Hoc Lugdunensib. illis menbranis debemus tetrastichon, cum suo hoc titulo. *Supputatio ab vrbe condita, in Consulatum nostrum.* Anni autem vndecies centũ, seu mille & centũ & quatuor anni, & *vndecies vnus annus*, hoc est vndecim, ac τριετηρὶς tres anni, fiunt anni mille centum & decẽ & octo à cõdita vrbe Roma ad Consulatum Ausonij prælapsi: quanquam inter se nõ cõueniant Chronologi. Contius assignat tunc consulatum Ausonij contigisse circa annũ 1132. idq; ex imperiis Valentinianorum colligit. ¶*Fors erit* fortuna, casus. ¶*qui quartus ab imo*. Scoppa legit *vno* cum verbo *est*. quasi diceret *à primo*.

Et hæc hactenus in librum Epigrammatũ Ausonij. plura aliquando si Deus permiserit: cũ ab ipso Vineto, tũ ab aliis excepta daturi.

INDEX RERVM MEMORABILium in his in Ausonium Scaligeri Lectionibus & aliorum notis: in quo ipsius Scaligeri lectiones nulla litera adiecta, sed priore numero caput: secundo liber designatur: aliorũ verò notæ, & litera præposita & numero pagellæ postposito facilè denotantur.

Benea-

Dido.

R.

FINIS.